


Montani
in
Aphorism:
Hippocratis
1555









A x.0.2

4413 A

£6-

Cels. R[...]

Qui bene valet et sanus [...] nullis se debet
obligare legibus sed debet varium genus vitae
modo ruri modo domi et debet uti omni genere
cibi et his in die potius quam semel capere
cibum et plurimum dum modo concoquat.

IO. BAPTISTÆ MONTANI MEDICI VERONENSIS,

EXPECTATISSIMAE IN PRImam & secundam partem Aphorismorum Hippocratis Lectiones, summa cura collectæ: exactissimaq́; diligentia recognitæ, ad Medicinæ studiosorum usum.

NVLLA SINE LABORE



EST VIRTVS.

VENETIIS APVD BALTHASSAREM CONSTANTINVM AD SIGNVM DIVI GEORGII. M D LV.

AD LECTOREM



VM non ignorarem lector candide ingratitudinem ducem esse ad omne flagitium, ut sapienter Xenophon scripsit, & me tantum clarißimo Ioan. Baptistæ Montano uiro omnium uirtutum ornatißimo debere sentirē, quātum parentibus liberi, atque (quod plus est) præceptoribus discipuli debent, ob id semper à Dijs immortalibus contendi, ut aliqua mihi sese alicunde occasio offerret, qua tandem possem incredibilem illam tanto uiro beneuolentiam detegere, qua ego illum studiosißime prosequebar. Et cum ipsum mihi ita mors immatura sustulisset (nam licet senex decesserit, obitus tamē ille immaturus debet appellari, quia tāta uiri excellētia multa secula promerebatur) nunquā fore sperabam, ut, quod uiuenti non potueram, mortuo possem beneuolentiæ signum ostendere. Verum non sine Deorum numine hoc contigisse arbitror, ut commodius iam uita functo id ualerem, quàm cum inter mortales erat, præstare. Cū itaque intelligerē apertißimum illud esse grati animi signum, si quis, quem diligit, eius immortalitati studeat, & quantum decoris, atque ornamenti essem clarißimi Montani nomini allaturus, quem semper uelut humanum numen obseruaui, animaduerterem, excogitaui non sine maximo labore, atque impensa mea diuinos illius commentarios in Hippocratis Aphorismos, ut tibi prodeßē, edere. Vnde recognitis, quantum potui, scriptis

meis,quæ ſumma cum diligentia ex cotidianis ipſius lectionibus collegi,collatisq́; inuicem multorum amicorum exemplaribus,quos mira in ſcribendo celeritate eße noueram, Dijs tandem fauentibus perfeci, ut illius Commentarij caſtigatißimi in lucem prodirent.Pro quo uni mihi , præterea nemini , agendæ ſunt gratiæ,nam nullius unquàm hoc tibi opera præſtitiſſet.Noui enim multos,qui quidem tantum abeſt,ut quæ domi habent , Montani monumenta cuiquam communicare cogitent,ut aut ea,uelut theſaurum,celent potius,aut publica ſibi profeßione uendicent.Sed breui fortaſſe nos iſtorum malignitatem eludemus, & plura alia eius uolumina non minus grata,quàm utilia,promulgabimus.Interim uale,& mei ſis memor.

EXCELLENTISSIMI IOANNIS BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS IN PRImum Aphorismorum Hippocratis,

PRAEFATIO.



IVINOS Hoc anno Hippocratis Aphorismos interpretaturi, operæpretium esse duximus, si quẽadmodum in adeũdis sacris fieri solet, lotis, ut aiunt, manibus ad diuina eius mysteria accedamus. Erunt itaque quæ à nobis præponentur, octo, maximam sanè lucem negotio nostro allatura, quippe cum nec per ipsa uanus habendus sit sermo, nec quæstiones examinandæ de lana (ut uulgo dici solet) caprina. Primum itaque, quod præponitur, illud est, quis qualis'ue fuerit Hippocrates, quem præ manibus habemus. Secundũ, ad quam hæresin sese ille applicuerit. (erit enim per utile uiri sectam nouisse.) Tertium quam nam ideã, quẽ'ue characterismum, tum in habitu scientiæ, tum in docendo seruarit: hoc enim si nouerimus, magnum afferet ad hanc adipiscendam scientiam adiumentũ, sin minus, scientiam quoque istam ignorare necesse est. nam cum characterismus uelut æquilibriũ quoddam sit, quis ignorat eum cognoscendæ scientiæ modũ esse? Quartũ uero, quod spectandum erit, est, cur liber Aphorismorum inscriptus sit. quod, ubi de ordine

dine, & doctrina aphoristica fiet mentio, percurremus. Quinto loco, scopus considerãdus est, & qua causa ductus hos conscripserit aphorismos, curq́; adeo obscuritati studuerit. Sexto, quonam ordine sint hi collocandi Aphorismi, atque utrum liber isagogicus sit, nec ne. Deinde ostendemus, qualem oporteat esse expositorem in Aphorismos. Postremo quales debeant se auditores præstare, & uos precipue, qui hoc anno estis Aphorismos hos auscultaturi. Tot sunt, quæ à nobis ad integrum Hippocratis sententiam, absconditamq́; doctrinam percipiendam considerabuntur. Quibus peractis, ad contextum explicandum deinceps descendemus. nam prætermittam quod sit in medicina subiectum, & quotupliciter capiatur, agere, cum annis elapsis satis abunde de his à nobis sermo habitus sit. nec tangam illud, in quo plerique insistentes tempus ac labores cõtriuerũt, dũ dixerunt, an libri hi philosophiæ naturali subalternẽtur; sunt enim meræ nugæ, ac prorsus uanæ quæstiones. Quòd igitur ad primum attinet, Hippocrates quidem ipse patria fuit ex Coo insula quadam in mari Pãphilio, ex Asclepiadarum familia ortus. Cuius ante aduentum Aesculapij medicina obsoleuerat. nulla enim aderat uera medendi ars, sed quædam duntaxat herbarũ cognitio, quibus homines illi rudes ex quibusdã priorũ suorũ obseruantia utebantur, absque ulla ratione methodoq́; medẽtes. At Aesculapius primus auctor fuit componendæ, tradendæq́; scientiæ huius per habitum ac theoremata uera, qua constructa, medicinæ artem nõ obseruationibus, sed ratione & methodo eam

ad

ad unum finē proprium direxit, atque ob id in Deorum numerum fuit relatus, & Apollinis filius creditus. Post ipsum successerunt filij eius duo, Podalyrius et Machaō, Homeri carmine celebres, qui Asclepiadei quoque nuncupati sunt, tradita autem est illis per manus ars ista (quemadmodum ubiq; Galenus attestatur) nō quidē scriptura, sed ordine quodā in mēte filiorum ad Hippocratis usque tempora, qui ex horum familia post Aesculapium per successionē & ordinem uigesimus fuit. Hæc autem familia adeo in arte medica semper uiguit, inq; ea creuit et aucta est, ut tres quidem insulas compleuerit, à quibus hæ deinceps familiæ nomen sortitæ sunt. Rhodum enim nonnulli Asclepiadei incoluerunt, ex quo prima Rhodia familia uocata fuit. multi Gnidum occupauere, ex qua cognomē altera sumpsit. tertiam quamplurimi Coū habitarūt, unde Coi dicti. Ob id Hippocrates. 1. de Ratione uictus acutorū Gnidios medicos inter se differētes citabat, qui maximi fuerūt, qui sané (ut Galenus primo De temperamentis inquit) de re medica, non ambitione, nō diuitiarum cupiditate, sed amore scientiæ altercabātur inter se. Triplex igitur cum esset Asclepiadarum familia, intercidit tandē tractu temporis Rhodia domus, cuius loco in Italia in parte Greciæ successit alia, quæ ab Italia Itala familia mediciq; Itali nominati sūt, quorū princeps fuit Asclepiades, qui tres habuit filios, quorū unum Philestionem, alterū Empedoclem, tertium uero Pausaniam, ex quibus demum clarissimi atque doctissimi uiri emanarunt. Hæ sunt familiæ, quæ ab Aesculapio

pio originem traxerunt. sed harum maxima insularũ fuit Cos ob uiros illustres, et præcipue Hippocratem nostrum, qui quidem Hæraclidis filius extitit. Duo nanque fuere Hippocrates, alter quidem Gnosidis, alter Heraclidis filius. Primus ante Hippocratẽ nostrum fuisse dicitur, cuius (sicuti primo De ratione uictus acutorum narrat Gale.) duo libri græce περὶ ἀγμῶν, & περὶ ἄρθρων. i. de fracturis, & articulis esse credũtur. At hic Hippocrates Heraclidis filius longe natu maiorẽ fama superauit, et inter Deos tanquã numen quoddã ab antiquis relatus est, floruitq; sub Perdicca rege Persiæ, uel Macedoniæ, quem referunt maioris Philippi regis, magniq; Alexandri patris fuisse fratrem. Quo etiã tempore Thucidides claruit. Et licet in Coo natus fuerit rerum omnium copiosissima, ibiq; educatus, nihilominus literarum studio extra patriam migrare uoluit, Rhodũq; habitauit insulã, ibiq; multos habuit præceptores, tũ medicos tũ philosophos. Ad Gorgiã quoq; Leontinum accessit, à quo eloquentiã & philosophiam didicit, nequis putet (quemadmodum quamplures ex Arabibus credidere) ipsum tantummodo ingenio polluisse, atque huiusmodi scientiarum rudem imperitumq; fuisse. Verum non eos tantum quos diximus, sed in Thessalia (ut nonnulli uolunt) Democritum ẽt audiuit, atque illic de ægris, quos curandos susceperat, libros Epidemiorum conscripsit. Diuinus hic potius quàm mortalis homo filios duos habuit, Thessalum, & Draconem. Cæterum hunc Thessalum fuisse, qui primo Therapeutices & secundo atque

que ubique sæpißime improbatur à Galeno, credatis nolim. Ille nanque Romæ medicinam exercuit, ignarus omnino medicæ artis. At Hippocratis filius uir fuit excellens et omni laude dignus, qui sæpius à Galeno laudatur. Vixit autem Hippocrates. 104. annos, & iure quidem in Deorum numerũ relatus fuit tum quia aut mirabili artificio medicam facultatem primus constituit summa quadã breuitate. cunctisq́; quàm nobilis, quantæq́; utilitatis humano generi foret, ostendit. quam ẽt maxima cum dignitate exercuit, tum quia totam Græciam ab illa pestilenti constitutione Thucididis tẽpore liberauit, quandoquidẽ omnes syluas extra circaq́; urbes existentes cremari & ligna odorata ubique comburi iußit, ut aer pestilens exiccaretur, expurgareturq́;, quo auxilio Græciã ab ea pestilentia exemit, quod apud Galenum in libro De theriaca ad Pisonẽ uidere licet. Idcirco populi illi seruati, accepti memores beneficij, tanquam Deo aras & statuas aureas erexerũt. Hic plurimos edidit libros, librum. 5. primum De natura humana, De regimine uictus acutorum, De aere & aqua, De humoribus, libros Prognosticorũ, at nõ libros Prorriticorum, ut quidem falsò putant, præterea Epidemicos, quos ab eo editos esse palam est. Composuit etiam hos Aphrismos, in quibus tota medicinæ scientia, seu ars, tam ad praxim, quàm adheoricam partem attinens continetur. Scripsit & librum illum ἑξήκοντα, uocatum, ubi totam etiam medendi artem complexus est, qui interuallo temporis perijt. Sed ut ad Aphorismos hos deueniamus, non immorabor

probando, an libri isti Hippocratis legitimi sint, tum quoniam ex se patet hoc, ex admirabili in eis cõtento artificio, tantoq́; uiro maxime conuenienti, tum quoniam ab antiquis iunioribusq́; medicis probatum hoc fuit. Hæc quo ad primum propositum, & Hippocratis uitam dicta sint. Deueniendũ modo est ad aliud caput, & cui se hæresi addixit declarãdum. Pro quo in primis debent iuniores adnotare duas fuisse antiquorum medicorum sectas, alteram Empiricam, reliquam uero Dogmaticam. nihil enim de tertia uidelicet Methodica dicam, quam tanquam fatuam, & omni methodo carentem recentioremq́; mitto. In ueteribus duabus uiri illustres claruere, quemadmodum de Aesculapio diximus antea, à quo primũ inuenta est ars ista cum ratione, ac uera methodo. Vnde ars ista est habitus intellectus practici ex multis theorematibus collectus, opus ad finem intentum perducens, quo sanitas uel conseruetur si adest, uel recuperetur si abest. iste enim habitus dirigit medicũ ad opus propriũ, sine quo nemo operari aut artem cũ ratione exercere potest. Hũc itaq; habitũ debẽt habere, qui medici ex ijs, qui aliquo in numero sunt, esse uolunt. Quid autem habitus sit, iam anno elapso satis superq́; explicauimus. etenim is dupici acquiritur modo aut enim usu & obseruatione comparatur. cum enim multi & diuersi uisuntur ægri, ex regularum, & theorematum obseruatione unus medicinæ fit habitus, sed nõ ex philosophia, neque dialectica, et tunc qui hunc habitum exercent à simili ad simile transeũt. aut & cõparatur discursu, procedẽdo à na

tura

tura rei ad actum per philosophiam, hi enim sunt duo modi ad hunc habitum acquirendum, qui quidē habitus utcunque consideretur, semper erit practicus. Vter autem horum modorum ad hunc acquirendū habitū melior sit, apud antiquos quesitū fuit, nam altero usus est Aesculapius, altero Hippocrates noster. Empirici suam tuendo partem, dixere artem illam & habitum obseruationibus acquisitum nobiliorem esse atque antiquiorē. nam Acronem Agrigentinum Siculum antiquissimū fuisse inquiunt, qui Hippocrate maior natu ex familia, ex usu & κατ' ἐμπειρίαν artē medicinæ exercuit, à quo ēt ipsa emanauit. qua ratione ducti asserunt habitū hunc per experientiam adeptum, longe illo qui per rationem est (ex quo Dogmatici ratiocinales medici uocati sūt,) nobiliorem, & antiquiorem esse. Sed decipiūtur isti dubio procul. non enim Acron fuit auctor talis sectæ sed alter, qui hanc artem in empiricam & dogmaticam distinxit, cui multi empirici successere, quorū unus fuit Serapion Alexandrimus, deinde duo Apollonij (ut Galenus asserit) demū Menothodus, & alij qui hanc artē empiricam coluerunt, quæ cum non haberet bona fundamenta, euersa est, uiguit antem dogmatica. Amplius, probabant empirici suam artē nobiliorem esse, quippe quæ cum circa sensum uersetur, ea certior existat, quæ innititur rationi, nihil enim ratione acquiri potest, sed sensus tantum est, qui iudicat, & medicus artifex est sensitiuus, ars igitur, quæ sensu & experientia habetur, nobilior est. Quòd nēpe dictum perabsurdum est. Nam Galenus tum in

libro De sectis, tum in eo qui De constitutione artis est, & De subfiguratione empirica probat habitum dogmaticorum esse ueram medicinæ artem. Sed præter Galenum (quoniam, quis obijcere posset, Galenũ quia dogmaticus fuit, dogmaticorum partẽ sustinuisse (extant alij testes id comprobantes. Nam inter cæteros Plato in phædro, dum de laudibus Periclis loqueretur, dicebat omnes magnas artes & facultates, qualis est oratoria & medica, nec esse, nec uere artes nũcupari aut perfici posse, nisi methodo acquirãtur, et à philosophia ortũ & originẽ habeant, sed meræ nugationes dicentur, & inconstantes, ut quæ non ex habitu, sed ex usu duntaxat colligantur. Et exemplũ de oratoria facultate afferebat, docens ibi artem à notione finis addisci debere, uersatur enim ars oratoria circa persuasionem, & dissuasionem animorum. Sed quo pacto (inquit Plato) poterit quispiam alteri persuadere, nisi prius optime sciat motus & alterationes in hominum animis, et qui ad agendũ, qui'ue ad Patiendum huiusmodi motus, alterationesq; apti sint animi, & quæ sit actio ac paßio, nemo enim unquàm uiam et modum persuadẽdi aliter inueniet, his autem habitis orator confestim persuadẽdi tramites reperiet, cum animi accidentia in hoc uel illo indiuiduo exacte nouerit. Quam profectò rem Aristoteles scientiarum omnium optimus auctor cognoscens, nil aliud in suis Rhetoricorum libris docet, quàm methodum hanc orandi, ibiq; de uarijs animorum affectibus iuxta qancunque temperaturam, de fortitudine alijsq; consimilibus loquutus est, alius enim est re
gis

gis animus, ad motum, alius uero pauperis, alter pueri, & alter adulti, atque diuersus est hominis à muliebri animus, Quo fit, ut quemadmodum Plato, & Aristoteles orandi artem nõ sine methodo tradi posse iudicarũt, sic etiam de arte medica (inquit Plato) dicendum sit. nam qui corpus humanum sanare cupit, primum medicus ille sibi finem proponit, quẽ assequi intendit, sanitatẽ scilicet restituere. At quomodo fieri hoc poterit, ni prius sciat, qui sanari poßit, et qui non? Si autem cognoscere debet quale corpus ægrum sanitatem suscipere aptum sit, quale non in primis corpus humanum cognoscat opus est, adhuc etiam essentiam, motus, passionesq; ipsius, ac tum demum ad curandum huiusmodi corpus per ueram methodum accedat. Vnde recte dicebat Plato, æger qui se cõmittit medico tantum experienti, surdo, & cæco se committit, non enim uidet quæ uidenda sunt, neque audit quæ audienda. dicebat is etiã in. 3. De legibus quòd actiones omnes humanæ à tribus dirigebãtur, à Deo glorioso, à fortuna, & ab occasione, quæ uero a fortuna et casibus regerentur, incerta ac uaga esse, nullaq; lege regi aut oriri. Ideo necesse fuit, ut aliquis uir prudens & sapiẽs reperiretur, qui methodũ quãdã, sub qua infinita hæc reducerentur, inueniret, sicuti Galenus dicit in nono De placitis Hippocratis et Platonis, quòd omnia indiuidua ad unam quandam speciem & genus unum uniuersale reduci debent, sub quo stabiliantur & firmentur, quo progressu facto, deinceps alio ordine ab uniuersali illo ad particularia uti libuerit; retrocedere ualeamus, quemadmo-

admodum nos ſuperioribus annis,dum Galeni librũ
ad Glauconem explicaremus,abunde docuimus, quo
loco docebat ipſe quodammodo per analogiſmum
ab uniuerſalibus ad particularia,& à particulari-
bus ad uniuerſalia procedendum ſit,& ideo uniuer
ſalia et leges hæ ob actiones, & incertas humanas
operationes quæ fortunæ & caſibus ſubijciuntur,in
uentæ ſunt,& hæc fuit methodus ut quæ ab occaſio-
nibus facta ſunt,ad quoddam genus,quandamq́; ſpe
ciẽ redigerentur.Idcirco doctores legum regulã ha
buerunt,ut quicquid legem haberet,iure factũ eſſet,
quæ uero iniuſte agerentur,à legibus eſſent remota,
hac etiam ipſi methodo utentes.Ex quibus dictis dif
ferentia inter dogmaticum & rationalẽ,ac illũ qui
tãtũ modo uſum & praxim habet,manifeſta eſt.ſur
dus enim ac cæcus empiricus eſt,qui ex præceſſorũ
ſuorum obſeruationibus medetur, nec certas ha
bet leges,& particularia ad uniuerſale haud redu-
cere poteſt,nam quos uiderit,morbos ſanabit, is ſed
quos antea ignorabat,nũquã,at dogmaticus diuerſo
modo in curatione procedit,nam cum ad ægrum ac-
cedit,conſiderat,quæ nam ſint actiones læſæ,qui ſint
affectus huiuſce morbi qui nunquam antea uiderat,
et methodo recta optimam ſanitatem inducit.Verbi
gratia ſi morbum gallicum dogmaticus curãdum ſu
ſciperet,quas in primis paſſiones & affectus mor-
bus gallicus efficiat,methodo quadam ab eo ſpectan
dum eſſet,qua etiam reliquos non ante uiſos mor-
bos recte curare poterit.Nobilitate itaque & anti-
quitate dogmaticum empirico præſtantiorem eſſe di

cendum

cendum est. Ideo Plato. 3. de legibus duo hæc medico
rum genera comparans, alterum empiricum ueluti
seruum nominat, quia tantum seruis & scomatibus
medetur, & de uno in alium locum ob minimam pe-
cuniam cursitat, ignauus atque abiectus, nullamq; do
ctrinam adipiscetur, alterum uero nobile est & sa-
pientia præditum, elegans liberum, summo honore
ac maximis pecunijs ad ægros accersitũ. unde nõ est
mirum, si Arabes omnes uiri præclarißimi dogma-
tici fuerint, & empirica secta cesserit, dogmatica ue
ro semper floruerit. Hæc de empiricorũ dogmatico-
rũ sectis dicta sufficiant. Quæritur modo, an Hippo
crates empiricus, an dogmaticus fuerit, quæ ante Ga
leni aduentum tacta quæstio est. maxima nanque ho
minum pars empiricum fuisse Hippocratem existi-
mauit, quandoquidẽ primi eius interpretes empirici
omnes extitere, quemadmodũ Galenus in fine Apho
rismorum testatus est, quos ibi nominat, inter quos
fuit Herophilus, secundus Bacchius, tertius Hercli-
des, quartus Zeusis. Præterea habemus etiã signum,
quòd sit empiricus, quia omnia probat, aut experimẽ
ta, aut exemplo à simili sumpto, hoc autẽ munus est
empirici (sicuti Galenus in libro De subfiguratione
empirica dicebat) ut à simili exemplo ab uno parti-
culari ad aliud epilogismum conficiendo, non autem
analogismũ. Analogismus enim est processus ab uni
uersali ad particulare, & instrumentum dogmatico
rum est, atque hoc rationales, seu dogmatici in pri-
ma secundá ue figura concludendo utuntur. Cũ ergo
empirici epilogismo, id est processu à particulari
ad

ad particulare & exemplo & signis duntaxat utā tur, & hisce Hippocrates fungatur, sicuti in tertio Aphorismo huius primæ particulæ satis patebit, dū illum exponemus, ergo uidetur, quòd Hippocrates fuerit empiricus, & nō dogmaticus, rationibus enim dogmatici comprobant. Galenus autem in commento primi aphorismi huius primæ particulæ opiniones eorum tangit, qui Hippocratem empiricum asseuerabant, quos tamen ibi reprobat, eumq; dogmaticum ac optimum philosophum extitisse ostendit. Idem quoque Galenus (si recte memini) primo Therapeutices cap. 2. inquit, quòd non solum dogmaticus fuit ac philosophus, sed tantus, ut, et Plato, et Aristoteles grauißimi philosophi ab eo philosophiā sumpserint. Adhuc clarius ab eodē. 2. Therapeutices ca. 6. habetis, Primum inquit Hippocratem rectam methodi uiam tradidisse, alios uero posteriores eā corrupisse præter Aristotelem & Theophrastum qui recte illam obseruarūt. Sed ad Platonē (omisso Galeno) accedemus, qui non est medicus, neque ita affectione aliqua motus, sed secundum quod ipse sentit iudicat, qui cum in Phædone Hippocratē laudet, inquit, eum solum physiologiam, ueramq; philosophiam nouisse, maxima enim ratione & discursu proceßit, ut ex naturalium contemplatione artem medicam constitueret: admonetq; ibidem Plato non tantū medicos sed & philosophos, ut eadem methodo incedant, quā Hippocrates in arte conficienda sequutus fuit. Nam in primis circa eius artem subiectum considerauit, cumq; id habere debeat formalem rationem, qua

ab alijs

IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS, IN PRIMVM APHORISMORVM HIPPOCRATIS.



PRAEFATIO.



IVINOS hoc anno Hippocratis Aphorismos interpretaturi, operæprecium esse duximus, si quemadmodum in adeundis sacris fieri solet, lotis, ut aiunt, manibus ad diuina eius mysteria accedamus. Erunt itaque quæ à nobis præponentur, octo, maximam sanè lucem negocio nostro allatura, quippe cum nec per ipsa uanus habendus sit sermo, nec quæstiones examinandæ de lana (ut uulgo dici solet) caprina. Primum itaque, quod præponitur, illud est, quis qualisve fuerit Hippocrates, quem præ manibus habemus. Secundum, ad

a quam

quam hæresin sese ille applicuerit. (erit enim peruti-
le uiri sectam nouisse.) Tertium quam nam, quemve
characterismum, tum in habitu scientiæ, tum in docen
do seruarit: hoc enim si nouerimus, magnũ afferet ad
hanc adipiscendam scientiam adiumentum, sin minus,
scientiam quoque istam ignorare necesse est. nam cum
characterismus uelut æquilibrium quoddam sit, quis
ignorat eum cognoscendæ sciẽtiæ modum esse? Quar
tum uero, quod spectandum erit, est, cur liber Apho-
rismorum inscriptus sit. quod, ubi de ordine, & doctri
na aphoristica fiet mentio, percurremus. Quinto lo-
co, scopus considerandus est, & qua causa ductus hos
conscripserit Aphorismos, curq; adeo obscuritati stu
duerit. Sexto, quonam ordine sint hi collocãdi Aphoris
mi, atq; utrum liber isagogicus sit, nec ne. Deinde ostẽ
demus, qualem oporteat esse expositorem in Aphoris-
mos. Postremo quales debeant se auditores præstare,
& uos præcipue, qui hoc anno estis Aphorismos hos
auscultaturi. Tot sunt, quæ à nobis ad integram Hip-
poc. sententiam, absconditamq; doctrinam percipiendã
considerabuntur. Quibus peractis, ad contextũ expli
candum deinceps descendemus. nam prætermittam qđ
sit in medicina subiectum, & quotupliciter capiatur,
agere, cum annis elapsis satis abunde de his à nobis ser-
mo habitus sit. nec tangam illud, in quo plerique insi-
stentes tempus ac labores conteruntur, dum dixerunt,
an libri hi philosophiæ naturali subalternentur; sunt
enim meræ nugæ, ac prorsus uanæ quæstiones. Quod
igitur ad primum attinet, Hippocrates quidem ipse
patria

patria fuit ex Coo insula quadam in mari Pamphilio. ex Asclepiadarum familia ortus. Cuius ante aduentũ Aesculapii medicina obsoleuerat. nulla enim aderat uera medendi ars, sed quædam duntaxat herbarũ cognitio, quibus homines illi rudes ex quibusdã priorũ suorum obseruantia utebantur, absque ulla ratione, methodoq; medentes At Aesculapius primus author fuit componendæ, tradendæq; scientiæ huius per habitum ac theoremata uera, qua constructa, medicinæ artem non obseruationibus, sed ratione & methodo eam ad unum finem proprium direxit, atq; ob id in Deorum numerum fuit relatus, et Apollinis filius creditus. Post ipsum successerunt filii eius duo, Podalyrius & Machaon, Homeri carmine celebres, qui Asclepiadei quoque nuncupati sunt, tradita autem est illis per manus ars ista (quemadmodum ubiq; Gal. attestatur) nõ quidem scriptura, sed ordine quodam in mente filiorũ ad Hippoc. usq; tempora, qui ex horum familia post Aesculapium per successionẽ & ordinem uigesimus fuit. Hæc autẽ familia adeo in arte medica semper uiguit, inq; ea creuit & aucta est, ut tres quidem insulas cõpleuerit, à quibus hæ deinceps familiæ nomen sortitæ sunt. Rhodum enim nonnulli Asclepiadei incoluerunt, ex quo prima Rhodia familia uocata fuit. multi Gnidum occupauere, ex qua cognomen altera sumpsit. tertiam quamplurimi Coum habitarunt, unde Coi dicti. Ob id Hippocrates. 1. de Ratione uictus acutorum Gnidios medicos inter se differẽtes citabat, qui maximi fuerunt, qui sanè (ut Galenus primo De tempera-

mentis inquit) de re medica, nō ambitione, non diuitiarum cupiditate, sed amore scientiæ altercabantur inter se. Triplex igitur cum esset Asclepiadarum familia, intercidit tandem tractu temporis Rhodia domus, cuius loco in Italia in parte Græciæ successit alia, quæ ab Italia Itala familia mediciq; Itali nominati sunt, quorum princeps fuit Asclepiades, qui tres habuit filios, quorum unum Philestionem, alterum Empedoclē, tertium uero Pausaniam, ex quibus demum clarissimi atque doctissimi uiri emanarūt. Hæ sunt familiæ quæ ab Aesculapio originem traxerunt: sed harū maxima insularum fuit Cos ob uiros illustres, & præcipue Hippocratem nostrum, qui quidem Heraclidis filius extitit. Duo nanque fuere Hippocrates, alter quidem Gnosidis, alter Heraclidis filius. Primus ante Hippocratē nostrum fuisse dicitur, cuius (sicuti primo De ratione uictus acutorum narrat Gal.) duo libri græce περί ἀγμῶν, & περὶ ἄρθρων. i. de fracturis, & articulis esse creduntur. At hic Hippocrates Heraclidis filius longe natu maiorē fama superauit, & inter Deos tanquam numen quoddā ab antiquis relatus est, floruitq; sub Perdica rege Persiæ, uel Macedoniæ, quem referunt maioris Philippi regis, magniq; Alexandri patris fuisse fratrem. Quo etiam tempore Thucidides claruit. Et licet in Coo natus fuerit rerum omnium copiosissima, ibiq; educatus, nihilominus literarum studio extra patriam migrare uoluit, Rhodumq; habitauit insulam, ibiq; multos habuit præceptores, tum medicos, tum philosophos. Ad Gorgiam quoque Leontinum

num acceßit, à quo eloquentiam & philoſophiam didi
cit, ne quis putet (quemadmodum quamplures ex Ara
bibus credidere) ipſum tantummodo ingenio polluiſſe,
atque huiuſmodi ſciẽtiarum rudem imperitumq́; fuiſ
ſe. Verum non eos tantum quos diximus, ſed in Theſ-
ſalia) ut nonnulli uolunt) Democritum etiam audiuit,
atque illic de ægris, quos curandos ſuſceperat, libros
Epidemiorum conſcripſit. Diuinus hic potius quàm
mortalis homo filios duos habuit, Theſſalum, & Dra-
conem. Cæterum hunc Theßalũ fuiſſe, qui primo The
rapeutices & ſecundo atque ubique ſæpißime impro
batur à Galeno, credatis nolim. Ille nanque Romæ me
dicinam exercuit, ignarus omnino medicæ artis. At
Hippocratis filius uir fuit excellens & omni laude
dignus, qui ſæpius à Galeno laudatur. Vixit autem
Hippocrates. 104. annos, & iure quidem in Deorum
numerum relatus fuit, tum quia admirabili artificio
medicam facultatem primus conſtituit ſumma qua-
dam breuitate. cunctisq́; quàm nobilis, quantæq́; uti-
litatis humano generi foret, oſtendit. quam etiam
maxima cum dignitate exercuit, tum quia totam Græ
ciam ab illa peſtilenti conſtitutione Thucydidis tem-
pore liberauit, quandoquidem omnes ſyluas extra cir
caq́; urbes exiſtentes cremari & ligna odorata ubi-
que comburi iußit, ut aer peſtilẽs exiccaretur, expur
gareturq́; quo auxilio Græciam ab ea peſtilẽtia exe
mit, quod apud Galenum in libro De theriaca ad Piſo
nem uidere licet. Iccirco populi illi ſeruati, accepti me
mores beneficii, tanquam Deo aras & ſtatuas aureas

erexerunt. Hic plurimos edidit libros, librum. 5. primum De natura humana, De regimine uictus acutorum, De aere & aqua, De humoribus, libros Prognosticorum, at non libros Prorriticorum, ut quidam falsò putant, præterea Epidemicos, quos ab eo æditos esse palam est. Composuit etiam hos Aphorismos, in quibus tota medicinæ scientia, seu ars, tam ad praxim, q̃ ad theoricam partem attinens continetur. Scripsit & librum illum ἐξήκοντα, uocatum, ubi totam etiam medēdi artem complexus est, qui interuallo temporis periit. Sed ut ad Aphorismos hos deueniamus, non immorabor probãdo, an libri isti Hippocratis legitimi sint, tum quoniam ex se patet hoc, ex admirabili in eis contento artificio, tantoq; uiro maxime conuenienti, tum quoniam ab antiquis iunioribusq; medicis probatum hoc fuit. Hæc quo ad primum propositum, & Hippocratis uitam dicta sint. Deueniendum modo est ad aliud caput, & cui se hæresi addixit declarandum. Pro quo in primis debent iuniores adnotare duas fuisse antiquorum medicorum sectas, alteram Empiricam, reliquam uero Dogmaticam. nihil enim de tertia uidelicet Methodica dicam, quam tanquam fatuam, & omni methodo carentem recentioremq; mitto. In ueteribus duabus uiri illustres claruere, quemadmodum de Aesculapio diximus antea, à quo primum inuenta est ars ista cum ratione, ac uera methodo. Vnde ars ista est habitus intellectus practici ex multis theorematibus collectus, opus ad finem intentum perducens, quo sanitas uel conseruetur si adest, uel recuperetur si ab

est.

est. iste enim habitus dirigit medicũ ad opus propriũ, sine quo nemo operari aut artem cum ratione exercere potest. Hunc itaque habitum debent habere, qui medici ex iis qui aliquo in numero sunt, esse uolũt. Quid autem habitus sit, iam anno elapso satis superq; explicauimus. etenim is duplici acquiritur modo aut enim usu & obseruatione comparatur. cum enim multi & diuersi uisuntur ægri, ex regularum, & theorematũ obseruatione unus medicinæ fit habitus, sed nõ ex philosophia, neque dialectica, & tunc qui hunc habitum exercent à simili ad simile transeunt. aut & comparatur discursu, procedendo à natura rei ad actum per philosophiam, hi enim sunt duo modi ad hunc habitũ acquirendum qui quidem habitus utcunque consideretur, semper erit practicus. Vter autem horum modorum ad hunc acquirẽdum habitum melior sit, apud antiquos quæsitum fuit, nam altero usus est Aesculapius, alteri Hippocrates noster. Empirici suam tuendo partem, dixere artem illam & habitum obseruationibus acquisitum nobiliorem esse atque antiquiorem. nam Acronem Agrigentinum Siculum antiquissimum fuisse inquiunt, qui Hippocrate maior natu ex familia, ex usu et κατ' ἐμπειρίαν artem medicinæ exercuit à quo etiam ipsa emanauit. qua ratione ducti aßerunt habitum hunc experientiam adeptum longe illo qui per rationem est (ex quo Dogmatici ratiocinales medici uocati sunt,) nobiliorem, & antiquiorem esse. Sed decipiũntur isti dubio procul. non enim Acron fuit author talis sectæ, sed alter, qui hanc artem in em-

piricam & dogmaticam distinxit, cui multi empirici successere, quorum unus fuit Serapion Alexandrinus, deinde duo Apolonii (ut Galenus asserit) demum Menothodus, et alii qui hanc artē empiricam coluerunt, quæ cum non haberet bona fundamenta, euersa est, uiguit autem dogmatica. Amplius, probabant empirici suam artem nobiliorem esse, quippe quæ cum circa sensum uersetur, ea certior existat, quæ innititur rationi, nihil enim ratione acquiri potest, sed sensus tantū est, qui iudicat & medicus artifex est sensitiuus, ars igitur, quæ sensu et experientia habetur, nobilior est. Quòd nempe dictumper absurdū est. Nam Galenus tum in libro De sectis tum in eo qui De constitutione artis est, & De subfiguratione empirica probat habitum dogmaticorum esse ueram medicinæ artem. Sed præter Galenum (quoniam quis obiicere posset, Galenum, quia dogmaticus fuit, dogmaticorum partem sustinuisse) extant alii testes id comprobantes. Nam inter cæteros Plato in phædro, dum de laudibus Periclis loqueretur, dicebat omnes magnas artes & facultates, qualis est oratoria & medica, nec esse, nec uere artes nuncupari aut perfici posse, nisi methodo acquirantur, & à philosophia ortum & originem habeant sed meræ nugationes dicentur, & inconstantes, ut quæ non ex habitu, sed ex usu duntaxat colligātur. Et exemplum de oratoria facultate afferebat, docens ibi artem à notione finis addisci debere, uersatur enim ars oratoria circa persuasionem, et dissuasionem animorum. Sed quo pacto (inquit Plato)

to)poterit quispiam alteri persuadere,nisi prius opti me sciat motus & alterationes in hominum animis,et qui ad agendum, quive ad patiendum huiusmodi motus,alterationesq; apti sint animi,& quæ sit actio ac paßio.nemo enim unquàm uiam et modum persuadẽdi aliter inueniet. his autem habitis orator confestim persuadendi tramites reperiet,cũ animi accidentia in hoc uel illo indiuiduo exacte nouerit. Quã profectò rem Aristoteles scientiarũ omnium optimus author cognoscens,nil aliud in suis Rhetoricorũ libris docet, quàm methodum hãc orandi, ibiq; de uariis animorũ affectibus iuxta quãcunque temperaturam,de fortitudine aliisq; cõsimilibus loquutus est, alius enim est regis animus ad motũ, alius uero pauperis,alter pueri, et alter adulti,atque diuersus est hominis à muliebri animus, Quo fit,ut quemadmodum Plato et Aristoteles orandi artem non sine methodo tradi posse iudicarunt,sic etiam de arte medica(inquit Plato) dicendũ sit.nam qui corpus humanum sanare cupit primũ medicus ille sibi finem proponit quem assequi intendit,sanitatem scilicet restituere.At quomodo fieri hoc poterit,ni prius sciat, qui sanari poßit,et qui non?Si autẽ cognoscere debet quale corpus ægrum sanitatem suscipere aptum sit,quale non,in primis corpus humanum cognoscat opus est,adhuc etiam essentiam,motus passionesq; ipsius,ac tum demum ad curandũ huiusmodi corpus per ueram methodũ accedat.Vnde recte dicebat Plato,æger,qui se committit medico tantum experienti,surdo,& cæco se committit,nõ enim uidet,quæ

uidenda ſunt, neque audit, quæ audiēda. dicebat is etiā in 3. De legibus quòd actiones omnes humanæ à tribus dirigebantur, à Deo glorioſo, à fortuna, & ab occaſione, quæ uero à fortuna et caſibus regerentur, incerta ac uaga eſſe, nullaq; lege regi aut oriri. Ideo neceſſe fuit, ut aliquis uir prudens et ſapiens reperiretur, qui methodum quandam, ſub qua infinita hæc reducerentur, inueniret, ſicuti Gal. dicit in nono De placitis Hippocratis et Platonis, quòd omnia indiuidua ad unam quandam ſpeciem et genus unum uniuerſale reduci debent, ſub quo ſtabiliantur et firmentur, quo progreſſu facto, deinceps alio ordine ab uniuerſali illo ad particularia uti libuerit; retrocedere ualeamus, quemadmodum nos ſuperioribus annis, dum Gale. librū ad Glauconem explicaremus, abunde docuimus, quo loco docebat ipſe quodammodo per analogiſmum ab uniuerſalibus ad particularia, et à particularibus ad uniuerſalia procedendum ſit, et ideo uniuerſalia et leges hæ ob actiones, & incertas humanas operationes quæ fortunæ et caſibus ſubiiciuntur, inuentæ ſunt, et hæc fuit methodus ut quæ ab occaſionibus facta ſunt, ad quoddam genus, quandamq; ſpeciem redigerentur. Iccirco doctores legum regulam habuerunt, ut quicquid legem haberet, iure factum eſſet, quæ uero iniuſte agerentur, à legibus eſſent remota, hac etiam ipſi methodo utentes. Ex quibus dictis differentia inter dogmaticum & rationalem, ac illum qui tantummodo uſum & praxim habet, manifeſta eſt. ſurdus enim ac cæcus empiricus eſt, qui ex præceſſorum ſuorum obſeruationibus me-

detur,

detur; nec certas habet leges, et particularia ad uniuersale haud reducere potest, nam quos uiderit, morbos sanabit is, sed quos antea ignorabat, nunquam, at dogmaticus diuerso modo in curatione procedit, nam cum ad ægrum accedit, considerat, quæ nam sint actiones læsæ, qui sint affectus huiusce morbi qui nunquam antea uiderat, & methodo recta optimam sanitatem inducit. Verbi gratia si morbum gallicum dogmaticus curandum susciperet, quas in primis passiones & affectus morbus gallicus efficiat, methodo quadam ab eo spectandum esset, qua etiam reliquos non ante uisos morbos recte curare poterit. Nobilitate itaque et antiquitate dogmaticum empirico præstantiorem esse dicendum est. Ideo Plato. 2. de legibus duo hæc medicorum genera comparans, alterum empiricum ueluti seruum nominat, quia tantum seruis et scomatibus medetur, et de uno in alium locum ob minimã pecuniam cursitat, ignauus atque abiectus, nullamq; doctrinam adipiscetur, alterum uero nobile est et sapientia præditum, elegans, liberum, summo honore ac maximis pecuniis ad ægros accersitum. unde non est mirũ, si Arabes omnes uiri præclarissimi dogmatici fuerint, et empirica secta cesserit, dogmatica uero semper floruerit. Hæc de empiricorum dogmaticorum sectis dicta sufficiant. Quæritur modo, an Hippocrates empiricus, an dogmaticus fuerit, quæ ante Galeni aduentum tacta quæstio est. maxima nanque hominum pars empiricũ fuisse Hippocratem existimauit, quandoquidem primi eius interpretes empirici omnes extitere, quẽadmo

dum

dum Galenus in fine Aphorismorum testatus est, quos ibi nominat, inter quos fuit Herophilus, secundus Bacchius, tertius Heraclides, quartus Zeusis. Praeterea habemus etiam signum, q. sit empiricus, quia omnia probat, aut experimēto, aut exemplo à simili sumpto, hoc autem munus est empirici (sicuti Galenus in libro De subfiguratione empirica dicebat) ut à simili exemplo ab uno particulari ad aliud epilogismum conficiēdo, non autem analogismum. Analogismus enim est processus ab uniuersali ad particulare, & instrumentum dogmaticorum est, atque hoc rationales, seu dogmatici in prima secundave figura concludendo utuntur. Cum ergo empirici epilogismo, id est processu à particulari ad particulare & exemplo & signis duntaxat utantur, & hisce Hippocrates fungatur, sicuti in tertio Aphorismo huius primae particulae satis patebit, dum illum exponemus, ergo uidetur, q. Hippocrates fuerit empiricus, & non dogmaticus, rationibus enim dogmatici comprobant. Galenus autem in commento primi Aphorismi huius primae particulae opiniones eorum tangit, qui Hippocratem empiricum asseuerabant, quos tamen ibi reprobat, eumq́; dogmaticum ac optimum philosophum extitisse ostendit. Idem quoq; Gal. (si recte memini) primo Therapeutices ca. 2. inquit, q. non solum dogmaticus fuit ac philosophus, sed tantus, ut, & Plato, & Aristoteles grauißimi philosophi ab eo philosophiam sumpserint. Adhuc clarius ab eodem. 2. Therapeutices ca. 6. habetis. Primum inquit Hippocratem rectam methodi uiam tradidisse, alios

lios uero posteriores eam corrupisse præter Aristote lem & Theophrastum, qui recte illam obseruarunt, Sed ad Platonem (omisso Galeno) accedemus, qui non est medicus, neque ita affectione aliqua motus, sed secundum quod ipse sentit iudicat, qui cum in Phædone Hippocratem laudet, inquit, eum solum physiologiam, ueramq; philosophiam nouisse, maxima enim ratione & discursu processit, ut ex naturalium contemplatione artem medicam constitueret: admonetq; ibidē Plato non tantum medicos sed & philosophos, ut eadē methodo incedant, quam Hippocrates in arte conficienda sequutus fuit. Nam in primis circa eius artem subiectum considerauit, cumq; id habere debeat formalē rationem, qua ab aliis quibusq; subiectis distinguatur, statim illud distinxit, postea ipsius passiones contemplatus est. Primum itaque Hippocrates uti optimus philosophus, et elegans medicus quale nā esset subiectum suæ artis scilicet corpus humanum, & quis finis scilicet sanitas considerauit, uerum quoniam corpus humanum ut subiectum uario considerari modo intuebatur, nam & naturales philosophi de eo uti ex quatuor simplicibus corporibus constituto contemplātur, & Mathematici quatenus trinas dimensiones latum, longum, & profundum obtinet. Medicis uero prodita sanabile ac ægrotabile corpus considerandū subiicitur, sub hoc ultimo significatu medico conuenienti subiectum assumens eius actiones, ac passiones considerare cœpit, quibus omnibus rectè cognitis, sciat deinceps medicus quo pacto, ratione, ac methodo cupiā

ægro-

ægrotāti ſit occurrendum. Quamobrem Diuinus Hip pocrates medicinæ artem ex naturali philoſophia, eiusq; principiis ueris coſtituit, et hinc eſt illud Ariſtotelis in libello de ſenſu, et ſenſili, ubi deſinit philoſophus, ibi incipit elegans medicus, et dixit elegans non enim omnis medicus eſt elegans, niſi duntaxat rationalis et qui philoſophiam callet, eiusq; omnia principia ſuſcipit. Conſtat itaque Platonis, et Galeni teſtimonio Hippocratem, non empiricum, ſed uerum dogmaticum huius ſectæ authorem extitiſſe. His uiſis ad obiecta modo reſpondeamus. Ad illam itaque rationem cum dicis eum exemplis, ſignis, atque huiuſcemodi, non autem rationibus uſum fuiſſe, dicendum eſt quòd hoc non eſt mirum, neque dedecet, quoniam medicus ſenſatus eſt artifex, nec ſemper ratione procedit, nec ubique Acribologia ab eo eſt expectāda, immo quandoque uanum eſt (ſicut Ariſtoteles atteſtatur) rationibus uti, cum res ipſa ſenſui pateat, queādmodū nec philoſophus ipſe eiſdem ſemper principiis utitur, ſed in naturalibus contemplationibus, aliis, in mathematica, diuerſis, atque in methaphyſica iuxta ſubiectam materiam ſibi proportionatis. Quocirca cum Hippocrates circa materiam ſenſibilem uerſetur, uti ſenſitiuus artifex quandoque dicta ſua exemplo comprobat, quemadmodum in. 2. ac 3. Aphoriſmo huius primæ particulæ facit, non ob id tamen ualet, uſus eſt exemplo, ergo empiricus eſt. Cū itaque hæc ita ſe habeant, ad tertium poſitum, ſeu caput deueniemus, quam nam uidelicet ideā et characteriſmum ſeruauerit Hipp. in docendo, nam licet hacte-

nus

tius constet, eum Dogmaticum fuisse, nihilominus hoc non sat est, quoniam et si scientiam et Dogmaticorũ habitum seruauit, uaria tamẽ inter Dogmaticos idea, et scientiæ forma ex uariis quibusdam principiis tradita fuit. Asclepiades nanque Hipp. Erasistratus, et alii complures Dogmatici fuerunt, eorum tamen idea diuersa, ac uaria extitit. Asclepiades enim diuersa principia, à nostra Hippocratica idea habuit, cũ principia nostri corporis esse corpora indiuisibilia, athomos scilicet illos, ac rarum, et densum existimaret, ex quibus uariæ temperaturæ resultarent, secundũ quòd Athomi illi conueniebant in unum, simulq; admiscebantur, non autem calidum, frigidum, humidum, et siccum, et dum laxabantur, temperaturæ commutabantur. At Hipp. ex quatuor primis qualitatibus caliditate, frigiditate, humiditate, et siccitate, tanquam principiis dissimiles temperies fieri putauit. Erasistratus autẽ cum Hippocrate concors est circa principia, discors autem in naturalibus facultatibus, cum attractricem, contentricem, concoctricem, et expultricem ignorarit. Considerãda igitur est uia et Characterismus ipsius, quem ad finem usque seruauit. Vnde notandum est, quòd Hipp. breuissime tanquàm in pugillo scripsit, et Gale. circa illum laborat, quem nos imitari debemus, ut hæc ars ueluti in pugillo, et uno intuitu in mente à nobis habeatur. Hippoc. itaque uere Dogmaticus, à notione finis, qui est sanitas in corpore humano introducenda ad comparandam artem optime procesit, quod subiectum humanum scilicet corpus diuidens, deinde a-

ctiones omnes, & paßiones ad finem subiectumq; ipsum dirigens, considerauit omnia, primo corporis subiectũ: secundo facultates, uel uirtutes, siue potentias in humano corpore existentes, à quibus actiones proueniunt, & emanant, tertio omnes affectus, motus, & alterationes, quæ in ipso fiunt, atque conspiciuntur, ad quæ tria si bene aduertatis, resolutione, & diuisione (ut ipse fecit) totam uobis medicinæ facultatem comparabitis. Primum circa corporis substantiã, ex Hippocratis placitis tria sunt inuestiganda membra solida humores, ac spiritus, sed quæ nã fuit idea eius in procedendo ad huiusmodi cognitionẽ? Nempe à sensibilibus incipit, cum medicus artifex sensitiuus sit, ea autem tria sunt humani corporis principia sensibilia primum autẽ sunt membra solida, postea humores in ambitu totius contẽti, ultimo spiritus, qui etiam impetentia dicuntur, quia undique per uniuersum corpus uagantur. Notandum autem est quod membra solida duplicia sunt, quorum nonnulla organica, ueluti manus, pes, caput, & huiusmodi, alia uero similaria nuncupantur, ut uenæ, arteriæ, et nerui, ac similia, in quibus omnibus, tam similaribus, quàm organicis fiunt actiones mediante spiritu, ac calore, differunt autem quoniam dißimilarium, seu organicorum actiones nobis notæ sunt, exempli gratia manus, aut pedis actio, similarium uero actiones non ita patent, quæ quidem in tribus precipue mẽbris fiunt. (Hæc enim tria, quia nobiliores exercent operationes, similaria tantum eße dicuntur,) à neruis quidem duæ, sensitiua, & mo-

& motiua proueniunt, ab arteriis uero prodeunt uitales functiones, quæ manuducũt calorem actualẽ fluentem à corde, quo complexionalem membrorum omnium calorem ad actum reducant, at uenæ sunt, quæ unicuiq; particulæ membrisq́; omnibus sanguinem tribuunt, ut eo nutriantur, et alantur, quod est contra Pelopis præceptoris Galeni sententiam, qui omnia membra à cerebro tanq̃ suo principio originem trahere uoluit, quandoquidem membra organica ex similaribus constituuntur, taliaq́; similaria à cerebro pullulant, quam sententiam ex dictis Hippocr. 2. De natura humana sumpsit. Attamen Gal. 6. De placitis Hippocratis, & Platonis eam reprobauit, quo loco Hippocratem nihil aliud ibi De horum membrorum generatione dixisse probare intendit, quæ quod alii Anatomistæ protulerint. Etenim Hip. principia tria, cor, hepar & cerebrum esse, à quibus membra, tum similaria, tũ dissimilaria prodeunt, existimauit. Ad authoritatem autem illa. 2. De natura humana dicit Gal. librum illum non esse Hipp. germanum, neq; alicuius dogmatici Medici. Quare illi authoritati credendum nõ est, nam aliter eum ubiq; sensisse uidetur, & hæc De mẽbris solidis, ut eius characterismum ostenderemus. Humores autem in humano corpore principia sensibilia, tam membrorum solidorum, quam spirituũ ponit Hippoc. qui primum, dum chylus fit, in uentriculo præparantur, demum in hepate perficiuntur, qui quidẽ humores omnes ex cibis, uti ex propria materia cõficiuntur, ex elementis autem cibi, atq; alimenta. Vnde à pri

mo ad ultimum humores ex quatuor elementis consta
bunt, sic etiam ununquodq; ex quo constat, nutritur,
& uiuit, quemadmodum Asclepiades, & alii complu-
res dixere. Pro constituenda uero humana uita humo
res quatuor sanguinem, pituitam, & utranque bilem
statuit Hippoc. Primum quod ad sanguinem attinet,
eum in qualitatibus primis calidum, & humidum esse
uult, colore rubeum. sapore dulcem, ut ob id corpus hu
manum nutriat, & ipsum calore proprio membris ex
hibito roboret, & concoctionem adiuuet cooperanti-
bus spiritibus, qui in ipso sanguine existunt, & proxi
mum animæ instrumentum dicuntur, & rubicundum
etiam membrum reddat, quod manifeste patet in mẽ-
bris his, quæ sanguine priuata languida, & decolora-
ta sunt, hæ sunt sanguinis naturalis operationes. At bi
lis flauæ munera sunt corpus uegetum reddere, & ad
opus peragendum excitare animal, unde Gal. 1. et 2.
De temperamentis recte dicebat à bile animalia exci
tari, adq; actiones obeundas prompta fieri, & qui nõ
habent bilem, sunt torpentes, pigri, ac segnes admodũ,
adhuc bilis ipsa ad concoctionem facit, & distributio
nem, ad concoctionem, eo quia calida est in temperatu
ra, ad distributionem uero ob id quia subtilis est, atte
nuans, acris, ac uehementer mobilis, præter hæc adiu-
uat etiam excrementorum excitationem irritandis in
testinis. Iccirco debet ad intestina per porum felleum
transmitti, quo sua acrimonia, ad superfluitatum, quæ
excrementosæ sunt, egestionem, illa excitet. Vbi uero
atra bilis, uel fex sanguinis, uel melancholicus humor
est,

est, is quidem uelut sedes, atque aliorum humorum uinculum est, quo si quempiam carere contingat, illum instabilem uidebimus, et ualde mobilem, quibus uero dominatur talis humor, ii sunt pallentes, sub nigri, & in opinione firmi, ac stabiles, unde optime dixit Arist. in 30. particula problematum primo omnes sapientes esse, ac fuisse melancholicos, quum melancholia sit uinculum, & frenum cæterorum humorum humani corporis, cuius beneficio reliqui, quanuis mobiles, firmãtur, modo sit & qualitate, & quantitate debita. Pituitæ uero usus, ac utilitas maxima proculdubio est. illa enim hæc omnia præstat, ut deficientibus aliis cibis, ipsa cõcoquatur, & fame laborans corpus alat, neruosa membra humectet, & iuncturas, quo facilius moueantur, facit etiam ad locutionem, dum linguam arescentem irrigat. Manifesta itaque est humorum, quos tanquã humani corporis principia natura instituit, neceßitas patet etiam illorum generatio, materia, actiones, usus. Reliqua enim quæ & ipsa ad humorum cognitionem spectant, quo ad primas qualitates, inquam, colores, et sapores; dum anno præterito De humoribus suo loco sermo esset, declarata sunt, Hæc autem dicta sint de ipsis in præsentia ab Hipp. cui omnino credendum est. tertium principium sunt spiritus, qui sunt in triplici differentia, & numero secundum Hippoc. quorum unus in cerebro, à quo fiunt actiones necessariæ, & ad motum, & ad sensum, tam intra, q̃ extra perficitur, atque animalis dicitur, spiritus alter in corde fit, qui per arterias delatus diffunditur per membra om

nia,ipsisq́; calorem actualem à corde fluentem præ-bet,cum complexionalem tantum,atque in potentia illum haberent,omnia enim membra habent calorem in potentia,qui cõplexionalis dicitur,præter unum cor, cui semper in actu fluens calor inest. Ob id sapienter philosophus dixit animam esse actum corporis physici organici,nam per spiritum uitalem,& calorem actualem actuantur omnia membra,& uniuersum corpus, quod prius in potentia calorem habebat , & Galenus in lib.quem De animi moribus; temperatura corporis sequentibus edidit,pleraq́; de tali calore dicit,licet ænigmatice tandem dicat,q; Aristoteles per datam de anima definitionem,uelit nolit,cogitur fateri per propria sua fundamenta animam nihil aliud esse,q̃ humani corporis temperaturam,& calorem innatũ, qui prius in potentia fuerat,actuatum,spiritus ergo uitalis hoc muneris habet,ut ponat calorem in potẽtia ad actum,& ultimam formam per totum corpus. Tertius dicitur naturalis spiritus,qui dispersus per totam corporis molem iuuat omnes concoctiones , ridiculum tamen est,multos,qui se Galenistas profitentur,audire,qui non erubescunt spiritum hunc negare, cum tamen Hipp.in lib.De flatibus,& spiritib. palàm testetur nihil posse,sine spiritu naturali in hoc mundo fieri,aut generari,qui quidem non tantum in sensibilibus animalibus,sed etiam in uegetabilibus est,quin ẽt in plantis,mineralibus,et metallicis,q; ãt in mineralib. plantis , & metallis sit , norunt hoc Alchimistæ , qui per sublimationes spiritum separant à crassis partib.

Theo-

Theophrastus item in libro De plantis rationem reddens cur quandoq; illarum multæ ægrotent, & ratio hoc dictat, quoniam ubi calor, illic & spiritus, qui sine ipso stare nequit, ad est, cum calor ex ipso spiritu nutriatur, bene uerum est, q̃ spiritus hic naturalis uelut materia respectu aliorum uitalis inquam, & animalis se habet. propterea quia uapor crassus est magis, q̃ ille, atq; ut in potentia in relatione ad illos est. Vnde Galenus in libris De simplicibus medicamentis materialem hunc craßum, atq; in potentia appellat, qui nisi ab aliquo nobilior excitetur, uidelicet à uitali, nihil in animalibus operari potest, quod tamen in plantis non ita est, quia obtusæ sunt, & uiles earum actiones, neq; agente tam nobili indigent. Cum itaque tria hæc sint secundum Hippocratem sensibilia humani corporis principia, horum quidem, tum uniuersalis habenda est, tum particularis cognitio, prout infra patebit. Quòd ad facultates spectat, considerandum ex tribus illis, quæ circa corpus humanum animaduersa sunt, de quibus quidem, utpote de corporis substantia, deq; constituentibus ipsam dictum est. Secundum ergo caput examinandum secundum Hippoc. sunt facultates diligentißime à medico scrutandæ, hæ tres sunt genere, uel numero ut sentit Hippoc. secundũ q̃ tres positi sunt spiritus penes tria diuersa principia. Notandum hoc loco est, q̃ pleriq; craßo ingenio homines audientes Hippoc. dum diceret, tres esse facultates loco distinctas, putauerunt tres esse in humano corpore diuisas, & separatas animas, adeo ut Gerionem alte-

rum, cum triplici anima constituerent, quæ quidem res, & contra Hippoc. & philosophiam est, neq; enim Hippocr. tria illa principia ita esse distincta, ut non conueniant, dicit, alioqui absurdum hoc sit, quodq; à nullo cogitari debeat. posuit enim tria illa principia communicare simul, unamq; tantum in humano corpore animam uult esse, quæ nihil aliud sit, quæ per ipsum uniuersum diffusa temperatura, bene uerum est, q̃ hæc temperatura, quæ dicitur anima corporis magis in una agit parte corporis, q̃ in alia, secundum nobilitatem tēperaturæ in membro hoc maiorem, quàm in illo, atque hinc est, q̃ nobiliores fiunt in uno, quàm in alio actiones, nam carnis quidem nobilior est, quàm oßis operatio, quia caro temperatura sua est, & mixtione oßibus nobilior, atque hoc idem de aliorum mēbrorum dignitate intelligendum, donec tandem ad nobilißima tria principia cerebrum, cor, & hepar, in quibus nobilißimæ fiunt actiones animæ, deueniamus. una autem actio fit in cerebro, quæ facultas animalis appellatur, alia in corde quæ uitalis, quia uitam dat humano corpori. tertia uero facultas emanat ab hepate, & uegetabilis dicitur, quæ licet loco & substantia distinguantur, unam tamen constituunt temperaturam, unamq; tantum componunt animam, quæ una temperatura diuersis locis & sedibus existens, diuersas etiā edit operationes, unde Hipp. dicebat hasce tres facultates simul conspirare, totumq; humanum corpus, ita ut non lædatur una facultatum, quin & aliæ consentiant, neque una pars corporis, quin & aliæ doleant,

dicuntur

dicuntur autem hæ facultates tribus his principiis inesse, quæ triplici sunt principalitate præcipua, ratione originis, constructionis, & operationum, originis quidem, quia æqualiter in principio generationis fœtus tria hæc, (licet aliter Aristoteles sentiat) in corpore generantur, ex quibus reliqua postea producuntur. ratione autem constructionis dicuntur principia, nam si eam per anatomen spectemus, patebit facultates eas tanquam fontes esse, ex quibus deinde emanant riuuli, sic ab his tribus eueniunt alia membra non adeo nobilia. à cerebro enim pendent riuuli, ab eo enim spinalis medulla oritur, à qua postea alii fluunt, præterea septem illa neruorum paria ab eo originem ducunt, qui facti sunt à natura ad multos diuersosq; motus peragendos, ideo cerebrum se habebit, ut fons, nerui uero & spinalis medulla, ut riuuli. pariter dicendum de corde, est enim & ipsum ratione constructionis principium, nam si recte inspiciamus, uidere licet riuulos tanquam ex fonte proprio egredi, hi autem sunt arteriæ per totum corpus dißeminatæ, per quas uitales spiritus feruntur, qui complexionalem ponunt calorem in actu, & uitam toti præbent corpori. hoc idem dicendum de hepate, nam ab eo uenæ gignuntur, quæ paßim sparguntur, & sanguinem totum ad membra nutrienda deferunt. tertio ratione operationum nobilium hæc tria membra principalitatem habere dicuntur, non enim esset animal uiuum, nisi sentiret, & moueretur, caloremq; haberet prodeuntem à corde uitam humano corpori dan

tem,pariter uitam ducere non poßet,nisi operationes ab hepate ad uitam necessarias, nutritionem scilicet haberet. Ex his itaque membris tribus,hæ nobilißimæ operationes fiunt,quia & horum membrorum facultates nobilißimæ sunt, unde facultas animalis habet actiones,tum intrinsecas,tum extrinsecas,intrinsecas, memoriam,cogitatiuam,& imaginatiuam;quæ in ipso cerebro resident,alia est etiam intrinseca facultas, sed non in cerebro,sed tantum à cerebro,quæ motiua est uirtus existens in neruis,extrinsecas uero obtinet quinque scilicet uisum,olfactum, auditum,gustum,& tactum,quo quidem modo Hippocrates eas distinxit. Vitales autem facultates, quæ à corde progrediuntur in duplici sunt differentia, nam quædam in corde sunt, nonnullæ uero à corde,quæ in corde sunt, ut uigor animi,iracundia,constantia,quæ uero à corde tãtum,ueluti arteriarum motus,qui in ipsis tantum est, non autem in corde,q; autem ita sit, hoc signum illud uerum esse indicat,quoniam ligata arteria, non amplius pulsabit ultra ligaturam uersus finem,ergo illa à motu cordis uariatur,non tamen est in corde.Facultas igitur naturalis orta quidem in hepate per uasa,quæ uenæ appellantur,mediante spiritu per singulas corporis partes distribuitur,& primo quidem nutrit,deinde aliquo tẽpore auget,& ubi cessauerit motus augumenti tertia,ut species conseruetur,uirtus generatiua excitatur,quo fit,ut Naturales facultates ab hepate fluentes tres specie esse dicantur nutritiua, generatiua,& augmentatiua, nutritiua deinde quatuor

ſub ſe facultates contineat attractricem, retentricem, concoctricem, & expultricem, uirtus autem generatiua iuxta Hippocratis ſententiam primum habet inſtrumentum, ubi ſuum opus perficiat, teſtes ipſos, in illis enim ſemen ultimam formã acquirit et ad ζωογονίας, ideſt animalis generationes præparatur, quod ſemen (inquit Hipp.) à toto corpore, & à uenarum ambitu materialiter decidit, atque in teſtibus formam ſuſcipit èlaboratam, præterea non tam à maſculo decidit, quã à muliere, ex quorum duorum miſcella contra Ariſtotelem fit fœtus, uoluit etiam Hippocrates in dextra magis generari mares, in ſiniſtra uero fœminas. Hæc quantum ad naturales facultates ſpectabant, dicta ſint, nunc ad alterationes et motiones tranſeamus, quæ in corpore fiunt. Notandum eſt, ꝙ quouſque membra ſolida, ſpiritus, & humores, ac facultates in corpore humano naturaliter diſpoſita permanſerint, à nulloq; extrinſeco fuerint alterata, tandiu corpus illud ſalubre erit, at ſi quid horum in corpore alterabitur, non amplius aderit ſanitas, ſed tunc æger fiet ille, & quandoque morietur, dum maxima alteratione lædetur. Has itaque alterationes ſumma cum diligẽtia perpendere, nec non, ſuas cauſas inueſtigare opus eſt, quoniã ex hoc tota medicinæ facultas pendet. Alterationes igitur quæ morbos pariunt, aut in membris ſolidis, aut in humoribus, aut ſpiritibus reperiuntur. Membra quidem ſolida primo in temperatura per quatuor qualitates, tam ſimpliciter, quàm compoſite alterari poſſunt, unde gigni poteſt morbus, uel intemperies calida

tantum uel frigida tantum, uel humida tãtum, uel sicca tantum aut calida & sicca simul calida, et humida, frigida et sicca frigida et humida. potest etiam altera tiõ fieri in membris solidis ratione compositionis, aut quia eorum compositio in formatione alteretur, quod si hoc fiet, aut eius figura, aut superficies, aut meatus seu cauitates à naturali statu alterabuntur, aut quia læsa est in magnitudine, aut in situ, aut in numero. Nã quodcunq; horũ mutabitur, siue maius, siue minus fiat, suam tunc naturalem amittet dispositionem, tertio solutione continui membra solida affici possunt, ita q, ratione unitatis quispiã corripiatur morbo. Quamobrẽ patet ægritudinem in membris solidis fieri non posse, nisi aliqua fiat alteratio, aut ratione malæ intemperiei, aut malæ cõpositionis, aut solutæ unitatis. At humores qũo alterari posint, dicamus, q, aut in quantitate tantum, aut qualitate tantum, aut utraq; simul commutãtur, si in quantitate tantũ, aut omnes, aut plures, aut unus tantũ humor augetur, si omnes æquali portione augentur, tunc in eo corpore uitium generatur, quod πλήρομα .i. plenitudo quò ad uasa appellatur. sunt enim æqua proportione omnes quatuor humores adaucti, sanguis. s. pituita, atq; utraq; bilis (loquor autem non de æqualitate ponderis, sed iustitiæ semper) aut quando unus duntaxat humor auctus est, siue bilis flaua, siue quodcunq; aliud, et tunc mala fit dispositio quæ uocatur κακοχυμία .i. praua dispositio, et plenitudo quo ad uires, de plenitudine illa quo ad uasa, in. 3. Apho. mentio fiet, dum illum exponemus, qui incipit. habi-

HABITVS EXERCITATORVM, QVI AD SVMMVM BONITATIS ATTINGVNT PERICVLOSI ETC. *et ibi uos particulatim docebo, quomodo plenitudo hæc tollenda sit atque curanda. de plenitudine quo ad uires, quando unus determinatus humor peccat, dicemus in Aphorismo. 2. huius particulæ, qui dicit.* IN PERTVRBATIONIBVS VENTRIS ETC. *Quantum autem attinet ad particulares circa hæc mutationes in quantitate singulorum horum humorum peccantium, dico, q̃ si exempli gratia sanguis augeatur, suffocationes, inflãmationesq; fiunt, quando in parte aliqua insederint, ut phlegma, sin autem amara bilis augeatur, herpes, erisipelas et ulcera generantur, si uero atra bilis, morbi melancholici gignuntur, ut elephantiasis, cancri, ulcera maligna, et quartana febris sin pituita augeatur, tunc leucophlegmatia fiet, dum in parte aliqua tantũ augetur, sed si in uniuerso, hydropis illa species efficitur, quæ anasarcha dicitur, atque œdemata, de quibus distincte pertractabimus, si modo isti humores diminuantur uel oẽs æqualiter, aut non omnes æqualiter, si æqualiter tunc dispositio quædam generabitur, quæ* ἀτροφὴ. *i. innutricatio nũcupatur, ad quam sequitur tabes et totius arefactio, ac consumptio, quemadmodum etiam si solus sanguis minueretur, si uero quiuis alius humor peccet, eorũ utilitates auferrentur à corpore, et ita habetis, quo pactò quantitatem tũ penes augmẽtũ, tum penes diminutionẽ malã uariæ atque diuersæ ægritudines sequantur. Verum si circa qualitatem humores peccauerint, iuxta diuersam qualitatem, quæ in*

corpore superabundat, diuersæ ægritudines efficien-
tur, ut si bilis flaua, tertiana fiet, si pituita, quotidiana,
si melancholia, quartana, si autem humores frigesiant,
optima deperditur actio, & cachochimia augebitur.
Tot itaque de alterationibus in humoribus factis
nūc dicta sint, ad spirituum alterationes accedamus,
spiritus quidem aucti nullam læsionem, sed iuuamen-
tum maximum afferunt, nam eorum actiones maiores,
& ualidiores fient, at si diminuantur dubio procul
eorum operationes imbecillæ reddentur, utpote in ani
mali facultate imaginatiua, memoria, & huiusmodi.
Vnde notandum est in actu practico, dum ad ægrum
quempiam accedetis, & omnes sensus minui uidebitis,
& actiones, tam interiores, quam exteriores, & moti
uas deficere, tūc palàm est spiritum animalem diminu
tum eße, à quo immediate tanquam à proximo instru-
mento, uel ab anima ipsa emanant actiones hæ. Idem
de spiritu uitali dicendum, qui quotiescunque augebi
tur, nullum corpori nocumētum fiet, at si diminuatur,
deliquium animi, & syncope efficitur, & alius defe-
ctus, qui maleficiatio dicitur, quæ quidem ita nuncupa
tur, quia huius morbi causa non apparet, cum tamen
ea adsit, & qui tali morbo corripiuntur, ad Magos,
& incantatores, quò curentur adire solent, his autem
nullum auxilium exhiberi potest, quoniam in funda-
mento uitæ corde scilicet ipso læsio extat, qua de re
mori coguntur, si uero naturales spiritus diminuan-
tur, uel incrassescant (quod eorum maximum nocumen
tum est) fit Tympanites, & in corpore inflationes, sal
tusq́;

tusq́;,& palpitationes,quia flatus illi extra intestina euentari non poßunt,quo fit,ut in illis cauitatibus contenti, necessario dolorem inferant colicum, ob id Hippocrates in libro De flatibus recte omnes morbos in humano corpore à spiritu naturali male affecto oriri dicebat,neque hoc mirum est,quoniam ubi alterata principia sunt, facultates etiam uitiantur, quas malæ insequuntur operationes intemperie, aut compositione, aut solutione continui commutatæ. Vobis itaque iam notum esse arbitror,quomodo membra,humores,& spiritus alterentur, de facultatibus autem nihil dicam quia dum membra, humores, & spiritus commutantur,facultates etiam quæ à temperie optima eorum,bona compositione, debita unitate,ac spiritibus emanant,necessario alterantur.Restat, ut iuxta sententiam Hippocratis morbos distinguamus,nonnulli enim penes motum differunt, quandoquidem alii acuti,ac breues sunt,alii uero cronici, & longi,acuti quidem,quod ad eos attinet, uelocissimum motum habent,& cito,aut morti,aut ad saluti finem imponunt, ut Galenus. 2.De diebus creticis attestatur,qui quidē per se ab humoribus calidis generantur, poßunt tamē & à frigidis fieri non ratione humoris,sed loci,ut epylepsia in cerebro,quod per accidens esse dicitur. Quare cum acuti hi ex se ab humoribus calidis fiant,ætate calida,ut iuuentute,æstate originem trahunt, nonnunquam tamen in senectute fiunt,qui tandem ad obitum ducunt ægros. Morbi uero cronici,ac longi econuerso tarde,ac lento gressu mouentur,& semper per men

ses,

ses, ac annos durant, fiuntq; ex humoribus frigidis, in regionibus frigidis, aere, et cœli statu frigido, utpote hyeme, & ætate senectutis. Quidam demum salubres, aliqui uero insalubres esse dicuntur, qui salubres sunt, ab alteratione & excessu quo ad quantitatem, & malitiam, siue qualitatem, non tamen multo, dependent, nõ enim plurima adest putredo, à qua maligni, et mortales morbi efficiantur, sicut in adustione humorum, & pestilenti febre, qui uero insalubres morbi sunt, ab humore ut puta bile per malitiam, siue qualitatem, ac quantitatem maxime peccante exoriuntur, unde ulcera maligna in parte aliqua corporis fiunt, quæ difficillime, aut nunquam consolidari possunt, atque quam plurimæ huiuscemodi morborum species. Tertium morborum genus, seu tertia secundum Hippoc. distinctio est, quoniã alii primogenii, alii uero secundarii, uel postgeniti nominantur. Primogenii morbi sunt, quãdo ab alio originem non trahunt partem aliquam corporis opprimentes, ut dolor capitis qui realiter ac primario in capite residet, neque cum uentriculo læso, aut aliqua altera parte consensum habet, morbus uero secundarius, et postgenitus est (ne ab exemplo de dolore capitis recedamus) quando caput offenditur, atque male afficitur non ratione sui, sed quia uapores mali à uentriculo prouenientes petunt caput, ubi dolor iste per consensum fit, atq; generatur. His sic habitis pcurrenda sunt signa, quibus morbi per alterationes geniti facillime cognoscuntur. Hipp. signa, quæ in præsentia necessaria sunt (nunc enim præterita signa prætermit-

mittam)duplicia eſse uoluit,dignoſtica, & prognoſti ca,dignoſtica præſentem, prognoſtica uero futurum indicant affectum,dignoſtica ſigna(inquit Hipp.) ab actionibus læſis ſumuntur, nã tantum actiones læduntur,quantum facultates à quibus emanãt,tantumq́; facultates offenduntur,quantum membra ipſa,facultates enim in membris ſecundum eorum temperiem, ac compoſitionẽ,ſiue bonã,ſiue malã correſpondent,unde facultatem ſequitur actio ipſa, quæ ſi bona facultas erit,actio etiã ipſa bona conſpicietur,ſin mala facultas,mala etiã actio,et temperatura, ſeu compoſitio,unde membrum illud male affectum dicetur,læſio autem actionis à duabus precipue cauſis oboritur,aut à caliditate,aut frigiditate, et tunc membrum illud aliter agit,q̃ conueniat,ſi à caliditate præternaturali lædatur,ſi uero actio diminuta ſit,id propterea eſt,quia caliditas naturalis membri huius à frigiditate ſuperante diminuta eſt,pariter quando aufertur actio,id à frigiditate maxima contingit, quæ calorem membri omnino oppreſsit, et ſpiritus. Dignoſtica ergo ſigna ſumuntur ab actionibus læſis ſecundum Hipp. & hic primus eſt locus,ſeu fons,unde huiuſmodi ſigna ſumuntur, alter uero eſt ab excrementis, quæ exeunt à corpore ſecundum naturam, & præter naturam, ut per ſeceſsum, urinam, ſudorem, atque habitum inſenſibilem, interdum omnino ſunt præter naturam, ut eſt fluxus ſanguinis per nares, per hæmorroidas,perq́; ulcera, hinc enim ſumuntur latentis morbi indicia, quoniam uero excrementa, uel circa qualitatem,

uel

uel quantitatem, uel substantiam, uel circa tempus excretionis considerantur, & circa odorem, ex quibus omnibus uaria sumuntur indicia, de his suo loco agetur sigillatim, Tertius fons dolor est, et ægritudo, secundum uero doloris genus in loco, talis, uel talis erit morbi species. Quartus est fons ab accidentibus, qualitatem mutatam consequentibus, et quantitatem uariatam, ubi scilicet membrum humiditate plenum, aut frigidius redditum, aut calidius fuerit, atque hoc qualitatis ratione, uel si motus præter naturam fiat, ut saltus. Sumuntur etiam signa dignostica à loco, atque hæc de signis indicatoriis dicta sufficiant. Quod uero ad signa prognostica spectat, hæc ab iisdem fontibus oriuntur, à quibus dignostica, uel præsentia signa, ab actionibus scilicet læsis, unde si uolumus habere prognosticum de morbo, is ad uirtutem comparandus est, et consideranda morbi uis, et nunquid uirtus, aut morbus plus possit, considerandi sunt etiam dies critici, de quibus agit Hipp. qui sunt quartus, septimus, undecimus, decimusquartus, decimusseptimus, et uigesimus, atque hi boni dies sunt quotiescunque bona in ipsis crisis apparuerit, et morbus ille salubris erit, ubi uero crisis mala apparebit in dictis diebus, morbus ille, aut letalis, aut curatione difficilis semper erit, fiunt enim acutorum, & salubrium morborum crises in imparibus diebus, in paribus autem fiunt crises morborum cronicorum malorum, regionum frigidarum, senum, quibus non est fidendum, atque hæc est Hipp. tabula. Atque hoc tertium est propositum nostrum uidelicet

qui

qui nam ſit, quem obſeruauit Hippoc. characteriſmus. Quartum propoſitum ſequitur, quod eſt ualde neceſſarium quid ſit Aphoriſmus, ſeu ratio Aphoriſmi, & quid doctrina Aphoriſtica, duo enim hæc inter ſeſe differunt. Circa autem cognitionem Aphoriſmi (notate, q. hic præpoſtero utar ordine, primum nanque dicam quid rei circa Aphoriſmum, poſtea quid nominis) Aphoriſmus in ſuo uniuerſali conceptu, & communi ſignificato quædam enunciationis ſpecies eſt, enũciatio uero (ut inquit Ariſt. 1. Perihermenias) eſt ratio uerum, uel falſum ſignificans, cuius quidem duæ ſunt ſpecies, alia diffuſa, & explicatiua, alia uero breuis, ac conciſa, quæ explicatiua eſt, plures partes in ſe continet. Verbi gratia Cæſar eſt uenturus in Italiã ad Mediolanum, quò ipſum liberet ab obſidione, quæ cõciſa, & breuis, non multas habet partes, ſed omnium aliarum menſura eſt, prima enunciatio Græce διεξοδικὴ dicitur, ſecunda uero κατὰ σύνοψιν, at Aphoriſmus cum enunciationis ſpecies dicatur, ſub ſecundo membro collocabitur, quod etiam in alias duas partitur ſpecies, quarum altera circa contemplationem tantum uerſatur, & Theorema dicitur, ut illud ex nihilo nihil fit, Theorema enim iſtud magnum quid breuiſsime comprehendit. Altera ſpecies humanam quandam actionẽ uitæ, atq; aliis neceſſariam continet, & ſententia talis nuncupatur, ut deos cole, & licet utraque enunciatio hunc in modum mutuo differat, cum alia ad ſpeculationem, alia ad opus, & actiones attineat, nomina tamen theorema ſcilicet, & ſententia confunduntur, quæ am-

bo interdum ab antiquis ſine ratione, interdum cum ratione pro ferri ſolent, ut quando dicimus, ex nihilo nihil fit, neque aliquam proferimus rationem, cum ratione uero, ut ex nihilo nihil fit, quoniam inter agens, & paſſum mala cadit proportio. Pariter & de ſententia dicamus abſq; ratione quidem, ut Deo perpetuò ſacra facienda ſunt, cum ratione uero, ut Deo perpetuò ſacra faciēda ſunt, quia Deus perpetuus eſt, uel quæ Deo dicantur auferri non debent, cum his ſit dignus, proferuntur autem hunc in modum cum ratione, quando res ipſa prolata ex ſe haud manifeſta eſt, ratio uero quandoq; prætermittitur, quando illius rei prolatæ ueritas ex ſe patet, neque ulla probatione indiget. Vnum hic non ſilentio, prætermittam, q Theorema ſub enigmate nonnunquam proferatur, quod enigma eſt oratio breuis, & conciſa rem ſubobſcure proferens, cum quippiam proferimus, & aliud intelligere uolumus, ut ſunt Pythagoræ enigmata, ſicut illud, ſtateram tranſcendas, hirundinem non intromittes, non enim dicit de hirundine, ſed de hominibus garrulis, & loquacibus, qui extra domum ſunt propellendi, ſic etiã de enigmate illo, Gladio ne ignem fodito, per hoc enim uult, q caueamus ne colericos homines irritemus, cum hi haudquaq̃ ſint moleſtandi, pariter quando dicitur, contra ſolem ne ambules, ideſt contra regis uoluntatē. Interdum enunciationes dictæ apophtegmatice promuntur. Apophtegma uero eſt enigmati q̃ ſimile, in hoc tamen differunt, quia apophtegma ſemper aliquē mordicat, ut quando aliquem mendacem eſſe dicere uolumus,

lumus, dicimus Cretensis est ille, & hoc genere ualde delectabantur Lacedemonii, sicut quando Philippus aduersus Lacedemonas bellum intulit, & ab illis superatus fuit, qui ad illum accedebant, ei dicebant, Dionysius est in Coryntho, quasi quod per tale dictum inferre uellent, q; ipse bellum illis inire uoluerit, & ex regno depulsus fuerit. Interdum etiam enunciationes hæ prouerbialiter proferuntur, cum aliquod per aliud simile comprobamus, sicut illud, Sero sapiunt phryges, pigros nanq;, & tardos exemplo Troianorum admonemus, qui post exitionem suam, equum Troianũ hominibus armatis plenum fuiße cognouerunt. Possunt etiam enunciationes per legem, ac decretum quoddam proferri, ut in medicina, Caue ne in deliquio animi uẽtrem subducas. Hæc enim medica lex est, & maximũ decretum, contra quod procedere nephas est. Cum itaque enunciatio, seu oratio breuis quatuor modis, aut enigmatice, aut apophtegmatice, aut prouerbialiter, aut per legem, & decretum, siue cum ratione siue sine ratione proferatur, inquirendum modo est, sub quo horum modorum Aphorismus reponẽdus sit, nuper enim diximus Aphorismum esse breuem quandam orationẽ, qui quidem Aphorismus est quædam forma docendi breuis admodum magnam sub se sententiam continẽs. Vnde Galenus. 4. Aphorismorum 47. & 5. eorundem 64. quodam modo Hippoc. reprehendit, ut qui metam & legem suam breuitatem scilicet Aphoristicam transcenderit, & affert rationem, cur ita quandoque faciat. Dico itaque (ut ad institutum deueniamus)

q, Aphorismus in primis, interdum tãquam theorema scilicet speculatiuus, collocatur, nonnunq̃ ut sententia idest totus practicus est, quæ duo Aphorismorum genera, tum ratione, tum absque ratione proferuntur ob causam iam superius tactam, & hæc non solum enigmatice et apophthegmatice, sed & prouerbialiter, & uelut leges, & decreta. Vnde dicendum est Hipp. omnes enunciationis concisæ, ac breuis species tetigisse, et illorum error manifestus est, qui ἀφορισμοὺς, decreta, uel sententias transtulerunt, sed Leonicenus optime uertit cum dicit, Aphorismos, nullus enim melior terminus latine accõmodari potest. Hoc ita quo ad quid rei explicatio, de nomine ipso nõnulla uidebimus, hinc enim patebit etiam Hippoc. admirandum extitisse, cũ hoc uocabulum, Aphorismum scilicet adinuenerit, qui tantam sententiam complectatur, ut nihil aptius desiderari poßit, ipse nanque (ut Gal, 3. De difficultate respirationis attestatur) nominum proprietatem uel maxime affectauit. Quod autem hoc uerum sit, huius nominis originem uideatis quæso. Nã ἀφορίζειν, & ἀφορισμὸς duo important, & significant, separationem, seu diuisionem, & expurgationem, unde tractum est illud ἀφόσιον idest quasi excrementum, & uelut ex aliquo excretum, & expurgatum. Cum igitur illud nomen hoc proprium habeat, cumq; ex Galeni sententia in libro De sectis, theoremata quæ artem constituunt, uera & arti consona esse, & ad illius artis finem tendere, necesse sit, theoremata ista medicinæ uera, & expurgata, atque separata esse debent, sic etiam senten-

tiæ

tiæ quæ ad huius uitæ actionem q̃ maxime conferũt expurgandæ et ab omni falsitate sunt segregandæ. Id eo nullo conuentiori nomine Aphoris. s. uti potuit, ob id Aphoris. ab oratione cõtinua ualde distat, cum ille separata sit enunciatio, eumq; facile constat, à nobis q̃ optime definitum fuisse. Reliquum est, ut, quid sit Aphoristica doctrina, & docendi uia, cõtemplemur. Pro recta horum uerborum intellectione, sciendum omnes doctrinas numero tres esse (ut inquit Gal. 1. artis paruæ (inter se cohærentes, compositiuam, resolutiuam, & definitiuam, doctrina autem Aphoristica non est quarta, quia possumus eam per supra dictos tres ordines docere. q autem ita sit, uideatis canticam Auicennæ, ubi tradit suos Aphorismos ordine compositiuo, quod & Raby moses fecit. Potest etiam tradi doctrina Aphoristica per resolutiuum, definitiuumq; ordinẽ, quæ quidem doctrina unus est docendi modus, aliud enim doctrinæ ordo, & aliud docendi modus, de modo autem docendi notate q aut est diexodice traditus, hoc est per diffusam & amplam orationem, causas afferendo & interrogationes de re, quam proferimus, & rationes & dubia, hortationes, dehortationes, & solutiones, quem ordinem seruat Galenus in tota Therapeu. ubi copiosissime nobis medendi methodum tradit, qđ etiam in libro De placitis Hippocr. & Plat. facit aut est κατὰ συνόψιν, idest summarie, nam breuiter colligimus, quæ colligenda sunt dimissis dubiis, hortationibus & huiusmodi & ad finem procedimus, quem ordinem seruauit Gal. in libris de Arte parua, sicut ipse

testatur illic in suo proœmio inquiens se traditurum artem medicam summatim, conueniunt autem hi duo modi, ambo enim habent continuam orationem, & motum, differunt uero, quoniam primus disputando per explicationem procedit, secundus uero per summas, nō afferendo rationes, primus est pro adultis, secundus pro imperitis nec scientificis, qui nolunt omnia scire, unde Galenus in introductorio pulsuum uoluit procedere summarie quia sic quisq; debet in arte instrui, non autem digreßionibus onerari, ideo liber ille est pro ingeniis nondum in arte uersatis, & rudioribus, Est autem tertius docendi modus aphoristicus admodum breuis, & in hoc cum secundo conuenit, differunt autem hæc duo, quia secunda doctrina continuatiua est, tertia uero separata est per sententias, una enim oratio uel enunciatio nullum habet annexum cum altera, atque huiusmodi disciplina illis confert, qui iam totam artem didicere diexodice, postea uero resolui cupiunt paucis circa ea, quæ prolixe & summarie audiuerunt, unde uel per canticam Auicennæ resoluuntur, quæ maxime facit ad memoriam eorum, quæ prius habita sunt uel per Aphorismos. Sextum propositum est, nunquid Aphorismi inter isagogicos libros sint numerandi, & quo ordine legendi sint libri Isagogici, libri enim Isagogici sunt, qui summarie leguntur. Dicimus, q, non sunt (ut ex his, quæ diximus, manifestum est) inter Isagogicos connumerandi, sed illis conferunt qui iam medicinam totam calluerunt, quæcunque autem dico, ne putetis ea eße ex me, sed ex Galeno dicta. Liber igitur

tur Aphoriſmorum non eſt introductorius, immò nec alii ab Hippocrate æditi libri, cuius ratio eſt, quoniã Hippocrates in nullo ſuorum librorum artem medicinæ compoſuit, ſed ſeminaria duntaxat tradidit, unde Gal. 4. Aphoriſmorum 71. inquit, neminem ad Hippocratem accedere debere niſi prius totam medicinæ facultatem uiderit, quod idem 6. methodi cap. 4. confirmat inquiens, nemo Hippocratẽ legat niſi omnes meos antea legerit libros, cuius rationẽ affert Galenus, quoniam Hipp. artis tantummodo ſeminaria tradidit, at ego artem totam perfeci, quaſi q; Galenus uelit innuere, ſe in medicina meliorem & præſtantiorem Hippocrate fuiße. Verum quis dicet, cur hunc Aphoriſmorũ librum legis, ſi non eſt Iſagogicus? Recte inſtitutum eße arbitror, ut in ſcolis liber iſte perlegatur, aliud enim eſt, eum interpretari, & aliud illi ſtudere à principio, Gal. enim inquit, q; illum, cum prius reliquos eius libros uiderimus, interprætari poſſumus, nam ſi ſecus faciemus, neque doctor recte poterit exponere, nec diſcipulus ex ſe quicq̃ addiſcet, at nos iam artem totam & Galeni libros uiſos eſſe ſupponimus, ob id nihil obſtat, quin uos, & alii me præceptorem ueſtrum audiatis. Ex quo etiam patet qualis interpres eſſe debeat, qui toti arti quàm diligenter ſtuduerit. Qualis uero ſit auditor (quod ſeptimum erat caput) audiatis. Primum memor ſit, oportet, quem debeat librum intelligere, & ideo in primis nouiſſe debet qui ſit Hippocrates, mox libros eius, in quibus omnibus fuit obſcurus, inordinatus, & conciſus. Cum itaque talis fuerit

Hippocrates, optimus illi habēdus est interpres à quo hanc artem discipulus consequatur, cauendum à quæstionibus, & sophistarum cauillis, statimq; accedendū est ad tanti uiri arcana, nam Hippocrates in hoc primo Aphorismo nos uult admonere, ne tempus conteramus in nugis, cum uita sit breuis & ars longa, neque in quæstionibus insistamus, nam Galenus primo de locis affectis appellat quæstiones illas uanas, quæ ad artis finem non conducunt. Patet igitur num liber is sit Isagogicus, præterea qualis debeat esse Aphorismorum interpres, mox qui auditor. Postremum ex his, quæ uidenda sunt, est, cur Hippocrates Aphoristice scientiam hanc, tamq; obscure tradiderit, dicunt aliqui factum hoc ab eo fuisse, ut socordes, & indignos ab hac arte auerteret, quæ tamen solertibus utilis est. Hunc scribendi modum pleriq; philosophi etiā obseruarunt, nam & Pythagoras philophiam tradidit per symbologiam, sic & Plato in Thimeo per quædam arcana, sic & Aristoteles in tota Philosophia hunc ordinem obseruauit, sicut de seipso testatur in epistola ad Alexan. scripta. Ego uero haud credo hoc tali causa factum fuisse, cum Hippoc. uir bonus & ueracißimus fuerit, sed potius quia grauißimus & doctißimus erat, grauiter loquutus est, & breuiter. nunquam enim uulgaria, sed abdita tantum à uiris grauibus traduntur, & sæpe uir fortis est in hoc, qualis baiulus, cui leue pondus erit septē talentorum, alteri uero grauißimū, unde uiro discretißimo uidebitur esse leue aliquod uulgare, q̄ alteri grauißimū erit, & dif

ficillimum, quod ita eße Galen. sæpenumero. 3. de spirandi difficultate comprobat, sed hæc hactenus quantum ad præfationem pertinet.

APHORISMVS I.



ITA breuis, ars uero longa, occasio autem præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum oportet, præstare opportuna facientẽ, sed et ægrũ, et asidẽtes, et exteriora.

ORdo, quem in explicandis his Aphorismis seruaturus sum, talis semper erit, primum enim proponam Aphorismum, naturamq; eius perpendam, postea uero Galeni expositionem, quem imitabor, accipiam, ut Hippocratem, & Galenum simul interpretemur, deinde addam quæ erunt digna, ut addantur, quæ à nobis etiam fideliter declarabuntur, præterea si qua erunt dubia necessaria, soluemus, nam omnis dubitatio non est spernenda, nec omnis amplectenda, nõnullæ enim dubitationes sunt, quæ ex Aristotelis sententia animum ligant, quas soluere opus est. Quæ uanæ quæstiones sunt, eas prætermittendas esse iudicamus. Aphorismus iste (sicut inquit Galenus) horum septem librorum Aphorismos Hipp. continentium procemium est, siue unus sit Aphorismus, siue duo, quod quidem sub dubio profert Gale. cur uero circa hoc dubi-

tet, paulò infra uidebitis quicquid sit, iste Aphoris-
mus duas habet partes, quarum prima uerum Apho-
rismum continet, altera uero consilium, siue addita-
mentum, aut corrolarium quoddam. Primum declaro
primam partem, quam iuxta Galeni expositionem
explicabimus, nam neminem tum ex Græcis, tum ex
Arabibus et Latinis utiliorem ac præstantiorem Ga-
leno hucusq; uidere potui, derideo ego omnes alios
Græcos, & librum illum, seu expositionem Oribasii,
quoniam liber ille non fuit Oribasii, cum multa et plu
rima à ueritate absona, & contra medicinæ principia
in eo reperiantur, sed pedagogi potius cuiusdam, nos
itaque alios omittentes præter Galenum, uos rogatos
esse uolumus, ut si quando meam audieritis expositio-
nem, eam non abiiciatis. Dubitat Gal. & alii, Hippoc.
in hoc uecordissimum extitisse, qui hanc Aphorismi
partem procemii loco statuerit, cum nullam proœmii
conditionem obtineat, nam, ut latinos omittam, Arist.
testimoniũ suscipio. 3. rhetoricorum cap. 14. ad Theo
dectem, qui dicit, q. præfatio seu proœmium in se tres
debet habere conditiones q. s. auditorem attentum, do
cilem, ac beneuolum faciat, docilis uero fit, quoties rei
de qua sermo agendus est, argumentum proponimus,
unde auditorem maxime docilem reddidit, Poeta Mã
tuanus in principio Aeneidos inquiens, Arma uirũq;
cano, Redditur quinetiam attentus, quando ea, quæ à
nobis sunt pertractanda, pulchra, magna, & noua esse
proponimus, eaq; breuiter, ac dilucide peragere polli-
cemur, efficitur etiam beneuolus, cum res illas audito-
ris

ris utilitatis gratia, non gloria, non pompa, aut ambitione aucti docere promittimus, ex hoc enim maxima beneuolentia comparatur. Cum itaq; tria hæc in quolibet proœmio seruari debeant, Hipp. nullum horum seruasse uidetur, nam quo ad docilitatem attinet, quid de ea hoc in proœmio dixit? Nihil sanè, incipit enim Vita breuis, ars uero lõga, quibus uerbis nullum prorsus rei agendæ argumentum tribuit: atque ne ullam quidem attentionem acquirit, quinimmo totum oppositum fecisse uidetur, ex hoc nanq; loquendi modo medicinæ cupidi ab arte potius deterreri poßũt, cum ars ipsa longa respectu uitæ ab ullo acquiri nequeat. Quod etiã auditorẽ beneuolum nõ efficiat, palàm est, nã quam breuitatẽ, quamq; utilitatem seruare et præstare pollicetur? nullã mehercle, non igitur proœmii habet conditiones, nec ẽt proœmium erit Aphorismus hic primus, cũ potißimum Hip. uir egregius, & arte oratoria eloquẽtißimus fuerit, quẽadmodum in libris suis, et præcipue in lib. De flatibus manifeste patet, in quibus maxima eius eloquentia ostenditur, et præceptorẽ illum Gorgiam Agrigentinum oratorẽ optimũ habuerit, à quo perfectißime eloquentiam adeptus est de cuius eloquentia testes adsunt locupletißimi Plato, Aristoteles, Gal. et Themistius, qui uno ore ubique eum eße perfectißimum oratorem, ac medicum comprobarunt, non igitur eloquẽtißimus dici poterit nisi hoc loco boni oratoris decreta seruarit, aut Apho. qui est huius operis proœmiũ Hip. non erit, et ideo nõnulli de hac præfatione maxime fuerũt anxii. Qua de re

Galenus

Galenus in hoc commento ſex aliquorum opiniones diuerſas inter ſe recitat, qui hoc quæſitum quid.ſ.in hoc Aphoriſmo faciat Hipp.*diſſoluere tentarunt,prima eorum ſolutio fuit,ꝙ animos egregios ad hanc artem amplectendam hortaretur,ſegnes uero & imperitos haudquaquam, animi nanque ſolertes aliis omnibus corporis uoluptatibus omiſsis quàm primum ad hanc capeſcendam facultatem ſe accingere debent, quoniam cum ars ſit longa, & uita breuis,non omnes eam niſi ſolertes capeſcere poterunt,ea propter dicũt hi* Hipp.*hoc præpoſuiſſe procœmium.* Secunda *fuit ſolutio ob id propoſitum hoc ipſum fuiße, ut ſegnes ab optimis ingeniis ſecernerentur,docti enim atque egregii tantum abeſt,ut rei difficultate, quod ignauis accidit,deterreantur,ut potius alacriores fiant.*T*ertia ridicula eſt opinio,quã quidẽ ego omiſißem ſanè,niſi à* Galeno *adducta eßet, uidetur.n.iuxta hanc opinionẽ* Hipp.*omnes hic dehortari à medicinæ ſtudio, quod ſi eſſet, qui poſſet non malignus,atque adeo ſceleratus author uideri? Quarta etiam uidẽda eſt,quæ quidem ſuſtinet,* Hippocratem *uoluiße cauſam conſcribendi artem hanc* Aphoriſtice,*oſtendere,cum enim ars longa ſit, breuis autem uita hominis, ideo breuiſsima quoque docẽdi methodus erat inuenienda, alioqui nullo pacto poſſet acquiri.*Hinc *patet cur ars hæc* Aphoriſtice *tradita ſit. Quinta ſequitur ſolutio,qua uidetur* Hipp.*ipſe procœmium propoſuiße, ut clàm innueret medicam artem coniecturalem eße, de qua nulla poteſt certa haberi ſcientia,nempe coniecturalem eam*

eſſe

esse ex particulis Aphorismi arguunt quidem. Alii dicunt institutos fuisse medicos, quomodo præparari ad artem suam debeant, ne postea si fine suo aliquando frustrentur, qui sanitas est, admirentur, neque enim possunt ita operari, ut coriarii, qui facile finem consequuntur suum, hos igitur uoluit in principio monere de hoc, ut medicinam sibi comparādam properent. His adductis opinionibus, Gale. priusquam iudex earum sit, Aphorismum antea declarat, ita enim quæ nā istarum uera sit, manifestum fore arbitratur. In primis ergo distinguit, quia factis necessariis distinctionibus nihil ultra quærendum superest, cuius tamen oppositū, plerunque iuniores nostri faciunt, qui priusq̃ diuisione aliqua utantur, quæstiones proponunt, atq; argumentorum, distinctionumq́; aceruos adducunt, deinde uero dubitationes soluunt, cum tamen omnino diuerso modo ipsas diluere deberent, unde quid mirū est, si confusissimi isti cum sint, miseros nugis detineāt discipulos & sophismatibus? non uiderunt hercle Galenum, qui in libro De tuenda sanitate præcipit hanc esse legem pertractandæ quæstionis, ut prius subiectū quale sit, & prædicatum cognoscamus, postea uero si sit multiplex distinguamus, nam ex hoc omnes tolluntur ambiguitates, nos itaque Galeni dogma sequentes. ipsius uestigia imitabimur. Exponens igitur Aphorismum inquit, q; iste est tantummodo Aphorismus. Vita breuis, ars uero longa, cætera uero Aphorismi ratione adiecta sunt, uideatis modo, q̃ optime uera sint omnia, quæ à nobis superius sunt explicata, dicebamus. n.

Aphorismum breuissimam enunciationem esse, quã paucissimis uerbis omnes rei proprietates continẽtur, quæ quidem duplex erat, alia theorema, alia sententia nuncupabatur, theorema autem ad speculationem attinet, sententia uero est facta ad humanas obeundas actiones, atque circa agibilia uersatur, quod sanè theorema in duplici erat differentia, nam aliud ratione proferebatur, aliud uero absq; ratiõe, theorema, quod ratione profertur adhuc duas habet partes, aliud enim ratione implicita pronunciatur, ut tu quia mortalis es, immortalia ne cures, quandoque aliquod ratione explicita manifestatur, ut ne cures immortalia, quia à te aliena sunt immortalia, nam aliena non sunt curanda, sed propria. Hic Aphorismus est theorema cum ratione, & implicita, quæ implicita ratio uel Aphorismo anteponitur, uel postponitur, anteponitur quidẽ ratio, ut in secundo Aphorismo. In perturbationibus uentris si talia &c. In nonnullis uero aliis ratio postponitur, hæc autem omnia ab Aristotele primo Rhetoricorum c. 12. dicta, atque explicata reperietis. Cum igitur Aphorismus iste sit oratio breuis & concisa, postpositam rationem continet. His uero à nobis adeo explicatis, ut ne ullus quidem rudis ea ignorare arbitretur, ad uerborum sensum accedamus, in quibus non multum immorabimur, ne me esse grammaticum opinemini, inquit. Vita breuis, ars uero longa &c. Oratio ista ex quinque colis constituitur, nam κῶλον Græce, membrum Latine nuncupatur, uerbi gratia Cæsar uenturus in Itali, est unũ colum siue mẽbrum,

& immoraturus Arimini, secundum est colum, quod etiam à Græcis σκῶμμα dicitur. Demetrius quidã Phalernitanus hãc phrasim, et oratiõis genus ex his quinq; colis constitutũ ab Hipp. dãnauit ob eius nimiã breuitatẽ, hic.n. composuit librum de sermonis idea, in quo Hipp. fuiße hisce uerbis diminutum, nullamq; seruasse grauitatem ostendit. Sed decipitur iste, nam Hipp. uir optimus et grauissimus eodẽ pactò se gessit tũ locutione, tũ scriptura, ut cæteros homines grauitate præstaret, nec ob id damnandus est, ut qui sermonem hunc, tã breuẽ, tamq; concisum protulerit, nã hæc cola nonnunquam breui oratione proferuntur, quandoque uero longa ac diffusa, sicut si dicamus, omnes homines mutuo sibi inuicem in aliquo opere præstare student, ne uitã suam uituperose, aut silentio pertranseant, primum colum est explicatum, ac oratio diffusa ac clara ob sequentia uerba. At Hipp. concisa admodum cola, ut ob id Demetrius ille eum reprehensione dignum existimarit protulit, sed decipitur (ut dixi) et deinceps se ipsum corrigens, siue inconstans sibi, Hipp. nil melius dicere potuiße inquit, nihil.n. præstantius, est q̃ his commatibus uti, quibus breui sermone confectis & magnam sub se sententiam complectentibus grauissimi uiri, & sapientes, ut Hipp. utuntur, cuius rei dabat exemplũ Demetrius ipse de Rege ac seruo. Reges enim cũ uiri graues sint, sermone breui meritò utũtur, ac uix duas proferunt syllabas, serui uero uiles homines et abiecti supplicãtes longam faciunt orationem, cum igitur uir grauis fuerit Hipp. suis in libris & in hoc potissimũ

qui

qui cæteris omnibus libris anteponitur, grauissimum sermonem seruauit, quod idem fecit in libro illo de me dica trina siue de medici officio, qui omnium suorum uoluminum principium est, in cuius præfatione breui tate, & loquendi forma cum quinque commatibus, ut & hic, usus fuit, cum inquit. Similia ne, an dissimi lia sint, a principio obseruandum, ex maximis, ex difficillimis, et omnino quocũque modo cognitis. *Videatis quomodo illic sunt quinq; cola breuissima.* Vita breuis ars uero longa. *Aphorismus hucusque pertingit, seu procemium, quod tres consequuntur particulæ.* Nec solum seipsum præstare oportet &c. *Hic est epilogus Aphorismi, qui epilogus est, ratio im plicite adducta, sensus autem Aphorismi talis est, si cõ sideramus uitam humanam ad artem, certe respectu artis uita ipsa admodum breuis est, ratio autem lon gitudinis ipsius artis est, quoniam ad eam acquiren- dam, exercendamq; requiritur occasio, quæ lubrica mi rum in modum est, præterea experimentum, ultra hæc & iudicium. Quid igitur mirum? si tantum à uiris peritis sententiæ istæ implicitæ intelliguntur, rudes autem dum hæc percurrunt, unum tãtum esse cursum uerborum arbitrantur, et non plura distincta cõmata, Tria itaque ista difficillima sunt, quorum ratione ars est longa respectu uitæ, & notate, q, si comparemus (ut & annotant hic iuniores) longitudinem uitæ ad artem, dicemus ut supra, eam esse breuissimã in actio nibus, operationibusq;, nam in operationibus occasio (ut infra exponemus) est præceps. Quocirca primum*

par-

partem primam Aphorismi declarabo, deinceps & secundam. Pro eius uero explicatione uidendum est, quomodo uita hoc loco accipiatur, nec ut alii in quæstionibus uariis tempus conterentes, diutius immorabor, qui uitam quotupliciter sumatur distinguunt, sed tantum dicam, q uita humana accipitur pro toto illo spatio uitæ, quo uiuit homo, quod quidem spatium termino certo limitari non potest, neq; omnibus æquale est, sed secundum magis, & minus, iuxta quamlibet hominis temperaturam, aeris bonitatem, & humidi radicalis abundantiam, humidum enim radicale, ut dicebat Philosophus in libello De longitudine, & breuitate uitæ abbreuiat, & elongat uitam humanam, aliorumq; animantium, ipse enim posuit illas tres ætates animalium hominis scilicet corui, & elephantis, de quibus in præsentia, cum ea ad rem non pertineant nostram, nihil dicemus, commune tamen spatium uitæ hominis (ut uoluit Hesiodus) est centum annorum, & si homo uiueret mille annos, tamen uita illa esset breuior, q̃ ars, quod est probandum. Habito quid per uitam intelligẽdum sit, subsequenter uidendum puto, quid per artem intellexit Hippoc. Pro quo bene animaduertatis, q tũ secundum philosophum, tum secundum Gal. ars dupliciter capitur, quanuis Gal. hoc in loco non explicuerit, ob quod etiam eius expositio difficilis reddita fuit. Dicamus igitur primo eius diffinitionem, deinde diuisionem ponemus, diffinitio artis est, q est habitus intellectus, quo mediante unusquisque ad usum, & operationem dirigitur, quæ ars dupliciter accipitur, aliquan-

do pro habitu scientiæ acquisito ab ipso intellectu per disciplinam, alio modo pro usu illo, & exercitio prodeunte ab illa arte, quæ duæ partes abinuicem separari possunt, potest enim quis artem, & habitum habere, qui usu tamen artis careat, & econuerso, ut contingit de arte canendi, sunt enim multi, qui canendi habitum, & artem non ignorant, sed eius usum non habent, sic uidebitis quandoque medicos aliquos in cathedris artem medicam clamantes, sed ne minimum quidem operari sciunt, reperiuntur etiam medici habitu carẽtes, & usum & exercitium tenentes, ut sunt moderni Empirici, qui cũ triginta habent receptas, uniuersum peragrant orbem, medicantes, non medentes, quare aliud est habitus, & aliud usus, & artis exercitatio, patet etiam, quomodo sæpe unus ab altero separatur, & usus ab habitu, & habitus ab usu, & quomodo interdum ambo in aliquibus simul coniunguntur, unde artifex perfectus in arte medica, nec in aliis est nuncupandus, qui habitum habeat, & usum ignoret, & è contra, sed ambæ hæ partes sunt necessariæ, ut quis recte incedat, ac ambulet, quas Gal. 9. Therapeutices crura appellauit, nã habitus appellatur crus dextrũ, usus uero sinistrum, ideo dicebat ipse, qui tantum habitum, & methodum callet, usum uero ignorat, ille tantum crure dextro procedit, & claudicat, quia sinistro caret, ut autem medicus recte ambulet, & nõ claudicet, duo hæc crura habere debet methodum, siue habitum, & usum, siue exercitium. Quo uiso inquirendum modo est, cum Hippoc. dixerit artem esse longam de qua nam intelligat, an de

illa quæ,capitur pro habitu, an uero de ea quæ usu acquiritur. Sciendum est in primis quomodo acquiritur habitus,& quomodo usus,habitus quo nam pacto comparatur? Hoc quippe,cum homo proponit sibi subiectũ determinatum de quo debet considerare actiones omnes,& passiones,ex quibus cognitis,& bene consideratis acquiritur scientia,uel ars,declaro per exemplum de musica,si aliquis uult acquirere musicam primum accipiendum est subiectum ab ipso addiscente scilicet sonus,non tamen quicunque sonus, sed armonicus tantum,hac enim differentia appropriat sibi subiectum, postea passiones omnes,& actiones circa ipsum subiectum contingentes considerat, cum musicus acquisiuerit has omnes passiones,& actiones,eorumq; notitiam calluerit,habitum tunc habet musicæ, & tunc dicitur musicus in habitu duntaxat, sic de medico dicendum. Qui uult addiscere medicinam,oportet q̃ primum sibi proponat corpus humanum quatenus sanabile, & ægrotabile pro subiecto,de quo deinde incipit quærere,& inuestigare actiones, & passiones omnes, quæ circa ipsum occurrunt,quarum notitia habita ille dicitur habere tantum habitum:ignorat autem usum medicinæ , uideamus modo qui nam est qui habet usum artis, Verbi gratia medicinæ,& quomodo acquiritur. Acquiritur enim ab illo usus artis,cum ab artifice ipsa uniuersalia Theoremata per habitum acquisita ad ipsa particularia scilicet ad usum,& ad exercitium faciendo epilogismum applicantur, sic enim intellectus applicando uniuersalia particularibus, & con-

cludendo particulare aliquod discurrit, sicut facit Arist. tum in 6. Ethicorum, tum etiam in 7. eiusdem, do exemplum, ut melius res accipiatur, Verbi gratia sit medicus, qui tantum habeat huius artis habitum, & omnes actiones, operationesq; humani corporis optime percipiat, uult iste se exercere, & usum huius artis adipisci, opus est, q. discurrat, quomodo illa uniuersalia iam per ipsum habita (quod fit discursu) particularibus applicentur, ut autem hoc sciatur, debet hoc pacto fieri processus, proponatur in arte, q. aliquis pleuritide laboret, quomodo particularibus uniuersalia applicabis? à quo nam incipies? quippe à notione finis. Vnde à dolore pleuritidis est inchoandum, inquirendo quisnam sit dolor ille, & unde causetur. Sed quid nam est dolor pleuriticus? nihil aliud sanè, quàm inflammatio materiæ ab uno loco ad alium præter naturam defluẽtis. Hoc habito per essentiam ipsius morbi uidelicet, q. dolor iste à materiæ in fluxu proueniat, tunc per hanc notitiam huiusce morbi inuenietis, q. suo eget contrario ob maximam illam propositionem, q. contrariis contraria curantur, suum uerò contrarium est diuersio eius à loco inflammato. Trahendum igitur est ab ea parte, ad quam fluit ad partem oppositam, ut uerbi gratia si fluit ad partem sinistram trahatur per diuersionem ad dextram, & econuerso, si uerò sursum rapit, trahatur deorsum, si à parte ante ad partem posteriorem, & è contra protrahatur cum uero ad hunc particularem actum deuenietis, facienda demum est particularis conclusio, ut ita faciatis ratiocinationem.

Vbicunque materia in corpore humano præternatu-raliter ab uno membro ad aliud fluit, tunc diuersione uti oportet ad oppositam partem, quæcunque sit illa, ad quam confluit humor, siue dextra, siue sinistra, siue sursum, siue ante, siue retro (uideatis quæso discursum per epilogismum ab uniuersalibus ad particularia cõcludendo particulariter) sed in Socrate est humor fluens à parte inferna ad partem superiorem, si debet intercipi, et remoueri iste fluxus, ergo debet ad oppositam partem scilicet ad partem inferiorem trahi. Vnde absque eo q; inferatur cõclusio poteritis operari, quia conclusio syllogismi in arte medica est ipsa actio, & operatio, quæ in actu practico consistit, ex hoc igitur per hunc epilogismum habetis quid agendum sit, patet quin etiam, quis sit artis habitus, & usus, & exercitum, quod ab experientia dirigitur, quæ sanè (ut dixi) duo sunt crura dextrum scilicet & sinistrum. His expeditis hanc statuo conclusionem, q; si ars tantum pro habitu intellectus cõsideretur, breuissima est, et non longa & breui admodum tempore acquiri potest, si uerò ars pro usu emanante ab illo habitu accipitur, dico, q; hoc pacto ars est longa, & respectu uitæ longissima, nec quispiam unq̃ potuit hanc artem assequi, etiam simile uitas haberet, quæ singulæ mille annis constarent. Quòd uerò ars pro habitu accepta sit breuis, & finita ratione, & authoritate comprobatur. Primum quidem ratione, à priori per essentiã assumpta. Nam Aristot. Gal. et Pla. inquiunt, q; habitus uel scientia est ratio determinati subiecti actiones, et passiones eius cõside-

siderans, sed actiones, & paßiones ipsius subiecti breui tempore acquiri possunt, cum uniuersales sint, & finitæ, ac determinatæ, si (ut æquum est) in specie, non in indiuiduo considerentur. Vnde Gal. 2. uel 3. De differentiis pulsuum illos deridebat, qui actiones, & passiones in indiuiduo, ut in Dione inquirebãt, ac considerabant, hoc enim pacto sunt infinitæ. Ob id dicebat ipse, debemus accidentia, & paßiones non in indiuiduo, sed in specie considerare, quæ quidem hunc in modum considerata facile acquirere possumus, quia sic finitæ sunt, & breui tempore indigent. Quod etiam authoritate confirmatur. Nam Galenus nono De placitis Hippocratis, & Plat. inquit, quod omnis methodus, & omnis ars uno anno disci potest. Qui enim bonum ingenium habet, & bonum discursum unius anni tempore habitum scientiæ acquirere aptus est, & exemplum de musico tradit, ipsius enim habitus, uno anno, & breui admodum tempore perdisci potest, postea subiungit Galenus, si uerò quis usum acquirere exoptat, qui ab eo artis habitu progreditur, & ipsum recte assequi, tunc ei totum uitæ suæ curriculum non sufficiet. Sed cur adeo difficile sit uersari per tãtum temporis spacium in huiusmodi artis usu ab illo habitu progrediente in uniuersum dicam, q; eius ratio est, quoniam in omnibus rebus agendis ab uniuersalibus ad particularia procedendo primum occasio ad hoc apta inuenienda est, quæ ad modum difficillima, ac præceps existit, quoniam subiectum circa quod usus iste uersatur, non est adeo dispositum, ut semper eodem se habeat modo,

do, cum in continua alteratione, mutatione, & fluxu existat. Vnde maxima solertia, summaq; sapientia occasio reperienda, expectandaq; est, ut tempestiue circa ipsum operari poßimus. Non. n. sumus, ut fabri, aut coriarii, qui nulla sumpta occasione propter sui subiecti immutabilitatem quocunque tempore operari inchoant. Sed apud nos medicos, qui circa corpus humanũ uersamur, subiectum adeo nobile, quod continuè fluit, & mutatur, difficillime occasio idonea ad actiones sub eundas inuenitur. Quo fit, ut nostra occasio in rebus agendis, maxime sit præceps, unde plurimo tempore, et maxima difficultate usus hic acquiritur. Deinde est experimentum, quod quidem fallax est, non enim semper, quæ experimur, ad finem intentum deducuntur. Præterea periculosum est, ob corporis humani substantiam, & nobilitatem, cum omnium corruptibilium perfectißimum sit. Nam ualde fatuũ est in tam nobili subiecto facere periculum, quoniam mors sæpe ob malum experimẽtũ inducitur. Tertio redditur difficilis usus iste ob iudicium difficile. Difficillimum. n. est recte iudicare. Nam non omnibus hominibus contingit adire corinthum. Verũ, ut hoc apertius patefiat, exemplo satis claro illustrabo. Adsit pleuriticus, à quo dolorẽ amouere intendimus, ꝑ uniuersalia facile poterimus discurrere, ꝙ scilicet in omni fluxu ad oppositũ diuertendo trahere debemus, præterea, ꝙ hic sit in pleura dolor qui ex repletione prouenit, & ꝙ iste fluxus materiei præternaturalis est à partib. inferioribus ad superiora ascendentis, & ob id diuersione ad oppositã regio

 nem

nem ſalus paranda eſt, ſed in Socrate eſt iſte fluxus, cũ tali dolore, in eo igitur amouendus eſt per diuerſionẽ. Omnes quidem hoc facile addiſcere poſsũt, at quid ſit agendum in tali indiuiduo, & quomodo hoc difficillimum eſt. Nam occurrunt tibi tria monſtra indomabilia, quæ nos perturbant, et opus noſtrum acquiſitu difficillimum reddũt. Primum monſtrum eſt occaſio, quo nam tempore hæc peragenda ſint, debemus enim ad oppoſitum trahere, utrum modo cõueniat in tempore doloris nec ne? dubium eſt. Nam dicebat Auicenna cum euacuare uolueris, dolorem prius ſedato. Ideo inuenienda ſunt remedia opportuna ad ſedandum prius dolorem, ſi occaſionem reperire uis, & tempus idoneum operandi. Secundum, quod occurrit, monſtrum, eſt experimentum fallax, & periculoſum. hoc enim (ſi uerſabimini circa corpora humana) clarè cognoſcetis, ꝙ ſi ob id circa aliquod corpus error committitur, tota medici authoritas tollitur, nam fine ſuo intento fruſtratur, & ſanitatem inducere intendens morbum maiorem, aut etiam mortem quandoque ob experimenti fallaciam inducet. Tertium ſeſe offert monſtrum, & eſt iudicium. Iudicare enim an ante, uel poſt aliquod ſit faciendum haud facile eſt, ut utrum ante exhibere tale pharmacum ſit bene, an male factum, poſtea ſi quis exhibuerit ipſum, & contulerit poſt eius aſſumptionem æger ſudauerit, difficile eſt iudicare nunquid à pharmaco, an ab ipſa natura fuerit ſanitati reſtitutus. Quare tria hæc monſtra uobis parata nunq̃ habebitis, quin ſemper quid horum deſit. Hæc tria ſunt monſtra, per

quæ unusquisque medicus transire debet, quorum ratione actio, & usus difficilis redditur, ob id Auerroes (ut in suo colliget uidere licet) cum tamen perfectissimum haberet habitum, medicam hanc artem exercere noluit. Quo circa Gal. 2. Therapeutices talem artis difficultatem considerans inquit, si quis ab uniuersalibus ad particularia procedere uoluerit, & artē præstantißimam exercere, opus est, eum ingeniosum esse, multumq; studiis incumbere, & penitus ab omni cura solicitudinibusq; seiunctum, & ab omnibus aliis denique impedimentis, ueluti paupertate alienum, & omnia fortunæ bona contemnere, quoniam huius artis difficultas hoc exigit, nam omnes mederi possunt, sed nō omnes honorem consequuntur, qui uerò magis circa hoc se dederit, eò magis ad supremos gradus extolletur, quemadmodum multi primates sunt apud Regem, licet ad ultimam perfectionem peruenire non poßint. Cum igitur longus sit artis usus, ars ista erit longa respectu uitæ, non quidem ars illa, quæ habitus est duntaxat, sed ars illa, q̃ pro usu accipitur, quemadmodum ex Gal. 9. De placitis colligi potest. Hæc est huius Aphor. uera sententia. Quoad Hippoc. uerba subsequentia, rationem adducit, quare ars longa est respectu uitæ, & tria ponit monstra, ut superius explicauimus. quorum primum est occasio. Quod autem in arte medica occasio de neceßitate requiratur, & in omnibus rebus agendis, tum à posteriori, siue signo, tum à priori comprobatur, primum à posteriori, quoniā nisi, qui amat puellam, occasionem expectauerit, dum secum al

loqui,& eius finem assequi intendit,nihil boni efficiet profectò,sed data occasione,statim finem intentum adipiscitur,pariter qui uult cũ principe aliquo loqui,occasionem debet morari, nam non expectata occasione contumeliis afficeretur, in omnibus igitur actionibus expectanda est idonea occasio,et ideo dicebat magnus Ille Poeta Græcus . Maximum, quod præest omnibus actionibus,est ipsa occasio,ex quo factum est uulgatum illud uerbum apud Græcos, q; nullum est bonum, nisi opportunè,& recte fiat,hæc est à signo, & posteriori probatio. Quæ uerò à priori accipi potest, hæc est, nam in qualibet actione recte agenda requiritur, q; agens proportionetur passo,aliter non fiet bona actio, oportet inquam sit bona dispositio passi, ut agens cito agat in illud.Proportio autem uera inter agens,et passum seruatur,cum agens paratum erit ad agendum,et passum ad recipiendum, ista autem dispositio maxime habetur,& elicitur occasione,seruata enim debita occasione,quæ eligatur, siue passum sit animus, siue corpus,semper id passum disponetur ad agentem,alioquin nec bona actio,nec bonum opus,nec bona impressio efficietur,hoc igitur à priori quoque compertũ est.Quãtum uero attinet ad eius difficultatem , quam scilicet difficillime occasio ista cognoscatur , hoc facile uidere licet.in omnibus rebus humanis, quæ quidem in quodã tempore imperceptibili consistit. Ideo Galenus primo ad Glauconem recte dicebat,nihil in rebus agendis difficilius esse,quam occasionem inuenire,cum in quodam temporis puncto indiuisibili consistat propterea Poe-

tæ

tæ recti occasionem ipsam tantum in fronte comatam, & capillis insignitam in occipite uero caluam, & depilatā finxerunt, quoniam illa facillime, uelocissimeq; subterfugit, per hoc enim innuebant hi, ꝗ cum occasio ipsa scilicet fortuna in fronte sese offert si statim est capienda, quia cum postea frontem auerterit, ea amplius capi non potest: & ex hoc etiam satis constat quantum sit præceps tempus, & uelox, & occasio ipsa, quæ temporis est pars, fluxibilis, cum de tempore non habeamus, nec futurum, nec præteritum, sed tantum punctum, quod est instans, & indiuisibile, teste philosopho. 4. phys. Ex parte igitur temporis est præceps occasio, & ex parte actionis, & alterationis, circa quam ipsa uersatur, nam si uersamur circa animos hominum hortandos, & dehortandos, uidemus, ꝗ continue eorum sententiæ, & uoluntates commutantur, pariter corpus humanum, circa quod medicus agit, quam mutabile, & alterabile continue sit, omnes norunt, unde & occasio solet etiam appellari colliquatio, quoniam corpus colliquat, nec quid idem permanere sinit: Immo solet etiam dici, quòd non est eadē sanitas in mane & in sero, quia continue mutatur corpus, & quæ in eo continentur, semper alterantur, quod si hoc in sanitate fit, quid fiet in corpore laborante morbo aliquo ratione causarum, tum extrinsecarum, tum abditarum? Nam si medicus aliquid circa corpus operari instituet, statim ex aliquo strepitu, uel in domo, uel extra domum corpus immutatur, & medici operatio impeditur, quoniam occasio præfixa immuta-

tur,

tur;quæ deterret medicum,ut non poßit, quod intendebat,agere,quid mirum?si ista ars in tota uita nõ acquiratur?cum hæc occasio adeo necessaria, & cognitu difficilis existat,ut ab homine exercitatißimo uix percipi poßit,quid etiam fidendum de hac arte ratione huius occasionis?& hinc unũ aliud exoritur, q̃ si quis praua aliqua arte imbutus fuerit,quanto in ea procedet,tanto efficietur prauior & in deterius semper senescet,sed si bonum aliquem habitum habuerit, totum continget oppositum,ideo uos hortor, ut totis uiribus hos bonos habitus(quo ad fieri potest) habere insudetis,& bonum deinde usum, atque exercitationem perfectissimam,ut primo perfectionis gradui accedatis, quemadmodum fecit Hippocr. & Galenus quod si ad illum gradum ascendere non dabitur facultas saltem secundo gradui proximi esse studeatis.sic in Republica multi sunt gradus,in qua aliqui principatum attingunt,nulli succedunt,alii uerò subsequuntur,& hæc dicta sint de occasione.Secundum monstrum quod occurrit est experimentum.Tertium est iudicium difficile, quæ duo ultima simul pono , quemadmodum facit Galenus,quem nunc sequo, cuius expositionem super hoc notate,nam nos alterius erimus opinionis, dicit enim, q̃ experimentum est fallax, & iudicium difficile propter inuentionem artis,accommodat,enim hæc duo ad inuentionem artis,tanquàm duo principia, & instrumenta in omnibus artibus,& scientiis acquirendis,q̃d sumpsit ab Aristotele in prooemio methaphysices,quodcunque autem horum sumatur , semper erit difficillimum,

mum, quomodo autem experimentum conferat arti, demus exemplum, quoniam per ipsum inueniemus principia in arte, sicuti maiores nostri, qui reubarbarum purgare coleram reperiere, non enim rationem, sed experimentum in hoc habuerunt, quoniam à proprietate sua hunc in modum operatur, & ideo Galenus in 5. De simplici medicina dicebat, q; illa, quæ à proprietate operantur, nullo modo methodo scilicet iudicio, & ratione, sed tantum experientia haberi possunt, ut est de reubarbaro, quòd purget coleram, unde perpendite quantam utilitatem afferat arti experimentum, pariter ratione, & iudicio aliquid acquiritur in arte, nam si sit ulcus curandum, si applicamus oleum, tunc inducemus in ulcere putrefactionem, eo quia oleum humectat, & quid etiam deterius efficietur, si uero applicabitis eruginem æris in ulcere maxima profectò mordicatio, corrosio, & dolor generabitur, quæ iudicium & ratio considerãs, quomodo ex his duobus simul mixtis unum tertium conficiatur, q; ulcus consolidet (ut inquit Galenus) nec corrodat, nec putrefaciat, & unguentum nuncupabitur ad ulcera consolidanda, nemo igitur inuenit hæc duo simul mixta iuuare in tali casu, & separata nocere, nisi ratio ipsa, siue iudicium, unde cum sint duo ista instrumenta experimentum scilicet & iudicium ad artem, uel scientiam inueniendã, ambo quidem difficillima existunt, nam quid experimento difficilius? si enim uolumus nouum aliquod in Socrate experiri, illud forte non conferat, tunc aut tale corpus lædemus, aut necabimus, ideo experimen-

tum periculosum est, ob subiecti nobilitatem, in quo fit actio. non enim sumus fabri nec coriarii, qui uersantur circa subiecta inanimata, aut irrationabilia, sed uersamur circa subiectum humanum corpus, quod deperditum non potest amplius refici. Pari modo iudicium est difficillimum in omni parte medicinæ, quod Galenus probat à signo, nam hoc facile deprehendi potest ex nostris maioribus medicis, inter quos magna fuit dissentio circa humani corporis fabricam multumq; circa eius principia laborarunt, quia iudicium in rei quæsitæ ueritate discernenda multiplex, diuersum, ac difficile erat, nam medicus uersatur propter corpus humanum circa tria scilicet substantiam corporis, humores, et passiones, alterationesq; tanquam eius principia, circa quæ apud ueteres maxima discordia cernitur. & primum circa substantiam corporis Asclepiades extitit, qui corpus humanum ex principiis indiuisibilibus athomis constitui putauit, quã eandem Epicuri sequuti sunt opinionem, Hipp. uerò, & Galenus principia corporis humani esse quatuor elementa statuerunt. Postea inter se fuerunt discordes de propriis, & propinquis humani corporis principiis, uidelicet humoribus. Nam Erasistratus, et cum illo Aristoteles sanguinem tantum eße uoluerunt pro corporis substãtia, qui quidem solus eßet humor, cæteri uerò excrementa, tanquã inutilia, si ad sanguinem comparentur. Hipp. autem in libro De natura humana ualidissimis argumentis humores, & ex quibus ut necessariis corpus humanum sit constitutum, quatuor eße demonstrat. De spiritibus

quoque

quoque non parua fuit discordia, nam Peripatetici unum tantum spiritum uitalem non distinctum ab animali esse contendunt. Hipp. uerò tres spiritus necessario distinctos in humano corpore animalem, uitalem, & naturalem posuit. Sic et de solidis membris desidẽt antiqui, quo fit, ut iudicium difficile reddatur, cum circa humani corporis substantiam adinuicem ualde differant. Pari pacto circa facultatem (si recte perpendamus) Aristoteles, & Peripatetici cum Erasistrato unã tantum esse facultatem uigentem in corde, quæ sola dat, et præstat uarias actiones diuersis corporis membris, esse uoluerunt. At Hipp. tres esse existimauit facultates similiter circa alterationes, et passiones quãta difficultas orta sit, palã est. Aliqui enim, inter quos fuit Hipp. à quatuor qualitatibus primis caliditate, humiditate, frigiditate, et siccitate alterationis fieri asseuerant, ex quorum inæqualitate alteratio in humano corpore contingat, alii autem, ut methodici, quos improbat Galenus in libro De sectis, et in libris De arte curatiua, et etiam in illo De constitutione artis, alterationes à densitate, et raritate, siue à constrictione, et dilatatione cooriri uoluerunt. Quidam uero ob partiũ similarium mutationem, quæ erant indiuisibilia illa corpuscula, ut q̃ ea ex rotundis acuta fierẽt, et ex acutis rotunda. Quanta fuerit etiã de curatione controuersia, breuitati studens non dicam. Hæc autem omnia exoriuntur, eo q̃ iudicium difficile est. Cum ergo experimentum sit periculosum, occasio præceps, et iudiciũ difficile, et Galenus concludit, q̃ ad inueniendã artem

nulla ætas sufficit, ut ab uno solo integre constitui possit, quæ tamen ars traditur per manus, ut q̃ unus diminute inuenerit, & cœperit, alter magis compleat, & adiiciat. artes. n. per additamenta, & ætates perficiuntur, ideo ars est longa, quia medicina in unica uita, & ætate constitui non potest. Hæc fuit Galeni expositio, quæ in se uera est, at in hoc peccat, quoniam quando Hippocrates dicit, artem esse longam non intelligit quoad artis inuentionem, nam si sic intelligeremus multa sequerentur absurda. primum quidem, quoniam nos Hippocratem (ut facit Galenus) artis inuentorem faceremus, quod minime uerum est, qui Hippocrates hic, & ubique in Aphorismis docet, quomodo ars p̃fici debeat, non quomodo inuenienda sit, docet enim artem iam inuentam, nulla autem hic fiet mentio ab eo de artis inuentione, sicuti uoluit Galenus, qui in hoc deceptus est. Ante enim Hippocratem ars ista constituta erat, unde si hoc ipse doceret in Aphorismis, recte diceret Galenus, quod tamen nunquam reperietur. Quod autem ante Hippoc. ars ista fuerit reperta, testatur ipsemet Galenus ubique inquiens, Aesculapium hanc reperisse facultatem, quod & confirmat Plato (si ei credere dignum est) in Phædone, & in quarto De re publica, Aesculapius fuit primus qui methodo medicam artem in Theoremata referre, & constituere incœpit, cui quæ relicta erant, postea per successionem addiderunt alii. Nam Hippocr. habuit patrem suum Heraclydem, & alios antiquos præcessores, qui de arte ista constituenda quamplurima scripserunt. Sed dicet quis

Hippoc.

Hippoc. artem inuenit, sed non perficit. Dico quod praeces sores sui fuerunt, qui hanc inuenerunt artem, postea uerò ipse per additamenta eam perfecit, sic, & Galenus perfecit, ut ubique de se ipso attestatur. Ego nihil inueni (inquit) sed quicquid ab Hipp. habui, explico, nam ille obscurè, & enigmaticè ea pertractauit, ego uerò diffusius, ac distinctius interpraetor, expono, & dilucido. Et si quid de nouo in arte constituit Hippo. non fecit in Aphorismorum libro, qui sunt in ultimae conclusiones artis medicae, quem librum in senectute sua ad usum, atque memoriam medicorum compilauit. Praeterea si Hippocrates De artis inuentione intelligeret (ut asserit Galenus) frustra addidisset, illud uerbum Occasio, quoniam in arte inuenienda, & constituenda non requiritur occasio, quia si uultis artem constituere, singulo die, & qualibet hora, & tempore inuentionis occasio sese offert, sed in exhibitione medicinae alicui aegro necessariò occasio requiritur, quae in experimento, exercitatione, ac usu consistit, quae quidem medicina si tēpore debito exhibeatur erit, ut manus Dei, sin minus, contra. Non est igitur credendum, quod Hippocrates De artis inuentione intelligat, sed de usu, & exercitatione, ita quod ars sit longa ratione usus, & experimenti, quae ars occasione, quae praeceps est, iudicio difficili, & experimento periculoso indiget. Quid igitur dicis Galene? cum Hippo. hic non intelligat. nec de artis constitutione, nec de habitu sed duntaxat de eius usu, Concludendum itaque est Galenum in hoc grauiter errasse, cuius causa fuit, quoniam artem, & usum

artis, haud quaquàm distinxerat, cum tamen distinguere necessarium foret. Sed ut quid pro ueritate sententiam uobis aperiam, Galenum semper summum uirum fuisse putaui, & quicquid dico, & habeo, fateor me id totum ab eo accepisse. Verum tamen non semper idem est, ubique Galenus, nec semper sibi constat, quia sæpe se emendat & corrigit, quod sanè faciunt hi, qui multa, ac uaria uolumina ob multam facundiam, & doctrinam scriptitant, rarò tamen, quod scripserunt, emendant, quemadmodum etiam Gal. uir doctißimus, qui cõplures libros componebat, rarò tamen eos emendabat. Omissa igitur Gal. expositione dicamus, q; agit de usu tantum artis, qui experimento, iudicio, ac occasione indiget. Pro quo debetis scire q; in omni cura, & medicinæ opere (ut etiam refert Gal. in libris Therapeutices) ratio actionum semper ab indicationibus sumitur quæ quidem, uel à morbo, uel à causis morbi deprehẽdũtur, ut uerbi gratia uolumus aliquod corpus euacuare, quid est, quod hoc nobis indicat? repletio sanè ipsa. Debet igitur fieri euacuatio, nam contraria contrariis curantur, ob id medicina euacuans requiritur, q; aliter fieri nõ potest. Facile habitus medici discurrit huc usque, dum uerò ab uniuersalibus ad particularia descendere uult aliquis, & medicamentum Verbi gratia scamoneum exhibere, insurgit difficultas, & tũc me dico se offert experimentum, q; est tum periculosum, tum fallax, periculosum ob subiecti nobilitatem, fallax uerò, quoniam circa tale subiectum corpus humanum rerum agendarum differentias cognoscere difficillimũ

est,

est, ob id si medicus circa corpus ægrum distinctè pro cedere desiderat, distinctè indicationes habendæ sunt, quæ (ut dixi) uel à morbo, uel à causis morbi sumũtur. Videndumq; est primũ qui humor sit peccans, quo ha bito tunc quid agendum, & quid euacuandũ sit cogno scetis. Secundo quantum agendum, & euacuandum sit, habere opus est, quod haberi minime potest, nisi prius quantitas lapsus cognoscatur, quæ lapsus quantitas nõ rectè comprehenditur, nisi antea corporis quod specu landum subiicitur, temperies exactè cognoscatur. Hoc autem negocium difficillimum est scire. Vnde Gal. 3. methodi dicebat, si ego temperaturã corporis scire pos sem, qualis nã sit in singulo corpore, et in quo gradu, me esse Aesculapium existimarem, quod etiam in libro primo ad Glauconem asserit, ubi inquit melius est cu rare ægrum, cum quo fuerit medicus diutius uersatus, q̃ illum, quẽ non nouerit antea. Supposito adhuc, q; me dicus etiam habeat conditionem hanc quantum euacuã dum sit, non sufficit hoc, quoniam oportet etiam uidere, quomodo euacuare liceat, & quomodo non, hæc autem ab ægri natura, & temperie indicatio exoritur. Si mo do uultis uos exercere, tũc occurrit primo occasio, ma xime præceps quæ nisi exquisite habeatur, nihil boni nisi casu in actione assequemini. Habendum præterea est, quid agendum sit, pro quo tenendus est humor pec cans, at quoniam sæpe causæ morborum latent, nec pos sunt haberi. Ignoti sunt etiam morbi, & à qua pen deant causa, & consequenter quid agendum recte ha beri non potest, unde Gal. in libris de locis affectis di-

cebat, ob id accidere artem hanc coniecturalem esse, oportet quin etiam scire quantū agendum sit ꝙ sine præcognitione lapsus morbi, et temperaturæ acquiri non potest. Ideo experimentum ratione nobilitatis subiecti periculosum, ratione uero quantitatis, & gradus temperaturæ redditur fallax, infinitæ enim sunt indiuiduales naturæ quas cognoscere minime possumus, ob id longißima ætas ad hæc reperienda requiritur medico unde nemo perfectus medicus fieri potest : qui perfectißimum habitum obtineat, attamen usum, & exercitium non recte callebit, nisi mille annos in arte fuerit uersatus. unde Auer. in 6. colliget dicebat, unum fuisse tantummodo medicum scilicet Auenzoarem, qui suo iudicio profectißime medicinā calluit, qui uix à lacte remotus circa 7. ætatis suæ annum cum patre circa artis usum usque ad 40. annum uersari cæpit, Nam 40. ætatis Auenzoaris pater eius è uita discesßit. Auenzoar ad 135. annos peruenit, qui ob longam suam uitam artis habitum cum usu applicauit. Quamobrē nunquàm aliquis erit perfectus medicus, etiam si exquisite de tota medicina loqui sciat, & optimum habitum calleat, nisi habitum usu accommodet, at nullus id præstare haud facile potest, nisi Aesculapius, & tanquàm Deus efficiatur. Difficillima igitur est ars, primo ob occasionem præcipitē. Quemadmodum testatur Ga. 1. ad Glauconem à principio, postea ob experimentum, deinde ob iudicium circa rerum agendarum differentias, non tamen ob id ullus à spe frustrari debet, quandoquidē hic de aquisitione perfecti finis, qui difficilli

me acquiritur loquimur,quod & Gal.loco citato uole
bat,nam & si finem hunc medicinæ perfectum attinge
re non ualemus,tamẽsi methodo utemur,magis erimus
perfecti medici, dum nos transibimus ad usum artis,
quàm medici ignari,et qui methodo carent ueluti Em
pirici sunt. Non igitur desperemus,sed alios antecelle
re conemur, ut saltim, quo ad fieri potest,illum perfe-
ctionis gradum attingamus. Et hæc pro ueritate hu-
ius primæ partis Aphorismi,tum secundum Galeni ex
positionem,tum meam intelligentiam satis dicta sint.
Restat modo(quod polliciti sumus ut faciat Gal.) ostẽ
dere,quare in hoc opere factum sit hoc proœmium.su
perius sex medicorum opiniones in medium attulimus
quarum unam tantummodo accipit Gal. duas uero nõ
improbat,tres uerò alias uituperat.Illa,quã acceptat,
est,q̃ tradat rationem,cur scripserit Hippoc.Aphoris-
mos,nam si in hoc proœmio docebit,nos ad scribendos
Aphorismos obscurè accedere debere, nihil erit magis
aptius,atque ad propositum conuenientius, quippe in
eo primum argumentum ponitur,ex quo docilis audi
tor fit postea attentus, quoniam ratio scribendi hunc
in modum demonstratur,præterea beneuolus fit,quo-
niam lector perutilia audiet. Ars enim inquit est lon-
ga respectu uitæ,uita autem ualde breuis respectu ar
tis, ob id oportet modum primum reperire, per quem
breuis,& integras regulas habetis,quibus,quid agen
dam sit,sciatis in partibus absque hoc,q̃ semper discur
ratis resoluendo à subiecto ipso usque ad ultima par-
ticularia,quocirca inquit Hippoc.Ego uos docebo re-

gulas, tanquam in speculum agendo, quibus uos optime in arte exercere ualeatis, palam igitur est, q̃ bene istud prooemium hoc loco positum quadret, quin etiam optime inter illas sex ueram opinionem eligat Galen. quæ breuiter rationem, & causam tribuit, cur hoc opus ediderit, manifestum est etiam q̃ bene prooemium hoc huic loco ab Hippo. fuerit applicitum, in quo illa tria iã dicta prooemio deseruiẽtia seruãtur, ut scilicet auditorem beneuolum, attentum, & docilem efficiat, inquit enim q, non tantum expedit dare discursum per habitum ad inueniendam artem, sed & regulas quoq; particulares, ut est illa. Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter tolerat. Indigemus enim quandoque regulis particularibus breuissimis in rebus agendis, quæ sumuntur à principiis ueris ipsius artis, nam si semper à principio ad finem discurrere uelletis maxima diligentia & summus labor requiretur quod pro omnibus opus non est, hinc etiam apparet, q̃ bene Auicenna tradendo illum librum Canticæ processerit, liber iste est regula, & canon medicinæ, in quo totam complectitur artẽ. Intelligebat enim quã eẽt difficile ab uniuersalibus ad ultima particularia procedere, meliusq; esse, ut regulis quibusdam breuibus artem exerceret, et hinc colligatis, q, male faciũt hi, qui hoc tempore Auicennam excluserũt, qui me hercle admirabilis apud nostros antiquos extitit, cum totum Galenum in regulas, Et axiomata redegerit, unũ etiam non præteribo, q, Auicennistæ facilius operantur, q̃ apparentes, imaginariiq; Galenistæ, uerum er-

rauerunt Auicennistæ quosdam antiquos insequentes, qui regulis tantum procedebant, non applicando artem ad methodum, unde tandem, & methodum, & regulas particulares amiserunt. Hippocr. itaque primus fuit, qui has regulas particulares inuenit, deinceps Auicenna eum sequutus est, qui librum Canticæ composuit non tamen Aphoristice, sed duntaxat summarie, & hæc satis dicta sint, quare positum sit ab Hippocr. hoc procemium iuxta ueram illam opinionem. Sũt demum duæ aliæ opiniones, quæ à Galeno non improbantur, tamen neceßariæ nõ sunt, quarum prima dicit, q̃ istud procemium ab Hippoc. propositum est, quoniam uoluit expellere homines secordes, & ignauos ab hac arte, altera uerò forte idem dicit, q̃ tantummodo uiros magnanimos eligat, & inertes excludat, nam magnanimi ad magna negocia exercitantur, pusillanimi uerò expauescunt. Secundum igitur has duas opiniones his de causis hoc procemium. Vita breuis, ars uero longa posuit Hipp. ad quas opiniones respondet Gal. inquiẽs, q̃ hæ duæ sectæ in se uerum dicunt, non tamen ad propositum, non enim compẽdia artis docet, nec sua fuit intentio, ut procemium hoc ad omnes suos libros efficeret, quò omnes ad artem hanc capeßendam excitaret, quin immo si hoc faceret Hipp. totum oppositum eius, quod facere debebat, perageret. Sunt uero tres aliæ opiniones, quæ à Galeno eiiciuntur, quarum una fuit Hippoc. ab arte medicinæ omnes auertere. Cui Gale. respondens inquit, hoc eße falsißimum, altera fuit opinio, ob id hoc procemium eum fecißе, ut ostenderet

artem nostram esse coniecturalem, quæ adhuc falsa, & absona à ueritate est. Tertia & ultima opinio asserebat Hippoc. *in hoc proœmio uelle intelligere, q, medici fine huius artis sæpe frustrantur, quas tres opiniones (ut dixi)* Galenus *improbat quoniam si id esset uerum, quod dicunt hi, maximum esset* Hippoc. *dedecus, tum artem uillescere, tum etiam studiosos auertere. Præterea ultimæ hæ opiniones extremæ* Aphorismi *particulæ non correspondent, quando dicit.* Nec solum se ipsum præstare oportet oportuna fauentem. *Ecce, q, ibi inquit medicos à fine suo non frustrari, nam si frustrarentur alio modo dixisset, loco enim illius* Oportet: *Posuisset* Contingit. *Non uult igitur q, ars ista coniecturalis sit, nec medicus à fine suo frustretur, dummodo, quæ ueniunt circa ægrum agenda, optime agantur, uidelicet, q, quantum poßibile est eligatur occasio, præterea ad experimentum aduertatur, ne fiat periculosum, aut minus fiat, q̃ poßibile sit, sic & iudicio, & de sequentibus conditionibus requisitis dicendum est, ad quas omnes finis intẽtus à medico sequitur.* Nec solum præstare oportet &c.
Hæc est secunda Aphorismi *pars secundum* Gale. *quæ est separata ab* Aphorismo, *& est ueluti consilium additum primo* Aphorismo. *quoniam dixit* Hippocr. *q, ars respectu uitæ est longa, quoniam occasio præceps est, experimentum periculosum, iudicium difficile, inquit modo, ideo consulo uos, ut omni uestro conatu, non tantum præstetis uos ipsos opportuna facientes in rebus agendis, immò etiam* Conamini, *ut æger pareat, &*

faciat, quod debet, sic & astantes, siue ministri prompti, & parati sint pro ægro, nec tantum medicus, æger, & ministri, sed etiam omnia exteriora recte adhibita esse debent, quæ omnia si recte seruentur, & si ars sit longa, omnia tamen ferè semper fæliciter succedent, nō enim omnes ob occasionem præcipitem curari possunt, sed quamplurimi, si hæc omnia recte administrentur, hæc est expositio, quæ uidetur esse notissima. Adhuc tamen restant quædam explicanda, et dissoluenda, primum est, cur dicat Hippoc. si exteriora fiant, cum iam dixerit. Nec solum se ipsum prę̨stare oportet opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes. qui quidem medicus, æger, & assidens, extrinseci esse uidentur, sicut, & alia exteriora. Circa huius quæsiti solutionem oportet prius sciatis, q; si curare uolumus quempiam in omni curatione tria requiruntur, & necessario concurrunt, alteratio, in qua concluditur alterans scilicet agens, & alterans, scilicet passum, præterea cū hæc alteratio in tempore fiat, multi excessus in tali tē poris spacio possunt occurrere, qui talem alterationem impediant, ita q; agens non possit recte agere, & operari, sic & patiens pati nequeat. Primum itaq; ex parte agentis tria necessariò requiruntur, primum est natura ipsa, quæ est omnium operatrix & uerus artifex in fabrica aliis imperans, & nullo pactò subiecta, natura igitur est primus architectus, huius naturæ nos sumus ministri. Secundum est medicus, qui à natura dirigitur, ut minister à primo architecto, unde medicus est secundus architectus, postea sunt astantes, & mini-

ſtri,qui ſunt tertius architectus, qui à medico dirigan tur,& in illis imperat, Quo circa tria hæc, ſiue tres cauſæ ſumptæ ex parte agentis ſunt,ad hoc quàm maxime neceſſariæ natura, medicus & miniſtri,unde medicus medio modo ſe habet,nam reſpectu naturæ eſt miniſter,ut dixit Gal.3.artis paruæ, & in libro de conſtitutione artis,reſpectu uero miniſtrorum eſt, ut architectus ideo Gal.6.epidemiarum ſect.2.dixit, ſi medicus operaretur uenas ſecando,aut clyſteria imponendo,non artifex,ſed miniſter eſset,eſt enim medicus, ut imperator in exercitu, qui ſi pugnat in exercitu,non pugnat,ut imperator,ſed ut miles ſic, & gubernator nauis,qui dum nauim aſcendit,& munera nautæ exercet,non gubernator ſe nauta,et miniſter efficitur.Tria igitur hæc ſemper concurrunt inuicem ex parte agentis,natura,medicus, & aſtantes, quatenus tres cauſæ eſſentiales,quæ ad finem propoſitum diriguntur, non enim ſunt cauſæ per accidens, & caſu aſſumptæ. Ex parte uerò paſsi,qui eſt æger ſi debet ſanari,duo etiã neceſſario concurrũt,primum,ꝗ diſponatur ſecundum principia naturalia, et ſit corpus præparatum.unde uidendum eſt,an tale corpus ſit præparatum nec ne,agẽs enim ſæpe bene diſpoſitum eſt ſcilicet natura, uel medicus,uel miniſtri, ſed poſtea ex párte paſsi multa ſunt, quæ curam impediunt, ut ſi corpus ægri ſit, uel debilis uirtutis, uel male diſpoſitum ratione temperaturæ,aut prauæ conſuetudinis,uel malorum humorum, quæ prius medicus,antequàm quid agat,uidere debet, & aduertere.hæc enim omnia ad finem intentum ſimul

mul conspirantia essentialiter & intrinsece uergunt, & tendunt, quæ causæ omnes inuicem maximam habent harmoniam, cuius gratia. Hippoc. intrinseca ista nuncupauit, sunt demum multæ causæ extrinsecæ per accidens, quæ fiunt à casu, quæ possunt impedire, quo minus finis à medico intentus sequatur, quanuis agens & passum sint recte disposita, ad quæ oportet auertere, ut si sit æger, qui sit curandus, & sanitati restituẽdus, ueniat quis ægro nuntians, quod mulier, uel filius est mortuus, aut minister dicat ægro illum audisse à medico, quod illa ægritudine moriturus est, siue aliquo aere existente frigido fenestræ aperiantur, & accidãt similia, quæ possunt esse infinita, medicus cum natura, & ministris, & si opportuna faciat, ac præstet, non tamen poterit finem intentum consequi, cum hæc omnia casualia, & extrinseca, & per accidens euenientia remouere nequeat, ne infirmus ex his ullo modo alteretur. Manifestum igitur est medicum, & ægrum, & asidentes esse causas intrinsecas iuxta Hippoc. sententiam, alia uero extrinseca, quo fit, ut medicus non tantum ex parte sui prouidere debeat, q̃ res omnes optime dispositæ sint, sed etiam ex parte passi præterea ne ista casualia contingant, quæ à fine suo illum auertant, hoc igitur est consilium ab Hippoc. datum, quo facit auditores dociles artem aphoristice docere promittens, cum ars sit longa respectu uitæ. Et hæc sat sint pro resta huius Aphorismi declaratione, sequitur alius.

I I.



N perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus, contra. Sic & uasorum inanitio, si talis fiat qualis fieri debet, & confert, & bene tolerant, sin minus, contra. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat aut non.

IN primis oportet in uniuersali nouisse Hippocratem non docere quidem artem aliquo determinato ordine trium dictorum ordinum, non enim per compositiuum, quod fecit Auicenna, non per resolutiuum, ut Galenus in libris Therapeutices, & in libro De constitutione artis, non per diffinitiuum, sicut idem seruat in libris artis paruæ, tenet tamen hic ordinem aliquem scilicet secundum quid, non autem essentialem, nam author quis cum uult sequi ordinem aliquem, eum proponit prius in proœmio libri, at Hippocrates hoc omisso aggreditur opus, statim agens de inanitione, & repletione, circa quam nos quoque uersabimur. Est igitur scopus primi huius libri ut de inanitione simul, ac repletione corporis humani dicat, Sciendum autem, quòd sicut optimus pictor, qui ali

aliquam imaginem effingit, non docet tamen pingendi artem, sed sat habet, ut in figura illa tantum ars sua optima, atque artificium reluceat, ita facit Hippocrat. qui non tradit methodum, non habitum, sed solum præcepta, atque obseruationes, quibus tantum suam manifestat methodum, atque artem in uirtute, quemadmodum patet ex omnium Aphorismorum lectione. Quod autem non doceat methodum, ea uinci potest ratione, quoniam, qui docet methodum, proponit antea rationem finis, & ipsum finem, à quo sumuntur indicationes curatiuæ, docetq; resoluere, atque alia multa facere, quæ omnino in tradenda methodo sunt obseruanda, ut facit Galenus in libro Therapeutices, qui processit per ordinem resolutiuum. Auicenna autem in prima quarti agens de febribus procedit per ordinem compositiuum, nusquam autem Hippocrates ita docet methodum, ut sumat notionem finis, sed dat tantum præcepta ab ipsa methodo extracta. Quòd autem ipse doceat artem quo ad usum solum, obseruans in uirtute methodum, hoc quoque ostendendum est, ex quo apparebit, quàm fuerit admirabilis. Incipit itaque ab inanitione & recte sanè. Medicina enim ad usum tradita nihil aliud est, quàm additio, & ablatio. Hæc autem diffinitio, quæ Hippocratis est, non competit parti theoricæ, sed practicæ, & usui tantum. Dum autem dico eam non competere theoricæ parti loquor largo modo. Competit igitur tantum usui artis, qui tamẽ ab habitu dirigitur ista modo medicina, quæ ad usum artis ꝑtinet tres habet

bet partes,& tribus uiis procedit.s.pharmatia, dieta, chirurgia.Pharmacum est instrumentum, quo medicus euacuat corpus, aliud est instrumentum Dieta,dũ tantum curamus ægrum cibo,potu,aeris electione,& tandem cum sex rebus non naturalibus,Chirurgia tertium est instrumentum,quo utimur manus adhibentes, et ita medici operatio uel additio est,uel ablatio quo ad usum.In his autem tribus seruatur Hippocratis diffinitio,ille enim ab usu artis,& à medicinæ diffinitione incipit cum ab inanitione inchoat.Hoc modo Hipp. definiuit medicinam sumptam pro usu,nec aliter poterat recte definire. Cum ergo medicina pro usu sit tantum additio,uel ablatio,ista est ratio essentialis medicinæ,acceptæ pro usu & exercitatione eius,omnia deinde,quæ continentur in ea,ut passiones,& proprietates referuntur ad has duas ablationem et additionem. Iactis ita fundamentis à notione finis,consequenter habetur omnis dignotio passionum,et proprietatum,quæ tali conueniunt subiecto,ut docet philosophus septimo Metaphy.Nam diffinitio subiecti medium est in demõstratione,ex quo subiecto tanquam per medium notissimum, à quo passiones dependent,demonstramus passiones omnes.Incipit igitur primo ab inanitione,et docet,quid ea sit,& postea quid additio, quidq; ablatio, quæ sunt in diffinitione medicinæ, quo habito fundamento omnes postea passiones facile cognoscuntur. Aduertendum autem q; Hipp. artem suam occultauit, & cum innatam nobis esse uiam doctrinæ ab uniuersalioribus sciret,ob id incœpit agere de inanitione primum

mum in uniuersali, dehinc in particulari. patet igitur quàm recte procedat exorsus à fine, & à notione finis, & à diffinitione medicinæ, agens de euacuatione, cum sit pars diffinitionis propositæ, unde dicit. In perturbationibus uentris &c. hæc pars est ratio Aphorismi quæ præponitur Aphor. Sic & uasorum inanitio &c. Hinc incipit Aphorismus, ubi uult Hippoc. dicere (sicut innuit Galenus) quod cum humor aliquis peccat in corpore, & euacuatur, tunc æger auxilium sentit, & corporis utilitatem, et ideo leuiter fert euacuationem sin minus, ægre fert, uidelicet si euacuatur humor, qui non est euacuandus, tunc æger læditur, non autem adiuuatur. Galenus exponit, ita si talis fiat, idest si talis forma humoris euacuetur, intelligitq; tantum de qualitate et specie humoris. (Ego autem infra dicam, quod Galenus aberrat à scopo) quia dicere, talem humorem est speciem humoris intelligere, uerbi gratia si sanguis, uel bilis euacuetur. ubi peccent, tunc corpus bene fert, sin minus, contra fiet, ut si loco sanguinis exhauriatur bilis, & probat hunc Aphorismum cum suo epilogo, suaq; ratione quæ (ut dixi) anteponitur Aphorismo. Nam theorema interdum cum ratione profertur, Interdum sine ratione. Quod cum ratione profertur interdum habet eam sibi præpositam, ut docet Aristoteles secund. rhetor. cap. uigesimosecundo, interdum uero postponitur ratio, ueluti factum est in primo Aphorismo in hoc autem præponitur ratio ipsa, siue epilogus. Quare autem probauit Hipp. hunc Aphorismum ex-

emplo, non autem ratione, uidendum est: nam non uidetur hoc Hippocrate dignum quem Gal. paßim appellat uirum admirandum, & diuinum lumen, quia omnem hanc sentētiā habuit, eamq; artificiosißime ostendit, uidemus enim Aphorismum istum eße practicum, & præceptum de rebus agibilibus, adeo ut in eo nulla existat speculatio, sed solum dicat de agendis, agibilia modo non probant syllogismum. 2. ethicorum cap. 2. sed quæ ueniunt agenda probantur per exemplum, & ratio est, quoniam in his agibilibus non est determinatus status, non qui perpetuum, non externum, unde probantur inductione, & debili probatione, non autem uera. Probat igitur exemplo hunc Aphorismum, ubi autem dicit quid de speculatione, tunc non adducit exemplum sed probat bene per syllogismum, quēadmodum facit in primo De natura humana, ubi probat corpus humanum esse, & constare ex pluribus humoribus inquiens, si corpus constaret ex uno humore tantum, non doleret, sed dolet, ergo constat ex pluribus humoribus. Vnde & Plato dicebat in Phædro nullum argumentum posse adduci pro animæ immortalitate fortius quàm hoc argumentum Hippoc. ideo Plato hoc accipit argumentum. Nunc uero dat exemplum Hippo. non autem argumentum affert, quoniam agit in hoc Aphorismo De rebus agēdis, & attinentibus ad praxim tantum Aristo. secundo Ethicorum cap. secundo inquit dum utimur exemplo in rebus agendis, exemplum illud debet esse clarum. An modo hoc sit ita hic & bene seruet hoc Hippocr. etsi fuerit ante Aristot.

satis

satis perspicuum est, nam sicut pater filium ad uirtutem instruens, oportet (inquit) fili hac incedas uia ad uirtutem, adducitq; exemplum illustris alicuius uiri, sic facit Hippoc. *hic enim sumit exemplum clarum ab ipsa natura, quæ est admodum illustris, quoniam semper, & recte exequitur suas intentiones, dummodo enim non impediatur, euacuat humores peccantes ex qua euacuatione iuuat ægrum, alioqui læderet, elegãs quoque medicus, ut uidet naturam facere, sic studet etiam ipse facere, & dum euacuat humores peccantes, iuuat ægrum, quasi dicat, si uasorũ inanitio bene fiat, & secundum humorem peccantem tunc confert, & qđ sit uerum spectentur naturæ opera in euacuando humores malos.* In perturbationibus uentris & uomitibus spontinis *dicit sponte, quoniam natura occulte operatur, nec habet causam nobis manifestam, nec patet causa ab ipsa natura, ut patet in fluxibus alui, & in uomitu, & in fluxu narium, ex quo statim grauedo corporis tollitur, ideo recte, & sponte operatur, sic debet facere medicus. At si natura coacta interdum euacuat, quod non debet, tunc æger offensam sentit.* Et *ita patet* Hippocratem *exemplo uti perspicuo ad probandum id, quod hoc loco intendit.* Hoc *satis est, quod attinet ad probandum, & ostendendum, quomodo* Hippo*crates probet per exemplum suum* Aphori*smum.*

Si talia purgentur, qualia purgari oportet confert & leuiter ferunt *quare ita dixit? quia sic natura facit sponte, uel per uomitum, uel per secessum, & quando hoc facit, contingunt perturbationes, dum fluit mate-*

ria de uno loco ad alium, & talis pturbatio apud Græcos dicitur ταραχή. ut uerbi gratia quando aliquod membrum in aliqua fluxione aliud incipit membrum perturbare, ut si sit in fluxu uentris materia, tunc totum corpus perturbatur, si igitur talia purgētur, qualia purgari debent, tunc ægro id confert, cuius ratio hic proponitur. At si nihil aliud ultra diceremus non dogmatici, sed empirici medici essemus, uerum medicina ita doceri debet, ut quæ docentur memoria commēdentur, alioqui uelut picæ erimus, & absque ullo loquemur fundamento, illæ enim recte uoces proferunt, ignorant tamen quid significent, ita & medici Empirici quasdam pronunciant ore propositiones, carent autem ratione, methodoq;. Pro quo debet unusquisque regulis studere Hippo. Galeni, & Auicennæ, ut pateat quomodo hæc per methodum regulentur, eisq; copulentur, quemadmodum Hippocrat. fecit, quo nemo fuit admirabilior, cum optime breuitati studuerit, tamq; obscuritati incubuerit, ut maximum legentibus negotium dicta ipsius faciant, unde recte dixisse uidetur Poeta ille.

Et quel di Coo che fe uia meglior l'opra
Se ben intesi fosser gl'Aphorismi.

Sed ad rem nostram redeamus, Sic & uasorum inanitio &c. In hoc ratio latet totius Aphorismi, nam exemplum tantum declarat Aphorismum, pro cuius enucleatione egemus uera demonstratione à principiis sumpta. Vbi igitur malus humor euacuatur, maximam ex hoc utilitatem æger consequitur, nam notum est quod humor

humor ille ægrum lædebat, unde statim oriebatur indicatio per methodum sumpta quod talis humor euacuandus erat. Oritur enim talis indicatio à re præter naturam uidelicet à repletione. Hippocrates igitur sumit indicationem per methodum, hac ratione. In corpore isto peccat talis, uel talis humor, ergo ille euacuandus est, cuius quidem signum est, quia ex tali euacuatione bene euētum tolerat æger, qui antea lædebatur, nunc uero non; ergo &c. ratio autem huius methodi, est, quia bene confert, et incipit ibi, Confert, & leuiter ferunt, Notandum in primis est quod euacuatio iuuat si talis euacuatur humor, qualis debebat euacuari, quoniam eius præsentia corpus humanū lædebat, unde bene Hipp. alibi scripsit. Lassitudines spontaneæ morbū enunciant, ex quibus dictis clara sumitur euacuandi corporis indicatio, quasi, innuat ubi sunt lassitudines spontaneæ illic esse aliquid præter naturam, non autē ibi ponit conclusionem, tantum sumens indicationes à re præternaturali, idest ab humore peccante, conclusio autem sequitur, q̃ sit euacuandus, & rectæ euacuationis signum erit, si ea confert. Galenus contendit dictum istud de qualitate tantum & forma humoris intelligi quod suspectum apud me est, ego enim Galeni ipsius fundamento innixus deduco hoc etiam de substātia, et quantitate humoris intelligendū esse, & de multis aliis, humor enim multipliciter peccare potest, & lædere corpus humanum, & tot modis euacuari potest talis humor, & purgari debet. Et ista uniuersalis indicatio, q̃ euacuandus sit humor peccans tantum indicat

quid ſit agendum, non quantum, non quomodo, aut quã do, aut ubi, quia eſt ſolum indicatio uniuerſalis euacuã di mali humoris, cuius ſignum eſt, q̃ bene confert. Stã te hoc dico humorem tot modis peccare quot modis e- uacuari debet, totq; modis dirigitur medicus ad eua- cuandum, & hucuſque tantum intelligimus ipſi quid agendum. Sed quot modis poteſt lædere humor pec- cans? quatuor ſanè modis, uel ſubſtantia, uel quantita te, uel ratione qualitatis malæ, uel ratione ſitus, cum ſcilicet fuerit in loco in quo non debet eſſe. Incipia- mus à ſubſtantia, nam ſi cholera uiridis augeatur in corpore, tunc peccat per ſubſtantiam, & formaliter eſt præter naturam, nam ſubſtantifice peccat, ideo eua cuanda eſt, itaque ubi adeſt peccans humor in ſubſtan tia, ſtatim ratione malæ ſubſtantiæ indicat euacuatio nem ſui, quoniam non eſt ipſi naturæ familiaris. Ra- tione uero quantitatis poteſt humor peccare, ſi corpus grauat, ob hoc euacuandus, tametſi in ſubſtantia bonus ſit, ſicut exemplum athletarum docet, atque etiam na- tura, quæ plerunque ſanguinem per nares ſponte du cit. Dicendum ſimiliter eſt de qualitate humoris, nam ſi & ipſe, ut uerbi gratia bilis euacuetur, æger liben ter talem ſuſtinet euacuationem, hoc idem de humore ratione loci peccante dicendum, nam ſi euacuatur, ut in abſceſſu, tunc leuis æger fit. Diſputandum autẽ no- bis hoc loco cum Gal. eſt, qui pro ſententiæ ſuæ confir matione tres adducit rationes, quod Hippo. per talia, & qualia de qualitate intelligit, non de quantitate, aut loco humoris peccantis. Prima Galeni ratio eſt quia

quia talia dixit Hippoc. non tanta. Secunda ratio est quia Hippoc. usus est hoc uerbo purgari, quoniam purgatio euacuatio est humorum qui peccant per qualitatem tantum. Tertia ratio est, quod Hippoc. in sequenti aphorismo, non autem in hoc de quantitate loquitur, alioqui in eo repeteret idem quod dicit hic. Hæ sunt rationes Galeni quæ prius declarandæ sunt, postea sententiam nostram ponemus. Sed Aphorismus iste in prima facie est tantum Empiricus, & practicus, non enim docet indicationem ullam, nec ullam ueram intentionē operandi, nihilq́; dicit de speculatione, sed tantum imperat, datq́; tantum præcepta, uidelicet q̃ sit euacuandus humor peccans, at dogmatici, & ueri medici rationales nesciunt agere aliquid sine indicatione, semper enim seruant & quid agendum, & quantum, & quomodo, & quando, & ubi, ideo Aphoris. Empiricus uidetur, cum non uideatur docere indicationes curatiuas. Sed dictum est supra quàm bene appareat recte intuenti uerba ista mira ars Hippoc. quomodoq́; sumantur indicationes hic curatiuæ. Habemus iam sententiā Aphorismi huius, & propositionem hanc ueram esse, scilicet quod si euacuatur humor peccans confert, & æger leuiter sustinet huiusmodi euacuationem, ex quo suum etiā oppositum, uerum erit, quoniam si huius humoris euacuatio confert, ergo repletio eius nocet, est enim regula topica, quod dicitur de uno opposito idem intelligi de alio, unde scriptores solent oppositum unum ponere, alterumq́; subintelligunt, uolentes enim occultare scientiam, per unum oppositum explicant a-

liud,quia oppositorum eadem est disciplina. Hoc ita se habente iam patet uniuersalis una indicatio, quæ est quid sit agendum,ubi enim peccat humor in corpore tolli debet,ideo Galenus in principio tertii methodi inquit omnem curandi methodum incipere ibi tanquam carcer equorum in principio cursus,quod scilicet omnis malus humor abradendus est, sed in hoc corpore malus humor est,ergo abradēdus est,quia eius præsentia lædit,ergo remotio cōfert.Et ita ex illo fundamento,quod nocua amouenda sunt, prima nascitur agendorum indicatio,quod euacuatio sanat, ecce quomodo posita est talis indicatio in Aphorismo confusa, & obscura uerum,unde nascitur,dicet aliquis, indicatio hæc?oritur sanè formaliter ab una maxima propositione,& à quodam genere per aliquam differentiam, hæc autem maxima propositio apud medicos maxima etiam dignitas dicitur,& est circa actiones,& usum secundum Hipp.quæ est,contraria contrariis curantur, nam cum est noxa in corpore,& repletio grauat, euacuatio quæ fit per contraria,sanat.Præterea causa finalis est,quæ oritur à fine artis medicæ.i.à sanitate, q̄ medicus intendit reducere cum non adest,et hanc reducit adhibens contraria,nā per hæc remouetur morbus uelut per instrumenta,quæ ut uera sint debent eiusdē generis esse,modo dum tollere debeo nocumentum corporis,primo uidendum mihi est,quod nam sit istud nocumentum,erat.n.repletio humoris peccantis,qui male ferebatur.Patet mens iam Hipp. qui Dogmatice per unum oppositum intelligit alterum, & hoc est indicatio.

tio. Sed adhuc per hanc indicationem non habetur aliqua ultima perfectio, aut ultima agẽdi forma pro illo, qui uult operari. Nam dicet aliquis, quid mihi hæc indicatio essentialiter indicat? indicat quidditatem actionis, sed dicet ille, minus adhuc intelligo. Sciendum est in omni actione humana, & non tantum in medicina quinque requiri. Nã qui aliquid acturus est in primis spectare debet quid agendum sit, alioqui frustra operaretur, postea quantum agendum, & in quantum debet extendi actio, quo habito poßit cessare. Tertio loco considerandum est quando agendum sit, quoniam occasio expectanda est, deinde sciendum quomodo agẽdum sit. Vltimo ubi agendum sit, & quo loco, hæ autẽ omnes actiones à suis determinatis actionibus sumuntur, non à casu, nam est quid, quod nos dirigit ad quid agendum, quod ab eo distinctum est, quod indicat quãtum agendum. sic aliud quod de quanto, aliud quomodo agendũ. Quapropter habemus in hoc Aphorismo quid agendum sit, in sequenti uero quantum: de singulis uero his quinque dicemus infra, nunc uero dicamus de quidditate totum agendi, sed à quo quidditas hæc agendi indicatur? Genus, quod dirigit scopum, & intẽtionem nostram ad quid agendum, est essentia, & substantia morbi, uel dicamus id, quod agendum est oriri à cognitione essentiæ morbi, ut si nouimus bilem in corpore dominari, dicimus, ergo euacuandus est, talis humor, præterea si corpus aliquod nimis est calefactum, tunc alterandum eße indicamus, scimus inquam quid agendum scilicet alterandum per contrarium, idest p

frigidum. Ista autem essentia consistit in duobus, nam essentia morbi habet duo, alterum q; habet rationem formæ, alterum materiæ. uerbi gratia est febris in qua caliditas ignea est & siccitas ratione formæ, deinde est materia scilicet humor peccans faciens talem febrem, forma febris dicit quid agendum sit, & alterandum tantum monet, non autem euacuandum. at materia quærit euacuationem essentialiter, unde ambo hæc dicunt quid agendum, sed forma tantum dicit alterationem, materia uero euacuationem, unde euacuatio est tantum ex his duobus scilicet de quidditate agendi, & de essentia, quid habetur ab essentia ipsius morbi materiali? habetur q; est euacuandum, nam humor peccat, & grauiter fertur, hæc igitur est indicatio prima uniuersalis ab opposito accepta, sub qua inuenimus iam modum in agendo particularem. Sequitur ex hoc discursu, tot modis euacuandum esse humorem, quot modis peccat, is autem quatuor modis peccat, aut enim grauiter fertur ratione prauæ substantiæ, nam cum dominatur bilis eruginosa, peccat substantialiter, & cum substantia eius ita tota sit immutata, lædit, & euacuatio ipsius confert. In quantitate uero humor naturalis solet peccare tantum, cuius quantitas nocet, unde indicat euacuationem sui, & hoc pacto quantitas euacuationem indicat. In qualitate autem accidentali etiam peccat humor uel si caliditas nimis feruens in humore est, nam periculum est ne putrefiat in uenis, qualis habetur in febre synocha, qui usque ad syncopē euacuandus est. Vnde Galenus in octauo methodi dicebat

bat se febrem sæpe iugulasse, quare etiam qualitas docet quid agendum. Quarto ratione loci peccat humor, quia ex uno præcipitatur ad alium, qui si nõ purgetur, & mature euacuetur, putrefiet illic, nam quousque ibi est, lædit, grauiter fertur, & inferre dolorem solet. His quatuor modis materialis morbus indicat quid agendum sit, ergo quatuor distinctæ sunt indicationes, cur igitur dicit Galenus, q. in hoc Aphorismo de forma tantum humoris intelligitur omißis aliis tribus membris? multum sanè delinquit, si enim humor peccat in qualitate, si in quanto, si fuerit extra locum suum non ne euacuandus est? Prætermitto quod etiam Galenus ipse sæpe testatur confundi nomina ista scilicet quantitatem pro qualitate, dum dicitur magna febris, pro eius qualitate, sicut refert in primo De differentiis febrium, cum tamen magnum non conueniat febri, sed referatur ad quantitatem, nam febris in qualitate crescit, non in quanto. His præteritis dico q. cum Hippocrates, ait. Si talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, & leuiter ferunt, sin minus contra. Sic & uasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant &c. Sensus talis est, si taliter purgatio fiat qualiter fieri debet, tunc confert, & probe fertur, sed quomodo taliter purgabimus cum oportebit? hoc sanè pacto si humorem malignum euacuabimus, cuius malignitatem scimus, si plenitudo illius humoris nocet, & grauiter fertur. Ad secundũ dico Galen. non esse memorem eorum quæ dixit in secundo De ratione uictus 4. non enim ibi dicit pur-

gari, ſed ſumit καθαριότην pro mundificatione, & expiatione quoniam καθαίρεσθαι apud græcos dicitur expiare, & diminute purgare, unde uocabulum iſtud amplum eſt, & nemo fuit magis ſectator proprietatis uerborũ, quàm Hippoc. ut ait Gal. cum ergo Hippoc. utatur in hoc Aphoriſmo uerbo iſto ita amplo ad euacuationem humoris quomodocunque peccantis, non debemus nos ipſum contrahere ad qualitatem tantum humoris, ſed ſumere in ſua communitate, ſicut poſitum eſt ab Hip. loco citato. Per καθαίρεσθαι igitur ſemper uerum erit intelligere de purgatione in ſubſtantia, in qualitate, in quanto, & ratione loci, & ita ſecunda ratio Galeni nõ ſuſtinetur. Tertia ratio eius eſt, quoniam in ſequenti Aphoriſmo de purgatione in quantitate loquitur, unde non eſt aſſeuerandum hic & ibi de purgatione in quantitate dici. Dico ego aliud eſſe dicere dum humor peccat quantitate in corpore, aliud inquam eſt inuenire quantitatem, & magnitudinem in nobis terminatam euacuandi, quod docet in ſequenti Aphoriſmo, et aliud eſt inuenire modum euacuandi humorem noxium, & hoc docet in præſenti. uerbi gratia eſt quãtitas ſuperflua in corpore, hic duæ ſunt indicationes, prima eſt, quod debet euacuatio fieri, quæ indicatio ab eſſentia ſumitur humoris peccãtis, nam eius quantitas nimia eſt, unde euacuanda eſt, modo & ſi iam hoc ſciri poteſt, adhuc tamen ignoratur fortaſſe quantum ſit euacuandum. Et iſta eſt indicatio ſecunda ſumpta non ab eſſentia morbi, ſed à uirtute ait ipſe Galenus ibi, & ab aliis conditionibus. In hoc ergo Aphoriſmo docet Hippoc.

euacuandum esse humorem seu peccet ratione substantiæ, seu qualitate, seu ratione loci, in sequenti uero quantum sit euacuandum, hic uero dicit, q; euacuandus quidem humor est, sed non docet quousque ista euacuatio fieri debet, mensuram autem euacuandi humoris docet in sequenti. In hoc, si mea contra Galenum placet sententia, teneatur, sin minus reiiciatur. Hæc quantũ ad Aphorismi expositionem secundum Dogmaticos, in quo duæ facies sunt, una pro Empyricis, & est pars exemplaris, alia est pro Dogmaticis super uerbo illo, confert, sub quo suum latet oppositum, quod scilicet repletio humoris mali nocet, ex prima facie Empyricus habet indicationem à posteriori, & à signo, uidelicet quod ubi peccat humor in corpore, debet euacuari. At Dogmaticus habet totam rationem totamq; artem ab indicationibus sumptam. quas accipit à propositione illa maxima, quod contraria contrariis curantur, unde dicit cum ratione euacuare. Sed tu inquis, dicet aliquis, Hippocra. esse in Aphorismis ita mirum, quæ nam hæc est perfectio? cum tantum dicat humorem peccantem subtrahendum eße, nec docet cognoscere istum peccantem humorem. Propter hoc Hippocra. in fine dicit, inspicere oportet regionem, tempus, ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non, nam debet considerare an regio in qua sit æger calida, & sicca existat, hæc enim calidos humores, & adustos, bilemq; aggenerat, regio uero frigidißima plurimam pituitam. Quæ uero non est admodum, sed temperate frigida, in ea sanguis dominatur.

natur. Tempora anni sunt etiam inspicienda, nam in æstate biliosus humor generatur, in autumno atra bilis, in hyeme pituita in uere sanguis, ideo in uere maxime phlobothomia conuenit. Aetas etiam spectanda est, quoniam secundum huius uarietatem uarii dominantur humores. Morborum quoque genera sunt aduertenda, nam quis est qui non cognoscat tertianã febrẽ, quòdq; illic dominans est biliosus humor? & q, in quartana melancholia excedit? in quotidiana uero pituita? præterea si sit erisipelas uerbi gratia in facie q, ibi bilis superabundat? si ædema in crure, q, ibi pituita dominatur? & ita morborum genera indicant humores dominantes, & dico necessario q, si quis fuerit temperaturæ, uerbi gratia, calidæ, et siccæ in regione calida, in æstate, & in ætate adolescentiæ, qui laboret tertiana febre, sequitur hæc conclusio quod ibi dominatur bilis si autem hæc omnia non simul concurrant, tunc non arguitur necessario talem uel talem humorem in corpore debacchari, multa tamen horum signorum arguunt facillime hunc posse potius humorem superare, quam alium. Præterea Galenus in commento dicit id quod repetit etiã in 4. de sanitate, q, color cutis indicat humorem peccantem, & excedentem in corpore qualis enim humor excedens est talis color efflorescit in cuti, nisi intus sese humores receperint, tamen nihil hic de colore dicit, cuius causa est, quoniam Hippocrat. hic loquitur tantum de humoribus existentibus in uenis, nam dicit de uasorũ inanitione, ubi humores intra uasa sunt, ideo in proposito Hippocr. recte facit, qui nihil

hil de colore meminit, quoniam non poßumus existentibus humoribus in uenis magnis uenire in cognitionem humoris per colorem, at bene cum humores sunt extra uasa tunc beneficio coloris prædominantis in cognitionem humoris dominantis deuenimus. Quæritur præterea res ad modum difficilis, quoniam Galenus in primo & secundo De locis affectis inquit tres eße signorum fontes, quibus poßint cognosci res internæ uel actiones læsæ. Primum enim sumuntur signa ab actionibus læsis. Secundo ab excrementis mutatis, & præter naturalibus. Tertio à qualitatibus permutatis, unde cum sint tres signorum fontes, quæro sub quo istorum fonte signa ponenda sint posita hic ab Hippocr. pro cognitione humoris dominantis uidelicet temperatura regio, anni tempus, morbi genus, nam ista non sunt actiones læsæ, non excrementa, non qualitates, uel ergo Hippoc. insufficiens est, uel qui Galeni sententiam amplectitur in primo & secundo De locis affectis sequendo diuisionē illam signorum in tres fontes. Pro quæsiti huius solutione adeundus est Arist. secundo priorum capite 27. ubi ait, quod duo sunt indicantia, uel duo loca indicationum bona quæ nos in occultæ rei cognitionem ducūt, unum quod dicitur εἰκὸν id est consentaneum alterum uerisimile ubi Thomistæ interpretantur εἰκὸς id est imaginem, cum tamen par, uel uerisimile uertendum sit, uerbi gratia quādo quis beneficium accipit tunc par est consentaneum, & uerisimile ut benemerentem amet, et hoc differt à signo, nam si uolumus ueritatem habere ex uerisimili plura

debe-

debemus adducere, sic qui offendit aliquem, debet odiũ expectare, εἰκὸς igitur dicitur quod facit fidem, pro qua facienda plura requiruntur, unde & Plato in Phædone dicit quod argumenta à uerisimili, & consentaneo facta nisi plura sunt, sæpe fallunt nos, signum uero uno tantum contentum est, & hoc aliquando signum facit fidem, & quandoque demonstrationem à posteriori & si unicum sit, ut quando immediate essentialiter est consequens rem ipsam, quod signum necessarium habere debet conuenientiam essentialem, & affinitatem cum signato scilicet cum causato siue modo rationem causæ habet, siue effectus, siue necessitatis, & siue præcedat, siue subsequatur semper indicat magnã fidẽ dat. Præterea nõ potest ulla res à signo ostendi nisi prius res signata cognoscatur, uerius igitur est signum sed obscurius, non potest igitur, ut iterum dicam, res aliqua ostendi per signum nisi nota sit prius intellectui res signata, quod si sic, ubi apparebit aliqua passio uel symptoma tunc recte poterit ex signo inferri res illa quia iam signata res habetur, ut uerbi gratia concepimus fumum esse quoddam consequens flammam, tenemus ibi esse flammam ubi uidimus fumum, quod nisi præcognouerimus in intellectu nunquam sanè, uel etiam uiso fumo dicemus flammam illic esse, sic nunquam dicemus fœminam peperisse, & si uidebimus lac in eius mamillis, nisi prius hanc in intellectu habitudinem habuerimus, quod scilicet mulier lac habens in mamillis peperit, necessarium igitur est nos prius nouisse signatum, & habitudinem inter

ter signum & signatum, unde talis cognitio est potius cognouisse signatum, & habitudinem inter signũ, & signatum, unde talis cognitio dicenda potius reminiscentia, quàm scientia de nouo. Cum modo duo sint, consentaneum scilicet & signum, dico Hippoc. omisisse signa, & dicere de Icone, quoniam signum ipsum non faciebat, est enim probabile, ubi æstas incipit tunc bilem plurimam generari, sic dicendum cum feceris beneficium alicui, ergo est consentaneum ut diligaris ab eo, ideo unum non facit fidem, sed plura. Hippoc. itaque dicit plura uidelicet ætatem, regionem, temperaturam, tempus anni, & morbos, quæ omnia simul sumpta faciunt fidem, de eo quod intendit. Sed quis dicet cur Hippo. omittit signa? Dico hoc fieri, quoniam signa necessario affinitatem habent, & habitudinem cum re signata, aliter non possent cognosci, nisi prius causatum cognosceretur, uerum quum Hippoc. nondum de signatis & de humoribus sermonem habuerit, ideo non potest dicere hic de signis.

III.



Abitus exercitatorum qui ad summũ bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere, cum uero non quiescant, neque possunt proficere in melius, reliquum est igitur,

tur, ut decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit ut corpus rursus ali incipiat. neq; compressiones ad extremum ducendæ, periculosum enim, sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, adhoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint periculosæ.

SVperior Aphorismus, uel præceptũ ab indicatione oriebatur, quæ erat nocumentum humoris, & difficilis eius tolerantia, & sumebatur indicatio talis à materia peccante, quæ proxima faciebat morbum, nam indicationes omnes curandi sumuntur à morbo, à forma morbi, & à materia morbi proxima constituẽte morbum, quæ forma est alterãda, materia autem euacuanda est, præterea ostendebamus quot modis nocumentum, & mala tolerantia fit in corpore, tot etiam modis debere euacuationem fieri, & si indicationes erunt bene distinctæ, dirigent nos etiam ad operationes bene distinctas, uidelicet ad quid agendum. Diximus etiam quot modis humor lædere potest, & q̃ quatuor modis nocumentum & mala tolerantia contingit: & q̃ totidem modis debent euacuari humores. Hi nanque peccant uel ratione prauæ substantiæ, uel malæ qualitatis, uel indebitæ quãtitatis accidentalis, uel peccat etiam aliquod membrum, quia sit extra proprium & naturalem locum. Hæc dicta esse uolui, ut cum dicendis dicta superius nectantur, quia autem in omnibus actionibus attendẽda quinq; sunt, uidelicet quid

quid agendum, quantum, quomodo, quando, & ubi. cumq; nos iam supra in secundo dixerimus Aphorismo quid agendum, satisfacientes cum Hippoc. illi primæ conditioni, nunc modo dicamus quantum agendũ, & euacuãdum sit, uerbi gratia una libra, uel duæ humoris peccantis, optime igitur præsens Aphorismus priorem sequitur. Et sicut quid agendum habet particulares indicationes, quæ nos dirigunt ad particularem operationem circa euacuationẽ, ita hic circa quãtitatem subtrahendam habentur indicationes distinctæ dirigentes nos, & monentes, quantum euacuare oporteat. Nam quanto indicationes curandi magis distinctæ sunt, tanto medicus potest tutius operari, ut habetur in secundo De crisi à Galeno, si uero confusæ sunt, medicus etiam indistincte operabitur. Vnde uerus medicus dicitur esse ille, ut inquit Galenus in primo ad Glauconem, & in Therapeutices libro, alibiq; qui magis distincte discurrere nouit à particularibus ad uniuersalia, & ab uniuersalibus ad particularia usque ad indiuiduum, q̃, si & nos faciemus, tunc perfecti, boniq; medici erimus, ac ueri philosophi. Hæc autem omnia uidebuntur in omnibus Aphorismis, & ab his, qui rudes sunt facillime addiscentur. Præsens autem Aphorismus primus exponetur, deinde indicationes eius latentes explicabuntur. Sed qui nam est Aphorismus? dicet aliquis, uidetur enim potius exordium quoddam longum, quod Aphoristicæ doctrinæ non cõuenit, sed potius historiæ, & tamen supra in præfatione dictum est Aphorismum nihil aliud esse, q̃ enuncia

tionem paucis rei proprietatem pronunciantem. His, qui ita Hippocratem arguunt respōdemus, ac dicimus eum breuem hic potius, quam longum esse, quoniam Aphorismus illic incipit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ &c. Reliquum uero omne quod supra positum est pro exemplo adductum est, quo Aphorismus comprobetur, non est autem mirum si probationem in hoc Aphorismo præpositam uidemus, quoniam diximus eam interdum præponi, interdū uero postponi, ut fit in sententiis, & theorematibus. Quod autem ratio Aphorismi sit pars ea quæ dicta est per hoc exemplum, quòdq; Aphorismus in illis contineatur uerbis, quæ adduximus, declarat hoc Galenus ex Hippoc. consuetudine. Sensus igitur Aphorismi huiusmodi est, tam euacuationes, quàm refectiones factas in humano corpore debere moderatas esse, alioqui pernitiosas fore. Sciendum autem quod euacuatio, seu mali humoris deductio fit, uel per sanguinis missionem, uel per pharmatiam, uel per dietam, uel per frictiones, uel per balneum, Refectio uero additio eius quod corpori deest, fitq; cibo mediocriter ablato, & ita quid euacuatio, quidq; refectio sint manifestum est, sensus etiam Aphorismi patet, quod euacuandum est cum mediocritate, & similiter instaurandum quātum sat est, neque hoc absque ratione Hippocrates dixit, qui maxime fuit in hac prima particula diligens in sermone inanitionis repletionisq;, neque iniuria, quoniam quid aliud medicina est, quam additio, & ablatio? Notandum quod optime scire oportet,

(si

(si Aphorismum intelligere uolumus) quid, extremum significet. Extremum per primam diuisionem dicitur, uel extrinsecum, uel intrinsecum alicuius rei, cuius est extremum, intrinsecum quidem est, ut cathedræ huius extremum, quæ habet partes rei cuius sunt extremæ, ideo extrema intrinseca sunt, ut uno absoluam uerbo, ad quæ terminatur, ita q; ultra non extenditur. Extrinsecum uero extremum est, quod nõ est rei cuius extremũ est, pars terminata, ut mors dicitur extrinsecum uitæ nostræ extremum, quoniam nihil ad eã attinet, sic etiam timiditas est extremum fortitudinis, extremum intrinsecum subdiuiditur in extensiuum, et intensiuum, extensiuum est, quod attinet ad quantitatem, ut uerbi gratia ultimus terminus cathedræ huius, qui est ille, ultra quem non extenditur, dicitur extremum extensiuum, intensiuum autem penes qualitatem attenditur, & dicitur summum in qualitate, ut in niue est summa albedo: ita q; summum albedinis non extenditur ultra essentiam albedinis. His diuisis addimus ẽt aliud, q; eorum, quæ sunt extrema, quædam sunt bona quædam uero mala, quædam uero in se nec bona, nec mala, sed per indifferentiam, & relationem ad aliud modo bona, modo mala, quæ sunt bona, semper sua extrema extrinseca mala, ita q; si aliquod bonũ sit extremum ipsius extrinsecum habet summum malitiæ gradum, ut fortitudo bona est, eius uero extrema extrinseca sunt mala, ut summa audacia, seu temeritas, et timiditas, sic ẽt uita in se bona est, eius uero extrinsecum est malum, mors inquam, & hinc fluxit cõmune illud.

Omne extremum est uitiosum, quod quidem intelligitur de extremo extrinseco, intrinsecum nanque est bonum. Res uero mala se habet opposito modo, quoniam extremum eius intrinsecum est peßimum, unde laboris, qui dicitur esse malus, extremum intrinsecum, est summus labor, qui peßimus est, extremum autem extrinsecum rei malæ est optimum, quies, quæ est extremum extrinsecum laboris. Res modo aliqua est, quæ non est nec bona, nec mala in se, sed indifferenter, tam ad bonum, quam ad malũ potest referri, ratione cuius sit modo bona, modo mala, et eius extremum malum est uerbi gratia pecunia quæ ex se, nec bona, nec mala est, sed modo bona, modo mala, prout refertur ad usum uel nõ. Vbi enim cum usu proportionem habuerit bona erit, sin autem desinat talis proportio, ita ut uel excedat, uel deficiat, tunc erit mala, ideo extrinseca extrema eius erunt mala, nam si augebitur pecunia, & remaneat adhuc idem usus, qualis antea fuerat, tunc pecunia erit mala, quia eius extremum erit peßimum quod auaritia dicitur. Si autem pecunia decrescat, & prior seruetur usus, tunc etiam pecunia mala appellabitur, quoniam eius extremum erit malum, quod est egestas, & penuria. Cum autem iam satis dictum sit, quid sit extremum, & quomodo diuidatur, nunc modo reuertamur ad euacuationem, & refectionem, euacuatio in se quidem nec est bona, nec mala sed si comparatur ad usum & ad bonam tolerantiam uirtutis, tunc potest esse bona, uel mala, nam si bene tolerabitur à uirtute, bona erit, quoniam non excedet proportio-

nem sui correlatiui, at si male, tunc erit mala, uerum si uirtus cresceret in infinitum, & euacuatio etiam in infinitum augeretur, talis euacuatio erit bona, & laudabilis, quia ob id non excedet uirtutem, at si uirtute stante in eodem tenore euacuatio ad extremum deuenerit, tunc erit mala, quia non proportionatur uirtuti sic etiam si euacuatio diminuta fuerit, plusquàm uirtuti conueniat erit mala, de opposito est eadem ratio, uidelicet de refectione, refectio nanq; ex se nec est bona, nec mala, sed ad usum proprium comparata, & ad uirtutem est modo bona, modo mala, nam si non seruabit proportionem cum usu, & cum tenore uirtutis erit mala, & periculosa, ideo non bene conferet, sed nocebit, grauiterq́; feretur, at si seruabitur proportio, proculdubio illa refectio erit bona, & conferet, quare dictum est, quid sit euacuatio in extremo, & refectio ad extremum. Dicit igitur Hippoc. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ, & rursus refectiones si extremæ fuerint periculosæ, *textus iste traductus à Leoniceno meo præceptore uiro clarißimo habet,* Euacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ *ista autẽ uersio non est bona, nam textus Græcus habet* ἄγουσαι *quod uerbum, tam apud Latinos, quàm apud Græcos est uarium, unde Martialis in ridiculoso quodam epigrammate, cum multa dixisset de hoc uerbo agere tandem dixit nesciens amplius quid diceret, age animam, ago igitur cum multa significet, hoc loco significat uado, duco, & uenio, et accipitur ab* Hippocrat. *pro uenio, ergo euacuationes*

quæ ad extremum ueniunt, periculosæ sunt, non autem dicere debemus euacuationes, quæ ad extremum deducunt periculosæ, quoniam ignari homines possent credere Hippocratem uelle, quod cum euacuationes deducunt hominem ad extremũ sunt periculosæ, quod non est dignum tanto uiro, quis enim hoc nesciat? Legitur igitur litera hoc modo Euacuationes, quæ ad extremum deueniunt periculosæ sunt, & rursus refectiones, cũ extremæ fuerint, periculosæ. Ita quod sit terminus intrinsecus ipsis euacuationibus, quando sunt in extremo sunt periculosæ, & malæ, quoniam non proportionantur suo correlatiuo, scilicet uirtuti existenti in corpore. Particula illa σφαλεραὶ Græce, Latine periculosæ significat, id quod fallax, est & lubricum, ita quod per illud σφαλεραὶ facile possumus labi, ueluti per uiam lubricam quisque potest facile cadere, ideo qui Periculosæ, transtulerunt nõ ad uocabuli proprietatem, sed ad effectum, & ad finem proprietatis transtulerunt, qui autem Fallax uerterunt, ut Theodorus Gaza ad proprietatem nominis respexerunt, ambo tamen bene dicunt, talis igitur est Aphorismi expositio, quod euacuatio, & refectio, cum ambæ deueniunt ad extremum, sunt periculosæ, & malæ. His ita habitis præceptum tandem Hippocratis facile est, uidelicet quod debemus euacuare, & reficere medio modo, & quantum tolerat uirtus uitalis, non autem extra proportionem uirtutis. Accedamus modo ad probationem Hippocrat. qui probat Aphorismum per exemplum clarum, illustre, ac famosum dicens.

Ha-

Habitus exercitatorum qui ad summum bonitatis attingũt periculosi, si in extremo cõstiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere, cum uero non quiescant, neque possunt proficere in melius reliquum est igitur, ut decidant in dedeterius. His causis, bonum habitum statim soluere expedit, ut corpus rursus nutriri incipiat, neque compressiones ad extremum ducendæ &c. *Sensus horum uerborum talis est, & argumentum à minori ad maius, hoc modo. Habitus in Athletis est ualidißimus, & robustißimus, in quibus nõ ita facile sequitur nocumentum propter errorem, quoniam uirtus in eis est ualidißima, quæ omnia sustinet, tamen uulgatißimum medicorum est, quod cum euocatio, uel refectio deducitur ad extremum in istis corporibus, quanuis talia corpora sint robustißima, est periculosa, cum tamen deberet esse minus periculosa ob fortitudinẽ corporis eorum, attamen est periculosa, & ratio est quoniã deducit ad maxima discrimina, modo à fortiori si in corpore robustißimo non toleratur euacuatio, nec refectio deducta ad extremum ob rationem dictam, tãto minus ubi est uirtus debilis, ut in corporibus debilibus, et in habentibus sanitatem debilem tolerabitur euacuatio ad extremũ, aut refectio extrema. Vt igitur sensus clarus sit, dico si minus uidetur, quod nocere debeat euacuatio, & refectio in ualidis, & tamen eis nocet, tanto magis nocebit corporibus inualidis, et facilibus ad nocumentum recipiendum, modo corpora athletarum recipiunt nocumẽtum ex euacuatione, uel reple*

tione ad extremum facta, & minus uidetur quod debérent recipere nocumentum, cum robustiora sint eorum corpora, & tamen læduntur, ergo magis corpora debilia ex euacuatione, & repletione ad extremum deducta nocumentum recipient. Notanda modo mysteria sunt, quæ in exemplo includuntur, littera græca dicit ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ' ἄκρον εὐεξίαι. Aliqui traducunt, Bonus habitus exercitatorum, & male, quia deberent transferre potius athletarum, quam gymnasticorum, & si gymnasticus ad athletam referatur, & ad inuicem confundantur. Theodorus Gaza melius dixit uertens athletarum quia ad sensum respexit, nam & si particula illa apud Græcos gymnasticos quosq; significet, tamen hic proprie athletas importat, sicut bene Galenus interpretatur in commento. Videndum modo, qui sit habitus bonus, deinde qui sit habitus athletarum, & qui gymnasticorum. Pro quo uidendus est liber Galeni de bono corporis habitu, ubi sequitur Hippocratem præceptorem suum, & Aristotelem, à quo in re ipsa sumpsit omnia, & Platonem etiam ipsum. Dicit Galenus loco allegato, q; habitus nihil aliud est, nisi dispositio & permansio fixa in corpore, uel circa corpus, siue bona, siue mala. Quare habitus tam de bona re, quam de mala dicitur, tamq; de sanitate, q̃ de morbo, Quod si diu morbus duret habitus dici potest, cum uero addimus bonum habitum, bonus hic habitus ad corpus refertur, dupliciter autem bonus habitus accipitur, altero modo in se & absolute, altero uero secundũ quid, primo quidem modo bonus habitus dicitur, cum

nihil

nihil omnino desit, ob id si sit corpus cui nihil penitus desit bonum habitum simpliciter poßidere dicitur, cõstituunt autem huiuscemodi habitum (ex Galeni sententia) quatuor, quorum primum tẽperatura est æqualis iustitiæ in omnibus membris, alterum optima est atque decens artuum dispositio, tertio loco uirtutes ualidæ corporis requiruntur, quartum uero quod postulatur est symmetria, ac proportio partium omniũ inter se, ita ut etiam si cor ipsum optime constitutũ sit, nec tamen postea cœteris mẽbris respondeat, ille non erit bonus habitus cordis, neq; corpus ob hoc bonũ habitum simpliciter habere sed secũdum quid dicetur, quẽadmodũ si in aliquo componendo misto multa sane bona simplicia, non tamen omnia sint, mistum ex his malũ potius erit imperfectum, & incompletum, propterea quia in humõi mistione non est symmetria, bonaq; partium omnium proportio ex quibus & reliquis coniũctis optimus fit corporis habitus simpliciter & p se: ubi uero dictorum quatuor aliquod deest, tunc nemo potest absolute boni habitus appellationẽ mereri, sed secundum quid, & talis dicitur sanitas, ut nunc, nõ simpliciter, & pro illo, non pro omnibus æque. Ideo bonus habitus simpliciter est etiam sanitas simpliciter. sicut & habitus bonus secundũ quid dicitur sanitas ut nũc. His ita uisis accedamus ad literam. Habitus (inquit) exercitatorum. Per exercitatos innuit athletas qui se in harena ostentant, et exercent eo nomine tantũ ut fortes appareant in palestra, unde student plurimum gignere sanguinis & carnis, & isti quidem bonum ha-

bent habitum respectu sui tantum, obtinent enim pinguedinem optatā, ut in palæstra aduersariis obsistāt. Carent autem bono habitu simpliciter, eo quia symmetria egent, quæ una est earum conditionum, quas exposci diximus ad bonū habitum simpliciter. Hic ego obiter moneo uos, ut à iunioribus caueatis, qui in hoc dubitare solent, & affirmare cholerica corpora magis resistere causis extrinsecis, quàm temperata, nec aduertunt, ea quæ calida & humida potiuntur temperatura, esse temperata & causis externis longe magis resistentia, fugite itaque quæstiones istas & meras ambages, Hæc hactenus de corpore bonum habente habitū simpliciter dicta sint ob uanas imperitorum nugas, quæ facillime possunt ex recta uerborum Galeni intellectione solui, sed redeamus ad bonum habitum simpliciter, Diximus athletarum habitum comparandum esse habitui, ut ita dicam, porcorum, qui pro illis duntaxat est, & secundum quid, quoniam in symmetria peccat. Cum itaque istorum athletarum malus sit in se habitus, extrema etiam intrinseca pessima sint necesse est. Quod qui uidere cupit, euexiam aduertat, quæ si bona simpliciter fuerit, eius quoque meliora erunt extrema, at qui habet habitum bonum secundum quid, ut athletæ, eorum mala sunt extrema, & quo magis ille augebitur, eo etiam fient eorum extrema deteriora, quia peccant in symmetria, pariter habitus boni qui in compositione peccat, pessima sunt extrema. Dicit autem in litera Hippoc. habitus exercitatorum, postea infert unum aliud, Neque enim possunt in eodē

per-

permanere, neque quiescere. Et hæc est ratio cur talis habitus sit periculosus, quoniam cum nequeant in eodem permanere, aut quiescere, aut in melius proficisci, quum ad summum iam uenerint, oportet necessario huiusmodi habitum in deterius labi. Vnde Hippocrates sumens Aristotelis argumentum ait, In omni motu tam alterationis substantiæ, quàm augumẽtationis, atque lationis, ubi ad summum ita deuentum sit, ut nulla ulterior in eo genere acquiri forma possit, ex tribus quippiam eueniat oportet, aut enim dandus est retrocessus, aut lapsus, aut quies (nam quartum in hoc casu de habitu bono athletarum non datur) at neq; cadit quies in hoc statu, neque iter in melius, quoniam iam ad summum peruentum est, ergo impetus ad mortem superest. Relinquitur itaque, ut à tali habitu retrocedat, at quomodo dicet aliquis? Dico, q, hoc fiet, si statim euacuabimus summum illius habitus, & crassitie, ut fiat bona partium symmetria, q, autem nõ possit in eodem quiescere statu probatur à Galeno in commento, nam athleta, cum ad summum sui boni habitus deuenerit, iam acquisiuit tantum sanguinis, atque carnis, quantum possibile est, & in se retinere non potest, si uero tale corpus ulterius nutriatur, et natura operetur in eo bonam concoctionem alimenti, bonam distributionem, ac agglutinationem, & tandem bona fiat assimilatio membrorum, ex quibus operationibus fiat additio in tali corpore, modo quomodo est possibile in tali corpore, fieri additionem ullam cum iam ad summum repletionis sanguinis, et carnis deuenerit? Medius

dius fidius alterum duorum necessario sequetur, aut q calor naturalis suffocetur, ex quo mors repentina eueniat, aut q uenæ frangatur & sæuissima accidentia corpus huiusmodi inuadant, ergo patet, q non potest in eodem permanere, nec ultra progredi alioqui frangentur uenæ aut suffocabitur calor, ergo reliquũ est, ut labatur in deterius, si nutrietur ulterius, sed hæc pericula euitamus (ut dixi) si tale corpus euacuetur, supremaq; plenitudo sanguinis caroq; comprimatur, ita ut contrahatur et minuatur sanguis, unde postea poterit tuto corpus nutriri, q si iterum ad summum repleatur, rursus euacuetur opus est. Hoc loco *non nihil dicendum est & digrediendum super illa particula contextus in principio* γυμναστοῖσι *sciendum enim est, q apud antiquos duplex erat ars gymnastica, una nobilium alia uero seruilis & ignobilis, quæ diuisio est* Plato. *in* 3. *De repub. ut refert* Gal. *in lib. an ars tuendæ sanitatis attinet ad medicum, illic. n. diuidit* Plato *in duo genera artem gymnasticam.* G*ymnastica ciuilis sanè ea est, in qua exercebantur nobiles non propter palestras, nec propter certamen, ut uellent dici palestritæ, sed in ea exercebantur, ut essent apti ad bellum gerendum alterum genus palestritarum erat propter eos, qui uolebant tantum dici palestritæ, & athletæ & pugiles non pro honore, non pro fortitudine, sed tantum ut essent uictores in palestra circa quã exercebantur ignobiles.* Et *prima pars gymnasticæ erat longe nobilior quàm ars medicinæ, et qui docebant hanc artem, præponebantur do-*

centibus medicinam ut refert Plato in Gorgia à principio, ubi dicit quatuor artes esse necessarias ad uitã hominis instruendã pro repub. quarum duæ sunt ad animam deseruientes, duæ uero ad corpus. Quæ deseruiunt animæ harum una est, qua leges conduntur, altera, qua iudicantur ea quæ condita sunt. Duæ aliæ sunt pro corpore, quarum una circa exercitationem corporis ad sanitatem tuendam uersatur, et hæc dicitur gymnastica, alia uero uersatur circa morbos curandos & appellatur medicina, ut uero ars condẽdi leges nobilior est, quàm ea, quæ facta est ad iudicandum leges, ars gymnastica per eandem proportionẽ præponitur ipsi medicinæ, & per analogiam est nobilior ipsa medicina, ideo officium gymnasticũ erat, q intendebat bonum habitũ corporis absolute, qui quanto est in summo, tanto est nobilior, & isti gymnastici erant nobiles, at ars gymnastica seruilis intendebat et ipsa bonum habitum nõ quidẽ simpliciter, sed secundũ quid, & pro se tantum, qui quanto magis in summo erat, tanto erat periculosior, qualis est proprie athletarum. Quòd autem ars gymnastica uersetur circa optimam sanitatem probatur in lib. sophist. uel de ente, ubi dicitur, q duæ sunt artes in rep. uel pro republica, una circa remotionem turpitudinis corporis (& ista uersatur circa sanitatem in corpore, & circa bonum habitum) altera est, quæ morbos tollit, uersatur enim circa remotionem morborum, & dicitur medicina. Quæ studet amouere turpitudinem, est præstantior illa, quæ curat, & remouet morbos, ut dicit Plato, q ante Hipp.

cura-

curabantur tantum morbi prouenie͂tes à causa extrinseca. Vnde & Herophilus, qui gymnasticus fuit, & præceptor Hippocratis, exercuit artem gymnasticam, non medicinam. Theon etiam fuit primus, & doctissimus uir in illa arte, contra quem inuehitur Galenus sæpe in libro De tuenda sanitate; & scribit Plato, q͂ ille Herophilus incidit in quendam morbum, & cum non eßet amplius aptus ad artem gymnasticam exercendam factus est medicus, transtulit enim se in artem nostram deducens omnia præcepta gymnastica in artem istam, sed fuit maxime confusus, ex quo manifestũ est artis gymnasticæ tutelam non attinere ad medicinam, sed ad corpora exercenda. Hæc autem dicta sint propter Gale. quæstionem, quã tractat in libro, an ars tuendæ sanitatis ad medicum attineat, ubi adducens Platonis uerba ponit tantum quæ pro ipso faciunt, dimissis, quæ contra eũ erant. fuit enim Galenus maxime fidelis in dictis Platonis, omnia enim quæ citat sunt apud Platonẽ in tertio De republica, ubi dicitur Gymnasticos uiles homines fuisse, ex quo patet q͂ tantum dicit de seruili Gymnastica, Galenus similiter de hac ipsa tantum loquitur, & ita omnes, quas constituit, rationes nullo negocio solui possunt, allata distinctione artis gymnasticæ in ciuilem, et seruilem. Sed cur quæso dixit Hippoc. habitus Gymnasticorum absolute, cũ de seruili tantũ intelligat? Dico eos non uere eße Gymnasticos, qui se; uelut nobiles, exercent sine ulla spe lucri, at qui Gymnasticam propter aliud quàm ob ipsam artem, sicut ignobiles exercent, debent hi absolute dici

Gymnastici, quoniam eam ob fortitudinem exercent. Simile hoc est exemplum eius qui discit Grammaticã, ut ea tantum sciat sine ullo additamento, nanque purus is Grãmaticus censeri debet, qui uero studet grammaticæ non propter ipsam, sed ut mox philosophiæ det operam, & artibus liberalibus, non debet is dici purus grammaticus. cum igitur Hippoc. sermo de athletis esset, qui gymnasticam tractabant non ob exercitationẽ, uel sanitatem, sed propter fortitudinem, merito sine additione dixit, habitus gymnasticorum, intelligens de ueris gymnasticis. Veniamus modo ad secundam partem in qua Hippoc. ait, Neque compresiones ad extremum ducendæ. Voluit, quemadmodum athletarum habitus in summo periculosus est propter dictam rationem, sic etiam compresiones, idest euacuationes in summo sint periculosæ, Dicit autem compresiones, & euacuationes, quoniam ambo isti termini sunt contrarii plenitudini. Græca litera pro compresione habet τὰς συμπτώσιας ubi aduertendum, quod Hippocr. rationem non affert, cur compresiones nimiæ periculosæ sint, cum tamen adduxerit rationem cur nimia plenitudo periculosa sit athletarum. Et dicendum hoc breuitatis studio omissum esse, quoniam altero declarato opposito alterum intelligitur, sic enim facit hic Hippoc. patet autem quod habitus athletarum periculum minatur, quoniam uenæ, & cætera uasa plena sunt penitus, ita quod hi talem ob plenitudinem turgent admodum, nec possunt amplius augeri, nec in illo augmento permanere, unde in deterius

rius ruant necesse est, aut in caloris suffocationem, aut in uasorum comminutionem. Ex altero etiam latere nimia compressio, & summa euacuatio periculosa est, quoniam resoluit spiritus, & innatum calorem extinguit, quemadmodum in lucerna se habet, quæ & ipsa duplici potest ratione extingui, uel per suffocationem, cum plus, quam par est, olei addatur, uel per resolutionem exigui admodum nutrimenti, nam oppositorum eadem ratio est, ideo Hippoc. laconismo utens detegit oppositum unum per aliud. Sed quia cognitio de euacuatione maxime confert, ego pro uestra utilitate dicam quare nimiæ nocuæ sunt euacuationes. Euacuatio dum extrema est, semper obest, & notandũ quod semper loquimur de extremo ut diximus de lucerna, quæ uel à nimio oleo suffocatur, uel propter pauci admodũ olei resolutionem extinguitur. Extrema igitur euacuatio nocet, & hoc tribus potißimum causis eße potest, uel ratione nimiæ euacuationis in se, uel ratione rei euacuatæ, uel ratione membrorum, per quæ talis fit euacuatio. Quod ratione euacuationis lædat testis Gal. est 5. Aphoris. 56. & 57. commento, ubi habet, quod euacuatio extrema ex se infrigidat, & exsiccat, quo nihil potest peius uiuenti corpori euenire, quoniã uita in calido, & humido fundatur, & propter nimiã euacuationem corpus infrigidatur, & exsiccatur, quoniam calor aufertur, spiritus inanitur, & sanguis imminuitur, ad cuius ablationem, aufertur quoque calor innatus. Quod uero nimia euacuatio offendat ex parte rei euacuatæ iam doceo, nam euacuantur boni humores,

humores, & sanguis subtrahitur, qui deberet intus teneri, & cum euacuatur, quod non debet euacuari, illa noxia est euacuatio, quoniam desperеunt spiritus, & bonus sanguis qui materia est spirituũ, praeterea interit calor innatus. Quis uero nesciat extremam euacuationem ratione etiam membrorum nocere per quam talis fit euacuatio? nam ubi humores confertim euacuantur, tunc transeunt per omnia uasa, ut per hepar, per uenas meseraicas, per uentriculum, per intestina usque ad sedem, & relaxant uenas ipsas, praeterea immensa humorum subtracta copia corrumpitur temperatura uenarum, uasorum, membrorum, & haec omnia redduntur laxa, & frigida in sua temperatura, alteranturq́;, & inaniuntur, maxime igitur laedimur à superflua euacuatione unde Gal. in lib. De uirtute pharmacorum optime dicebat, corpora facile disponi ad distillationes, & fluxus, & quandoque ad dysenterias, ad nauseam, & ad uomitum propter extremas euacuationes, longumq́; usum medicinarum, hinc fit ut qui magnis usi sunt, & utuntur purgationibus incidant in dyariam & propter superfluas euacuationes uidemus uirtutes corporis, scilicet uitalem, animalem, & naturalem ualde laedi. Officit itaque nimia euacuatio, tum ratione euacuationis, quia infrigidat, & exsiccat, tum ratione rei euacuatae, tum ratione membrorum, tum etiam uirtutibus supradictis, tamen uitali plus, quàm reliquis duabus, uitalis enim habet pro instrumento proximo spiritus uitales, & quicquid agit per hos agit, qui quidem sunt in continuo

h fluxu,

fluxu, & motu, & resolutione, & hinc est, q per os con tinua instauratione egent, unde continue per anhelitum trahitur aer ad ipsos uiuificandos, nutriuntur tamen etiam ex alimento. At humores, & membra solida quandoque quiescunt, nec tam facile resoluuntur, & compatiuntur, q̃ spiritus ipsi, qui cum ad extremũ deducũtur euacuationes, spoliãtur materia, quæ erat apta ad sui generationem, & hæc est optima sanguinis pars. Læduntur itaque, magis q̃ alii, spiritus uitales, cũ continue egeant, ut purißimo sanguine reficiãtur, quem nimia deprædatur euacuatio. Signum etiã, q spiritus uitales maxime patiuntur in huiusmodi extrema euacuatione, syncope est, quæ ubi fit, si detur quid instaurans, tunc statim reficiuntur, uerbi gratia per maluaticum, & per alia quæ facile spiritus reparant, sicut enim confertim fit casus illorum, sic etiam cita fit instauratio ipsorum. Secundo læditur uirtus naturalis (& hæc bene notanda sunt, quoniam faciunt, & ad praxin & ad iudicandum) læditur inquam secundo loco naturalis uirtus, quoniam uirtutes naturales, & omnia naturalia opera fiunt per calidum, et humidum, nam omnes operationes, uirtutesq; ad alimentum facientes per elixationem fiunt, per hanc.n. fit concoctio, quæ elixatio per Aristotelem in quarto metheo. fit per calidum, & humidum. Modo si euacuatio excedens infrigidat, & exsiccat per Galenum. 5. Aphorismorum commento. 57. contraria est elixationi, concoctioni, & tandem uirtuti naturali, non tamẽ ita subito eam lædit, ut uitalem. Tertio loco nocet ani-

animali uirtuti, quoniam hæc eget & ipsa spiritibus pro motu, proq; aliis omnibus sensibus, & manifeste apparet primo defectus in tali uirtute animali, nam quicunque nimium euacuantur, nec bene sentiunt, nec sanè discurrunt, & male sunt habiles ad motum. Ratio autem, quamobrem patet manifeste huius uirtutis læsio, est quoniam spiritus illi debent esse plurimi. Secundo loco per manifestationem apparet læsio in uirtutibus naturalibus, quoniam opera naturalia egent caloris copia, quæ aufertur propter nimiam euacuationem, propter quam corpus etiam debile sit ad sensum, & motum. Motum debilem mala, debilisq; concoctio sequitur, unde cum in aliquo nimia facta est euacuatio tunc periti medici parcius eum alunt, quoniam uirtutem concoctricem debilem redditam esse sciunt. Tertio loco manifeste panditur noxa in uitali uirtute, quoniam natura semper solet de principalibus mẽbris solicita esse, quale cor est, in quo spiritus uitales continentur, qui facile difflantur, & resoluuntur, & ad quod calor contrahitur, unde extrema remanent frigida, ideo natura necessario est maxime anxia de uitali uirtute, quoniam ea magis offendi potest, & hinc est, ꝙ talis uirtus pandit omnium ultima suam læsionem, ubi igitur minimus calor, & pauci spiritus sunt, tunc natura omnino uult eam tueri, ideo aßumpto cibo aliquo maxime nutriente statim calor ille paruus totus ad cor, & ad uentriculum conuertitur, ut cibum concoquat, & sic extrema remanẽt frigida. Primo igitur in se, et intrinsecæ uitalis uirtus læditur,

ſecundo naturalis, tertio animalis, ac per oppoſitum, & manifeſtatiue primo apparet læſio in ipſa uirtute animali, ſecundo in naturali, ultimo in uitali. Cum uero conſtet cur extrema peßima ſit euacuatio, palàm eſt, quare Hippoc. dixit compreßiones ad extremum deuenientes periculoſas eße. Reſtat diſcutiendum utrum magis nocua ſit nimia euacuatio, aut extrema plenitudo. Ad quod dico maius eſſe in immenſa repletione nocumentum, quod confirmatur ex Auicennæ ſententia, qui in tertia dixit lõge deteriorem eſſe plenitudinem poſt inanitionem, quàm ſit inanitio poſt repletionem. De repletione uero dicendum eſt aliquantiſper, duplex enim ea eſt, quædam quoad uirtutem, quædam quoad uaſa, & hæc eſt quando humores ita implent uaſa, & uenas, ut non hæ poßint tantam quãtitatem capere. At prima non ita complet uaſa, ut ratione quantitatis periculum immineat de comminutione eorum, ſed à tali uirtute implentur uaſa, quoniam humores ſunt adeo praui, & maligni, ut uirtus nequeat tam malam qualitatem ferre, nec natura ualeat illos ſuſtinere, non enim difficile feruntur, propterea quia multi ſunt, ſed potius quia maligni, nam exẽpli cauſa minus aliquando toleratur araneæ, uel pulicis morſus, quàm alicuius maioris quidem animalis, in quo tamen minus ueneni ſit, & hoc accidit propter ſummam araneæ pulicisq; malitiam. Duæ igitur plenitudines ſunt, ſed ambæ pernicioſißimæ, nam quæ eſt propter humorum exuberantiã calorem in uenis ſuffocat. Quæ uero quo ad uirtutem plenitudo eſt, extinguit

guit & ipsa calorem innatum sua peßima qualitate, sicuti uerbi gratia ignis extingui potest duplici modo, uel nimio alimento, & infinita lignorum congerie, uel ab aqua. Plenitudo itaque quoad uasa ita suffocat calorem innatum, ceu multitudo lignorum tollit ignẽ, & plenitudo quoad uirtutem extinguit eundem calorem eo modo quo aqua ignem ipsum, quia omninò ei aduersa est, sic etiam mali humores peßima qualitate infesti uirtutem destruunt. Cum itaque tantum perniciosa sit plenitudo utraque, quandoque accidit, ut nonnulli pereant. 4. die in morbis acutis aliquando etiam in primo. Euacuatio uero tametsi & ipsa causa sit resolutionis caloris, tamen interimit in processu temporis, unde non est adeo periculosa, ut repletio, qđ patet exemplo lucernæ, quo hactenus usi sumus, nam si illi auferatur alimentum extinguitur spacio temporis, & aliquando fieri potest ut per datas sibi inducias reuiuiscat, sed si ad summum oleo impleatur, statim à nimia quantitate obruitur, ideo etiamsi plenitudo, & euacuatio extrema sint ambæ fugiendæ, cauenda tamen potius plenitudo est, unde si post extremum euacuationem corpus fuerit inanitum frigefactum, & debilitatum, non est statim replendum, ne repentina suffocatio eueniat, plenitudo itaque deterior est post euacuationem, quam euacuatio & ieiunium post repletionem. Vnde errant multi, qui cum prandium amiserunt uolunt postea in cœna tantum sumere cibi, ut nequeant illud ferre, itaque multa detrimenta huiuscemodi homines patiuntur, quoniam calor iam de-

bilitatus est in illo ieiunio, & ille propter ieiunium plus est, & uorat quàm conuenit, & ultra consuetudinem, & plus quàm alius assumeret in prandio, & cœna simul. Sequitur Hippocr. in litera. Sed qualis natura fuerit eius qui debet perferre, adhoc ducere conuenit. Non potuit clarius ostendere indicationem, quam facit in hoc Aphoris. nam in superiori implicitè locutus est, hic uero limitat quomodo euacuatio fieri debeat, & ad quem terminum. Pro quo scire oportet, quod dum malus humor est in corpore, non indicatur nobis quantitas, non mensura, aut terminus euacuandi, sed tantum indicium fit, quod euacuandum est, tolerantia uero uirtutis est, quæ euacuandi humoris peccantis mensuram indicat, potest enim humor euacuandus plurimus esse, uirtus tamen debilis, quæ totam peccantis humoris quantitatem educi non permittat, unde non habemus aliam indicationem de mensura euacuandorum humorum quam uirtutem, ultra cuius tolerantiam non est euacuatio facienda, alioqui natura multum patitur. Sed dicet aliquis, quomodo cognoscam quando uirtus bene ferat euacuationem? hoc sanè difficillimum est, nam Gal. 2. De regimine acutorum, ubi Hippoc. loquitur de pleuritide euacuanda & ait, q. debet euacuari per sanguinis mißionem, & per pharmacum, inquit illic Gal. Ego non auderem dare pharmacum, quoniam uirtus eius non est nobis nota, si enim euacuo minus, q̃ par est, tunc reliqui humores agitantur quidem, sed si plus, tunc uirtus læditur, quare iudicat Galenus tutius esse mittere sanguinem,

nem, quàm dare pharmacum, quoniam non potest cognosci quantum pharmaci uirtus possit tolerare, & in libro De sanguinis missione dicit, quòd nihil magis indicat hanc artem esse coniecturalem, quam dare pharmacũ, & per illud euacuare, consulitq; illic melius esse sæpe iterare phlobotomiam, quàm semel, & confertim euacuare per eam. Et hoc est etiam antiquorum præceptum, quòd debemus omnino abstinere à sanguinis missione quòd syncope contingat, quoniam nimis debilitatur uirtus, & forte Galenus, quando dixit sanguinem mittendum esse usque ad syncopen intellexit hoc fieri debere, si potest fieri limitare usque ad ipsam syncopen, quia nihil sanè præstantius est in morbis, quam phlobotomare usque ad syncopen, tunc enim hoc pacto optime remouetur humorum malignitas, sed quia nemo est qui sciat metiri uirtutem, ob id non audemus phlobotomare usque ad syncopen, uirtus enim fundatur in temperatura, quæ temperatura non potest limitate cognosci, ergo nec uirtus, ergo nec phlobotomia an syncopen potest deduci, quòd uero temperatura cognitu difficilis sit, testatur Galenus in tertio methodi, inquiens quòd si posset bene temperaturam hominum cognoscere æqualem se Aesculapio existimaret, præterea in libro ad Glauconẽ, non potest, inquit, morbus bene curari, quoniam non bene cognosci potest temperatura ægri, ergo nec uirtus. Vnde cauendũ est in praxi à medicinis fortibus ratione uirtutis, multi enim insignes nostri temporis medici faciunt sibi methodum per obseruantiam, & medicinas fortes

nunquàm dant, nec rationem habent nisi per obseruantiam, danda autem medicina leuis est: & potius iteranda, quàm confertim & semel per eam euacuandum, meliusq; est methodum cum ratione habere, q̃ credere obseruantiæ, & longo usui. Duplex itaq; notandum habetis in hoc Aphorismo, primum est de quãtitate humoris nocui euacuanda, & q̃ euacuatio repletioq; ad extremum factæ periculosæ sunt, alterũ est, quod cum non potestis scire limitare facultatem, aut uirtutem exquisite, debetis parcius euacuare tum per pharmacum, tum per phlobotomiam.

IIII.


ictus tenuis, atque exquisitus, in morbis quidem longis semper, in acutis uero, in quibus non conuenit periculosus, Et rursus qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

Iste est quartus Aphorismus à nobis declarandus, cuius ut rectam cognitionem intelligentiam, ac cõtinuationem habeatis, cum his, quæ dicenda sunt, memoria mandabitis ea, quæ supra à nobis sunt explicata. Dictum fuit, quemadmodum medicina de mente Hippocr. quæ ad usum spectat, nihil aliud est, quam additio & ablatio, quam opinionem posteriores sequuti

quuti sunt, cum igitur hoc ita sit, ista modo additio, & ablatio, aut fit ratione formæ scilicet alterando, aut ratione materiæ scilicet euacuando, remouemus enim formam alterando, addimus uero, aut auferimus materiam euacuando, uel super addendo. Hippo. hic non agit de additione ratione formæ, sed ratione materiæ. Cum enim intentio Hippoc. sit in hac prim. particula de additione, & ablatione pertractare, q̃ ambo tum euacuatione, tum repletione fiunt, in duobus Aphorismis præteritis egit de euacuatione, & repletione, quæ per duo illa instrumenta medicinalia fiunt chirurgiam, scilicet & pharmatiam, tria enim sunt instrumenta medicorum additioni, & ablationi conuenientia, unum est pharmacum, secundum est chirurgia idest sanguinis mißio, tertium est dieta, in hoc modo præsenti Aphorismo de tertio instrumento pertractat, quod erat derelictum, & est de euacuatione ipsa, uel repletione corporis per dietam, de qua sermo est illi habendus usque ad uigesimum Aphorismum. Vos itaque rogo atque obtestor, ut maxime sitis attenti, quoniam maxima pars medicinæ, consistit in hoc, q, sciatis bene dietare, & instituere congruam uictus rationem, quæ quidem pars nostris temporibus mortua, & sepulta est, nostriq́; medici ægris suis exhibent medicinas sanguinemq́; ab eis detrahi iubent, at de dieta & uictus ratione, ne ullum quidem uerbum dicunt, sed semper eodem modo panatelam exhibent, & aquam decoctam. Propterea cum res maximi momenti uobis proponatur, estote maxime atten-

ti, intendo enim sic quædam, tamq̃ fundamenta reponere, quibus iactis & à uobis recte perceptis, amplum postea habebitis ingressum ad reliquos Aphorismos facile percipiendos, quos quidem, dum legam, rememorabo omnia, quæ antea à nobis dicta erunt, & ea suis locis propriis sigillatim applicabo. In primis itaque inquirendum est, quid sit dieta, nam quærimus quomodo per dietam euacuare, & replere poßimus, quod minime assequi possumus, nisi sciamus, quid per dietam intelligamus, ex cuius recta cognitione apparebit postea forma quæsiti, primo itaque uideamus quid sit dieta, quoad nomen, postea quid secundum rem. Dieta nil aliud est quàm iudicium, & arbitrium quoddam boni uiri secundum Græcos, qui dirigitur ad aliquas lites dirimendas, inquirit enim Bonus ille uir recte uniuscuiusque rationes, postea illis inuentis secundum eius iudicium, & arbitrium superflua reiicit, & diminutis addit, & tandem omnia ad quandam æqualitatem secundum quod ipse iudicat, redigit istud iudicium, siue consilium, quòd has duas partes oppositas componit, apud Græcos dieta nũcupatur, quo nomine utũtur etiam Germani ad hoc usque tempus, & talis dieta proprie uersatur circa res magnas, & rempublicam ipsam. Dum enim aliquis magnus uir aliquas dirimit lites primo ambas iudicat partes, postea iudicium illud ad æqualitatem quandam redigit, quam quidem compositio ab illis dieta fiat nuncupata, unde apud illos dici solet, accedamus ad dietam, idest iudicium siue consilium,

aut

aut compoſitionem quod quidem nomen medici quàm optime uſurparunt, & potiſsimum Hippocrates qui apud antiquos, & præſertim apud Galenum fuit admirandus cum adeo proprietates uerborum diligēter fuerit perſcrūtatus, quo fit, ut Hippoc. dietam pro iudicio, & arbitrio hoc loco acceperit, & metaphorice à medicis omnibus fuit acceptum, dum conſiderant, nunquid in corpore aliquid ſit ſuperfluum, aut diminutum quod ad rationem uictus ſpectet, qua conſideratione facta ſecunda ſuum rectum iudicium talem defectum, aut exceſſuum ad æqualitatem redigit, cum igitur hoc ita ſit, ſequitur ex hoc quod in quot rebus tale iudiciū reperitur, in tot etiam dieta inuenietur, & in quot rebus ratio uictus conſiſtit, in tot etiam dieta conſtabit, nam ſicut bonus uir uidet aliquem defectum in re, primo litē dirimit, & hoc modo rectum eligit & malum dimittit, poſtea hos duos exceſſus redigit ad æqualitatem, ſic boni faciunt medici, dum ægro occurrunt, & uident in tali corpore aliqua excedētia uel deficientia, ſtatim quærunt ad æqualem, & iuſtam menſuram omnia miniſtrare, & corpori abdicare. medicus itaque dirigit iudicium ad ægri neceſsitatem, ſiue addere ſiue demere intendat, circa uictus rationem inſtituendam & ſi oportet addere uictum adauget, ſi nimis repletum eſt corpus diminuit, et ſemper æquare intendit, & contemperare eum dieta metaphorice aſſumpta ſemper tamen habendo reſpectum ad uirtutem, quoniam, modo, quæ occurrūt corpori humano ab extrinſeco in duplici genere ſunt, nam quædam ſunt neceſſa-

necessario euenientia, sine quibus corpus regi, aut uiuere non potest, quædam sunt contingentia, & à casu, quæ quidem infinita sunt, ut uerbi gratia; q gladio aliquis percutiatur, aut ex alto tegula cadat, ipsumq; percutiat, medicus non tradit modum uiuendi his talibus, sed tantum iubet, q talia sunt cauenda & quando illa occurrunt, prestò est cum auxiliis, accedit autem ad neceßaria, & ea considerat, quæ quidem sunt, sex res non naturales, inter quæ primo est aer, sine quo uita stare non potest, secundum est cibus, & potus, tertium somnus, & uigilia, quartum est inanitio, & repletio, quintum motiò, & quies, sextum, & ultimo animi accidentia, in quibus omnibus dieta, & tota uictus ratio pro uita custodienda, uel sananda consistit, quæ sanè sex duntaxat sunt, nec plura, nec pauciora. Sed si quispiam modo quærat, quare tantum ista sex non naturalia sint. Dico q sola hæc corpori humano necessariò occurrunt ob uirtutes in corpore existentes custodiendas. Dictum est autem super in nostra præfatione (si recte memoria tenetis) tria esse corporis humani principia substantiam, facultates, & alterationes, quæ si rectè custodiantur sanitas in corpore conseruabitur, & deperdita recuperabitur, & quicunque hæc tria gubernat, omnia in corpore humano custodit. cum igitur ex horum custodia, & maxime facultatum, sanitatis conseruatio consequatur, uidendum est, quomodo ex trium facultatum custodia necessariò sex illa non naturalia concurrant, nec plura esse poßint. Pro quo debetis reminisci, (quòd supra diffusius explicaui) q tri-

triplex est uirtus,uel facultas,uitalis,animalis,& naturalis. Vitalis de mente Hippo.duas habet sub se partes,siue facultates particulares quarum,prima est,ut generet spiritum,& calorẽ innatum,qui in actu existentes continue per uniuersum corpus permeant. Secunda pars uirtutis uitalis est animi uigor, ac in omnibus peragendis constantia,quibus stantibus uideamus,quomodo hæc duo calor scilicet innatus, & spiritus,quæ sunt ipsa uita,in corde geniti nascantur ab aliquo e sex rebus non naturalibus,si enim calor ille in actu existens,& per corpus disseminatus conseruari debet,necesse est,ꝙ euentetur, ista euentatio non potest fieri,nisi mediante aere,à qua accipit refrigeriũ, aer igitur pro eius tutella necessario requiritur,nam si talis nõ fieret euacuatio dubio procul suffocaretur calor,& cordis facultas,quæ conseruatur ob inspirationem,& respirationem. Secunda particularis facultas ipsius uirtutis uitalis erat animi constantia,& uigor,quæ multipliciter lædi potest,sed potißimum excessu,& defectu,seu diminutione,excessu quidẽ, quãdo est nimis pertinax,& hinc audacia dicitur,defectu quidem ob timiditatem,multis etiam aliis modis læditur,animi uigor,ut quando nimis gaudet, aut tristatur,quæ omnia sunt affectus,uel accidentia animi,ex quibus mors euenire solet,quandoque enim nimia lætitia mortuus est aliquis,sæpe etiam nonnulli ob uehementem tristitiam perierunt,nam cum huiusmodi affectus corpori occurrant cor ipsum alterant , ut inde sequatur mors,& hæc omnia ad animi accidentia re-

du-

ducuntur, aer igitur, & animi constantia, quæ necessario corpori occurrunt, ratione illarum duarum particularium facultatum cordis sunt cum iudicio rectissimo à medico instituenda, atque administranda, nam quantum poßit aer corpora nostra alterare, & immutare, neminem uel latere puto, pariter & animi accidentia, quātum obsint, nullus est qui dubitet, ob id duo hæc capita ex illis sex sunt euitanda, ne fiant in eis accessus, aut defectus, æquanda enim sunt accidentia animi à medico, æquandus est etiam aer, ne corpus humanum præter naturaliter alteretur, & fiat noxa in hac uirtute particulari ipsius cordis. Est postea animalis uirtus quæ, & ipsa sub se duplicem facultatem particularem obtinet motiuā, & cognoscitiuā, cognoscitiua adhuc facultas duplex est interior, et exterior: exterior in quinque sensus exteriores diuiditur, qui omnes sua habent obiecta propria, & ab illis obiectis mouentur per sua organa siue instrumenta appropriata, quæ, & ipsa motu alterationis (si fiat solutio continui) mouentur. Cum igitur obiecta moueant, & alterent organa sensuum, qui sensus demum exteriores ad alterationem instrumentorum alterantur, quando deberent sua munera exercere, & alterati non exercent, & ex hoc etiam sensuum organa corrumpuntur, opus est quod medicus iudicio ac ipsa dieta tales excessus modificet, & adæquet, & hoc caput ad motum, & quietem reducetur, qui quidem motus, & quies si ad instrumenta referantur, motus corporei dicentur, & à medico sunt moderandi, ne organa nimis moueantur,

aut

aut nimis quiescant, aut deficiant, aut corrumpantur, si uero referuntur ad sensus, motus tales animæ dicuntur, & tales etiam per rectum uictum, & iudicium à medico limitari debent. Si uerò cognoscitiua uirtus interior sit, pari passu & ipsa seruanda est cum suis motibus, qui similiter ad animi accidentia referuntur, si uero sit uirtus animalis motiua, custodienda etiam est ipsa in suis motionibus moderatis à medico cum dieta, & iudicio uero, à facultate igitur cognoscitiua, & motiua oritur caput istud tertium ex sex capitibus motus scilicet & quies. Tertia est uirtus naturalis, siue facultas, quæ, & ipsa duo habet capita, unū, quod generatiua facultas dicitur, aliud, quòd nutritiua appellatur. Quantum ad nutritionem attinet, requiritur cibus, & potus, quod est unum caput ex illis sex, limitandus enim est à medico cibus, & potus, nam & in his maxime consistit dieta, & iudicium iuxta rectam æqualitatem, & symmetriam, siue proportionem. Cum uero cibus & potus conuenientes assumpti fuerint, optime sunt concoquendi, ideo concoctio requiritur, quæ recte fieri debet, quò boni succi, et humores, ac excrementa bona generētur, quare inanītio, & repletio à medico est limitanda, ne superflua fiat, nec diminuta, sed cum debito modo, excernantur etiam excrementa, & corpus debite nutriatur: Vnde ex hac facultate naturali nutritiua, duo illa oriuntur capita, cibus, & potus, inanitio, & repletio. Secunda uero uirtutis naturalis pars generatiua dicitur, sub qua cadit uis appetendi, & excretiua, appetitiua.

quidem dicitur ad uenerem inclinatio, quam modificare opus eſt, quoniam ex immoderato appetitu corporis, animæ quoque alteratio contingit. Similiter in excretiua, ideſt in miſsione ſeminis cura debet haberi, quæ quidem ad inanitionem attinet, ſeminis enim miſsio cum moderantia, & tempore debito, ſimiliter & retentio effici debet, quæ à medico recte ſunt administranda, & hæc duo ad inanitionem, & repletionem rediguntur. Hactenus habetis unde naſcantur quinq; capita ex illis ſex capitibus, & q; exoriuntur ex illis tribus uirtutibus uitali ſcilicet animali & naturali, quorum primum eſt aeris neceſsitas. Secundum animi accidentia. Tertium motus, & quies corporis, & animi. Quartum cibus, & potus. Quintum inanitio, & repletio, deeſt modo ſextum quod eſt ſomnus, & uigiliæ, & hoc à quonam emanet declarandum eſt. Scitis, q; animalis uirtus, tam cognoſcitiua, quàm motiua moueri debet, non tamen ſemper, non enim ſemper cogitare poteſt, neque ſemper quieſcere, nam ſi ſemper moueretur deperderetur utique, ſin autem ſemper quieſceret, eſſet ueluti mortua, neceſſe igitur fuit, ut interdum quieſceret, interdum uero moueretur, quies autẽ fit mediante ſomno, quo ſpirituum inſtauratio, & animalis uirtutis efficitur, medicus itaque debet limitare ſomnos, & uigilias, & debitam inſtituere dietam, ne excedant, aut decreſcant. Quamobrem oſtenſum eſt ſex iſta neceſſaria corpori humano eſſe pro eius conſeruatione, quæ etiam recto iudicio, ac dieta adminiſtrari debent, ob id Hippocrates de aere in tertia par

ticula

ticula loquitur, de somno uero, & eius opposito in secundo libro, similiter de reliquis in aliis libris mentionem facit: quæ omnia suis locis erunt discutienda, de quibus ex recta cognitione primum in uniuersali, demum in particulari totam complectens medicinam disseruit, & si ista omnia non recte audieritis, quæ uobis interpretabor, eritis sicut illi, qui oculos habent, & non uident, aures habent, & non audiunt. Hippocrates igitur in hoc primo libro agit De institutione dietæ penes cibum, & potum, quomodo scilicet cibus, & potus sint recta ratione instituendi, & hoc facit à quarto (ut dixi) Aphorismo usque ad uigesimum circa quã partem maxime uersari debetis quoniã ista duo corpora nostra maxime afficiunt, et in nullo alio homines magis delinquunt, inde factum est Adagium illud, Quòd plures interficit crapula, quàm gladius. Vt autem methodum, & rationem circa hanc dietam instituendam obseruemus, & ne bis eadem inutiliter repetere cogamur, debemus prius quædam præfari tanquam fundamenta uniuersalia, & communia ad omnia, quæ à nobis in processu dicentur, quibus recte intellectis, facile quisque acuti ingenii ea poterit particularibus applicare, q; si craßioris erit ingenii nostrum erit hoc onus subire, et ea particularibus applicare, quare obsecro, attente, quæ nunc dicturus sum audiatis. Circa igitur cibum & potum dicamus, q; alimentum dupliciter considerari potest, uno modo in se, alio uero modo respectu uirtutis, ut scilicet refertur ad uirtutẽ cuius ratione instituitur, Accedamus ad

primum. Alimentum in se consideratum multipliciter uariari potest, uel in substantia, uel in modo substantiæ, uel in qualitate tractabili, gustabili, odorabili, & uisibili, aut in quantitate, aut in motu, aut in hora, aut penes ordinem. Cibus & potus uariantur quoad substantiam, aut respectu nutritionis, aut respectu succi, respectu nutritionis, quoniam aliquod alimentum est multæ nutritionis, sicut est caro porcina, aut (ut enim omnem tollamus suspicionem, quomodo caro porcina multi sit nutrimenti, aliàs tangam difficultatem) caro caponum, aliquod uero alimentum pauci est nutrimenti, sicut olera, & consimilia. Respectu succi aliud alimentum est, q bonum habet succum, & nutrimentum, ut oua sorbilia, aliud uerò malum, ut caro bubula, et alia huiuscemodi. Ratione uerò substantiæ aliqua sunt, quæ multum nutriunt, ut sunt omnia salsamenta, quædam male, & multum nutriunt, aliqua sunt, quæ bene nutriunt, sed parum. Nonnulla uero sunt, quæ male nutriunt, & parum ut olera, quædam uerò multum, et male, ut sunt conchilia, et ostrea. Habetis itaque illa extrema, q aliqua sunt, quæ multum nutrimentum tribuunt, aliqua uerò parum, & ex his quædam bonum, quædam malum dant alimentum, & ita inuicē componuntur ut declaraui, et ista est tota cibi uariatio penes substantiam. Secundum uero modum substantiæ cibi diuersi sunt, nam quædam alimenta dura sunt, sicut est caro assata, quædam mollia, ut iura omnia, & uinum, nonnulla densa sunt, ut cydonia, aliqua uerò rara, sicuti caro ficuum, quædam sunt

grauiora,ut panis azimus, & quædam uero leuiora, ut butyrum, & alia pinguia,& hæc omnia durities, mollities,densitas, & raritas, grauitas, & leuitas ad uariationem alimētorum penes modum substantiæ referuntur. Tertio sunt alimenta inter se diuersa penes qualitatem,& hoc,aut penes qualitatē sensibilem quando aliquod alimentorum est calidum, aut frigidum,aut siccum,aut humidum,aut calidum,& siccum aut calidum,& humidum, & similiter dicendum est de frigido i uncto,aut cum humiditate:aut siccitate,secundo uariatur cibus penes qualitatem gustabilem, quando aliqua alimenta sunt aut dulcia, ueluti mel, aut amara ueluti intybus, similiter secundum qualitatem odorabilem distinguuntur inter se alimenta, quoniam aliqua sunt boni odoris, ut ocimum, quædā mali odoris fœtida,sicut allium,diuersificantur quin etiam per qualitatem uisibilem,nam quoddam est alimentum album, quoddam nigrum,album,ut pulpæ caponum,nigrum ut caro bubula,similiter dicatis de mediis coloribus,quædam sunt cibaria uiridia, quædam glauca, nonnulla rubea, & alia cærulea. Quarto alimenta distinguūtur inter se iuxta quantitatem:& molem, quandoquidem aliqua excedunt in quantitate, ut si sumatur sexquilibra panis, quandoque sunt paucæ quantitatis, ut est una uncia panis. Variantur etiam alimenta penes motum, & hæc dupliciter, aut penes motum alterationis aut localem,si uariantur penes motum alterationis adhuc dupliciter contingit,aut enim cito alterantur, aut tarde, quæ cito

alterantur, cito etiam concoquuntur, ut oua ſorbilia, quæ uero tarde alterantur, difficile etiam concoquuntur, ut piſces cœtarii penes autem motum localem fit uariatio, quæ attenditur penes, facilem uel difficilem alimentorum diſtributionem, nam uinum facile diſtribuitur, aſſata uerò difficile diſtribuuntur. Variantur quoque cibaria penes horas, & tempus, nam aliqua ſumuntur mane tantum, aliqua ueſperi tantum, nonnulla uerò mane, & ueſperi. Diſtinguuntur etiam cibi penes ordinem nam aliqua præ ire debent, quædam uero ſubſequi, quæ præcedunt ſunt mollia cibaria, quia facilis ſunt concoctionis, ut lac, cæraſa, & alia huiuſcemodi liquida, dura uerò poſtmodũ ſunt comedenda, ut caſeus, pyra, & ſimilia. Viſa iſta alimentorũ uariatione, ex his quæ dicta ſunt poteritis colligere, quæ nam ſint cibaria, & alimenta bona, colligatis etiam quòd alimenta bona ſunt illa, quæ ſunt optimi nutrimenti, et optimi ſucci quoad ſubſtantiam, præterea media inter duritiam, & mollitiem denſitatem, & raritatem, grauitatem, & leuitatem, aſperitatem, & lenitatem, quæ omnia ad modum ſubſtantiæ pertinent, adhuc quæ in primis quatuor qualitatibus ſenſibilibus temperata ſunt, & ſapore iucunda, & odore ſuauia, & uiſu delectabilia, quæ omnia ad qualitatem reducuntur, præterea ſint in debita quantitate, concoctu facilia, & facilis diſtributionis, ſimiliter dicatis de eorum oppoſitis, nam erunt talia pauci nutrimenti, mali ſucci, fœtida, nigra frigida, ſicca praui odoris, & ſaporis, denſa du-

ra,

ra, aspera grauia, concoctu difficilia, & malæ distri-
butionis sicut est lien bouis assatus, & panis faba-
ceus, & hæc quantum ad alimenti uariationẽ, in se considerati dicta sufficiunt. Sumamus modo secundum membrum alimenti respectu uirtutis, quod quidem, aut uirtutem expiat, aut conseruat, aut auget, nam alimentum expiare dicimus uirtutem, quando ipsum expurgat, & mundificat à sorditiis, & cacochimia, à qua uirtus fuerit aggrauata. Si igitur mediante cibo, & dieta ipsa expurgatur, ab effectu tali dicetur alimentum uirtutem expiare, ista autem expiatio fit duobus modis, aut qualitate, scilicet calefaciendo, refrigerando, humectando, desiccando, aut substantia, et hoc fit tripliciter, aut substantia tenui sicut ptisana non colata, aut substantia tenuiori, ut ptisana colata, aut substantia tenuißima, ut est mellicratum, quod conficitur ex melle, & aqua quibus quidem modis uirtus dicitur expiari, & tres oriuntur gradus, tenuis scilicet tenuior, & tenuißimus. Secundo alimentum ad uirtutem comparatum dicitur eam conseruare, & confortare, & tale uerum est alimentum, nam proportionatum est uirtuti, quod quidem triplici modo habet cõseruare uirtutẽ aut sustantia, ut cũ æquat materiam resolutam aut qualitate, quando tale nutrimentum temperatur, aut quantitate cum uirtute cõcoquente æquatur. Alimentum uerò uirtutem augẽs, triplici etiam modo eam auget in sustantia, qualitate, et quantitate. Quoad substantiam alimentum materiam resolutã exuperare debet, ita ꝙ per illud apponatur

plos, q̃ sit materia resoluta. Vnde non tantum conser- uat, sed etiam magis adauget. In qualitate autem quã- do alimentum calorem concoquentem auget, ex qua au ctione sequitur auctio uirtutum. Secundum quantitatẽ uerò quando scilicet cibus auget facultatem, ita ꝙ fa- cultates ualidiores efficiuntur, & talis cibus dicitur plenus. Hactenus habetis omnia quæ dicturus eram in hac materia, & ut melius ista memoriæ mande tis tabulam feci, quam sumetis, & illã di scurretis, & uidebitis quantam u- tilitatem illa uobis sit alla tura. Reliquum modo est ut ad textus cõ textus explica tionem ad- ueniã.

TABVLA EORVM, QVAE DICTA SVNT. MEDIcina de mente Hippocratis nihil aliud est, quam adiectio, aut ablatio. de qua tractat in hac prima particula.

Medicina perficitur aut
- additione, ut dieta, ut a quarto Aphorismo, usque ad uigesimum
- ablatione aut
  - pharmatia, ut in secũdo Aphoris.
  - chirurgia, ut in tertio Aphorismo.
  - die ta, ut in reliquis Aphorismis.

corporis humani principia tria
- substantia
- uirtutes.
- alterati õ es

circa hæc tria pro sanitate cõseruãda consistit dieta, & pręcipue circa uirtutes.

Dieta uel uictus rõ cõsiderat aut penes.
- aerem, ratione uitalis, ut euentetur calor innatus mediante aere.
- animi accidẽtiaquę reponuntur, aut
  - sub uitali, scilicet ad audaciam, & timiditatem.
  - sub animali,
    - & cognoscitiua
    - et motiua
    - pro ut alterationes factæ in animali uirtute referuntur ad animi accidentia, quæ alterationes fiunt.
- ratione obiecti, tam in cognoscitiua, quam motiua.
- motum & quietem, ratione animalis uirtutis, referendo alterationes suas ad instrumenta seruiẽtia huic uirtuti, tam cognoscitiua, quam motiua quæ organa sunt alterata a suis obiectis.
- cibũ & potũ penes naturalẽ, uirtutẽ quæ est duplex.
  - una generatiua ad quam spectat coitus, qui reducitur sub inanitione.
  - altera nutritiua pro debita repletione, & inanitione, dum nutritur.
- inanitionem, & repletionem penes etiam nutritiuam, scilicet penes modum nutriendi.
- somnum & uigilias ad animalem uirtutem omnem ratione motus & quietis, quoniam non semper potest stare in motu, nec semper in quiete, sed modo uni, modo alteri assentitur, ideo motus fit ex uigiliis, quies uero sub somno.

Dieta, uel uictus ratio pro cibo, & potu, uel pro alimento uel nutrimēto cōsideratur aut

- penes seipsū uel
  - penes substãtiam
    - nutritionis
      - multum, & bene, ut ca ro caponum, & quandoque porci.
      - parum, & male, ut olera
    - succi aut
      - bene nutrit, ut oua sorbilia.
      - male, ut salsamenta omnia, caro bubula.
      - bene sed parum, ut ptisana.
      - male, & parum, ut olera.
      - multum, & male, ut omnia conchilia.
      - bene, & multum, caro caponum.
  - penes modū substantiæ, aut
    - dura, ut caro assata.
    - mollia, ut iura omnia.
    - densa, ut cydonia.
    - rara, ut caro ficuum.
    - grauis, ut panis azimus.
    - leuis, ut panis fermentatus.
    - aspera, ut panis fabaceus.
    - lenis, ut butyrum, & pinguia omnia.
  - penes, qualitatem, aut
    - sensibilē, aut
      - caliditatem quale nasturtium est.
      - frigiditatē, ut lactuca.
      - humiditatē, ut pepones
      - siccitatē, ut salsamēta,
    - gustabilē, aut
      - dulcia,, ut mel
      - amara, ut intybus.
    - odorabilem.
      - bonum, ut ozimum,
      - malum, ut allium.
    - uisibilem, ut
      - album, sicut pulpę caponum, media, ut uiridia, glauca rubea.
      - nigrū, ut caro bubula.

- penes quantitatem, aut
  - nimia, ut sesquilibra panis.
  - pauca, ut uncia panis.
- penes motũ aut
  - alterationis, uel
    - cito, ut oua sorbilia,
    - tarde, ut pisces cetarii.
  - localem penes distributionem, uel
    - cito, ut uinum.
    - tarde, ut caro assata, & caseus antiquus.
- penes horã, & tẽpus, aut
  - mane.
  - mane, & uesperi
  - uesperi.
- penes ordinem, aut
  - præcedunt, ut mollia, uel lac, cerasa, & huiuscemodi.
  - subsequuntur, ut dura, quemadmodum caseus, pira, & similia.
- respectu ad uirtutẽ, & sic tantum in prima pticula considerat, aut
  - expiat, & expurgat ut quando est grauata a cacochimia & de hac in prima particula non dicit, aut
    - qualitate, aut
      - calefaciendo.
      - frigefaciendo.
      - humectando.
      - exsiccando.
    - substãtia aut
      - tenui, ut ptisana non colata.
      - tenuiori, ut ptisana colata.
      - tenuissima, ut mellicratum.
  - conseruat, aut
    - substantia restaurando:
    - qualitate, temperando.
    - quantitate æquando.
  - auget aut
    - substantia cibi.
    - qualitate augendo calorem.
    - quantitate, quando efficiuntur uires ualidæ.

Hipp.in præsenti Aphoris.de cibo, & potu respectu uirtutis tantum considerat, & declarat, quomodo talis uictus ratio sit comparanda & cum triplex sit talis cibus, nam aut conseruat, aut auget, aut expiat, hoc loco non docet de alimento, quod auget, aut uires conseruat (nam ista ad sanos attinent) sed de illo, quod uirtutem expiat, diximus autē in nostra tabula, quomodo cibus expians duplici modo consideratur, uel in substantia, uel qualitate, hic non agit de cibo, qui expiat uirtutem secundum qualitates, sed secundum substantiam, & talis triplex est iuxta tres diuersos gradus tenuitatis, tenuis. s. tenuior, & tenuissimus, tenuis uictus dicitur qui uirtutem, nec conseruare, nec augere potest, sed eam duntaxat expurgat, & purificat, & talis dieta tenuis dicitur dieta frigida apud medicos, quoniam non fouet ipsam uirtutem, sed potius minuit, unde Demosthenes de frigida consultatione loquens in publicis rebus agendis consultationem frigidam medicorum dietæ comparādam esse dicebat. Talia nanque consilia frigida in republica nuncupari poßunt quæ nec potentiam ipsam fouent, nec augent, nec prosternunt, sed eam duntaxat expiant, & uix in statu suo detinent, sic & uictus tenuis medicorum uirtutem, nec auget, nec diminuit, nec conseruat, sed tantum eam expiat, ut uix ægrum uiuere sinat. De hac igitur dieta in his Aphorismis fiet sermo, quæ apud medicos dieta frigida nuncupatur. Et quoniā in hac dieta ægri peccant similiter & medici, ideo Hippocrates prius in hoc quarto Apho. & sequenti agit de

erro-

erroribus,qui in hoc tenui uictu instituendo fiunt,postea pertractat de ipsa dieta,quomodo scilicet particulariter exhibendus & dirigendus sit cibus. At dicet quis ex iunioribus, quare primo agit de erroribus contingentibus circa uictum, quàm de ipsa uictus ratione instituenda? Dico,q; nihil melius & præstantius effici poterat,nam his exclusis erroribus res deinde erit clarior,& uerior,de qua nunc agere Hippocrates intendit. ob id mira usus est arte hoc in loco,quandoquidem hos errores præponendo auditorem reddit attētum, quasi uobis præponat procemiū, unumquodque enim procemium auditores attentos efficit,dum errores quosdam qui rei proponendæ contingere possunt, diluere pollicemur, quod in primo De ratione uictus facit,ubi de uictu diexodice loquitur inquiens, quòd plurimi medici circa uictum peccabant, uel quia plurimum dabant, uel minus,quàm opus esset,ideo ibidem dicit, se uelle docere modum circa rationem uictus instituendam. Quo fit,ut Hippoc.ex arte hos errores disputandos proponat, quasi dicat quoniam circa uictus rationem, quam dietam appellamus,ægri, & medici delinquunt, ob id expedit de uictus ratione diligenter disserere. Ex quo patet, q; Hippocra.in primo De ratione uictus diexodice & ualde diffuse hanc tractationem peregit, hic uero Aphoristice tantum, & per capita, initio sumpto utrobique erroribus, qui circa ipsam uictus rationem contingunt. Aphoris. iste duas habet partes, in quarum prima de hisce erroribus pertra-

ctat,

ctat, quando uictum sine ratione exhibemus, in secunda uero parte agit de erroribus, qui fiunt, quãdo cibus cum ratione, exhibetur. Aduertatis, ꝗ Gal. in commẽto primam tantum partem Aphor. ieiune, & satis indistincte exposuit, secundam uero sicco pede pertransit, quinimo eam intactam relinquit, non tamen propterea ipsum falsa dicere, sed nihil uos docere arbitror, nõ enim ex suis uerbis poterit quis uestrum recte scire uictũ administrare. At nos primam aggrediamur. Victus tenuis &c. Recte adiecit Exquisitus. Pro quo in primis uidebimus, quæ sit tenuis, & exquisita ratio uictus, exquisitum autem Græci appellant ἀκρειβὲς, & res, quæ attingit finẽ dicitur ἀκρίβεια. Vnde ἀκριβολογία dicitur perfecta, & exquisita locutio, cui nihil deest. Ponit autem hæc duo uerba. Tenuis atque exquisitus. Non disiuncte, sed copulatiue, nam in copulatiua (ut dicit bonus logicus) quælibet pars debet esse uera, ideo non tantum opus est, ut sit tenuis sed & exquisitus. Notate hic, ꝗ Hippoc. & Gal. ponunt illos tres gradus tenuitatis uictus alio pacto, quàm nos, nam illi per dictam exquisitissime tenuem intelligunt nihil dare, illa uero est exquisita tantum, quando ægro mellicratum exhibemus, quod mellicratũ ob iuniores est aqua mulsa, quæ fit ex aqua decocta cum melle, ut conficiebãt antiqui, at nos, quia habemus saccari copiam, eam cum saccaro conficimus, dieta uero tenuis, & minus, quàm exquisita (iste est tertius tenuitatis gradus) apud antiquos dicitur dum damus succum ptisanæ scilicet cremorem, quæ ptisana collata nuncupatur,

tur, cremor enim ſuccus uniuſcuiuſque rei extractus dicitur, & ſuccus ptiſanæ eſt cremor ptiſanæ, qui hoc pactò conficitur, paratur .n. ordeum excorticatũ, quod deinde in aqua decoquitnr, & poſtea colatur ita, ut ſubſtantia ordei abiiciatur, & ſuccus tantum conſeruetur, qui demum dãdus eſt ægro, et talis ſuccus à modernis cremor, uel ptiſana colata nominatur, & apud antiquos eſt uictus tenuis. ptiſana uero uocatur, quando nõ fit iſta expreſsio, nec collatura, ſed in ſubſtantia exhibetur, et talis nõ amplius dieta tenuis eſt, ſed media inter craſſam ſiue pleniorem, et tenuẽ, quam Gal. ptiſanã ordeaceã appellat. Vnde cũ uidetis in eius cõmento ptiſanam ordeaceam intelligatis ptiſanam in ſubſtantia, non autem cremorem. Hæc quo ad mentem Hippocrat. & Galenus & aliorum antiquorum de his tribus gradibus tenuis uictus poſita ſunt. Nos uero in noſtra tabula hos uictus gradus alio modo collocauimus. nam primum gradum tenuis dietæ eſſe diximus, cum damus mellicratum, ſecundum, quando cremorem ptiſanæ exhibemus, tertium, quando ptiſanam in ſubſtantia ſcilicet non collatam concedimus. Cur autem Hippocrates: & Galenus hoc loco & primo De ratione uictus ſecus ponat iſtos gradus tenuis dietæ, ac nos. Dico, quòd ratio uictus & conſuetudo noſtra uiuendi diuerſa eſt ab ea, quæ erat apud antiquos. Ipſi enim in primo gradu dietæ nihil dabant, nos uero aquam mulſam tradimns, & ſi uos in morbis acutis, qui in ſeptima die terminantur, aquam mellis: tantummodo daretis, omnes profectò ægros interfice-

daretis, quippè periret iste etiam si morbus in secunda die terminaturus esset. At tempore Hippocratis antiqui illi q̃ maxime parsimoniæ studebant, propterea inspecta illorum consuetudine possumus etiam nos instituere hos tres gradus dietæ tenuis eo modo, quo fecit Hippoc. sed pauci sunt in nostra ætate, qui non ingurgitur & multum comedãt, ob id non possumus seruare illos gradus, ut posuit Hippocr. Sed quis uestrum dicet, hoc tibi non credo, adducas mihi aliquam authoritatem, qua tibi fidem præstare poßim. Adest authoritas Gale. 6. particula Aphoris. Aphorismo 28. ubi dicit Hippoc. Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt. Dicit Galenus in commento q̧ ideo non laborant podagra eunuchi, quoniam tempore Hippocr. parce & laute homines uiuebant, ob id eunuchi in podagram non incurrebant, at si nos haberemus quadraginta testes, & tot inciderentur, & truncarentur, laboraremus etiam podagra ob malam uictus rationem, qua utimur, & immoderantiam. Habetis igitur à Galeno in illo commento 28. & 2. De ratione uictus 38. & alibi quomodo sit consuetudo obseruanda, ob quam omnes ægri non uno modo cibandi sunt, & hac ratione nos recte fecimus instituentes uictus rationem in nostra tabula iuxta consuetudinem, quam seruant sani hoc tempore, nec dicatis uos, ut dicunt illi, qui ad ista non aduertunt, me esse contra mentem Hippocrat, & quòd non possumus seruare talem dietam, quam instituit Hippocrates, in ægris, quoniam ætas & uita præsens hominum est facta debilior,

ficeretis, præterea quis est ille æger hac nostra ætate, qui in morbo peracuto cum aqua mulsa duntaxat uiuere possit? Nemo quippè. Quo circa, quoniam ætas nostra est admodum diuersa ab ætate antiquorum, posui ego aquam mellis in primo gradu, succum ptisanæ in secundo, ptisanam non collatam in tertio, qui tamen tertius gradus apud antiquos sub dieta tenui non reponebatur, sed uolebant, quòd esset medius uictus inter crassum & tenuem. In tertio itaque ordine tenuis dietæ apud nos est ptisana non collata, uel in substantia, qua deficiente loco eius exhibemus panatellam in aqua, uel ius macrum, aut offam panis madefactam. At dicet quis, ad quid studemus Hippocrati, si eius præcepta non seruamus? scitis quare ea non seruantur. quoniam ignoratis, quomodo antiquorum dicta intelligenda sint, quæ quidem omnino seruanda sunt. Sed cur uictus rationem quam Hippoc. seruauit, mutamus? Dico, q; ipsemet hoc in primo De ratione uictus, & Galenus ibidem in commento secundo nos docet, q; cum tenuem uictum ægro exhibere uolumus, debemus multa animaduertere, & in primis patientis consuetudinem in tempore suæ sanitatis, & temperaturam, & regionem, & consimilia, cum igitur præcipue consuetudo sit aduertenda, & in nostra ætate, & homines plurimum comedere, & ingurgitare soliti sint, quomodo gradus illos ab antiquis & modo positos seruare poterimus? haud quaquam sane, nam si rustico alicui plurimum comedere aßueto morbo acuto laboranti aquam mulsam uelletis exhibere, aut nihil

lior, quàm esset tempore antiquorum. Dico uobis, q; hoc est falsum, nam eadem est ætas et uita hominum nunc, qualis erat antiquitus, nõ enim immutata est, sed tantum consuetudo, cuius ratione cogimur uictum ab Hippoc. institutum immutare, quæ seruanda est. aduertenda est etiam regio in ratione uictus instituenda, quoniam Germani non possunt ita ferre dietam, ut nos, habent enim cutim magis mollem, et calorem interiorem maiorem, ob quæ opus est, eos plurimum nutrias, similiter Hispani nõ possunt ferre dietam, quia habent cutim duriorem, quàm nos, & sic apparet, q; seruamus fundamenta Hippoc. & cur ab eo quandoque per accidens recedere cogimur. His habitis una ad expositionem Aphoris. deueniamus. Dicit igitur Hippoc. q; uictus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper est cauendus & hic intelligatis de uictu non exquisitißimo, sed de uictu secundo modo, in quo secundum Hippoc. damus mellicratum secundum uero nostram dispositionem graduum damus & cremorem ptisanæ, in morbis uero acutis interdum periculosus, in quibus scilicet non conuenit. Notandum est, q; Hip. dum loquitur de acutis, addit illud In qbus at loquens de cronicis, non adiecit illud In quibus quoniam in illis semp talis uictus est euitandus, in acutis uero quandoque damus cremorem ptisanæ, & propterea ipse usus est tali loquendi modo, similiter quandoque nihil damus, ut in illis morbis qui in quarta die terminãtur Audiatis modo Galeni expositionem, qui de prima parte nihil dicit, sed tantum secunda parte rationem

affert

taque exponere, quomodo in morbis acutis dandus ſit cremor ptiſanæ, & quando ſit exhibendum mellicratum, & quando nihil damus, dicit, ꝙ debetis habere rationem, ad uigorem morbi, & uidere, qualis ſit ſtatus morbi, nam ſic inuenietis uerum modum dictandi, & non decipiemini. Si uultis igitur ſcire, quonam gradu illorum trium uictuum debetis uti, in primis inſpiciatis ſtatum, & uigorem morbi, & aduertatis ad tenorem uirtutis (hoc dicit Galenus, non tamen uos docet, ut opus eſſet) nam ſi ſtatus morbi erit in quarta die, uel intra quartam terminaturus, tunc exquiſitiſsimo uictu uti debetis, & tenuiſsima uictus ratione, modo ſtet uirtus ualida. Vnde tunc ſecundum Hippocr. & Gal. nihil dare oportet, at ſi uirtus fuerit aliquantulũ debilis, tunc tantum dabitur mellicratum, ꝙ ſi morbus ſit terminaturus in ſeptima die, aut intra ſeptimam, & uirtus ſit fortis, tunc dabitur tantum mellicratum, ſi uero uirtus fuerit debilis, tunc dabis cremorem, ſcilicet ſuccum ptiſanæ, quo æger ſuſtentetur, uſque ad ſeptimam diem, non autem dandum eſt (inquit Galenus) corpus ptiſanæ, quoniam non erit amplius uictus tenuis. Iſta ſunt Gal. uerba, quibus præſentem Aphoriſmum declarat, quæro modo à uobis, quid ipſe doceat his uerbis, niſi quid addatur, nam cõfuſe, & diminute, & ueluti per accidens hæc dicit. Vnde facile erit, ꝙ decipiamini ex eius dictis hoc in loco, immo nihil addiſcetis. Nam quomodo ſcietis diſtribuere in morbis acutis illos tres gradus uictus, ſcilicet exquiſitiſsimum, exquiſitum, & minus adhuc ex-

quiſitum? Nullo pactò profectò, non dico, q̃ dicta Galeni ſint falſa, ſed q̃ fuit ualde diminutus, nã propriũ eſt ipſius nunquam docere integre, nec rem exquiſitã in uno loco, ſed ſparſim modo in uno loco, modo in alio. Quid mirum? ſi Galenum per tot annos medici ſpeculati fuerunt, à quibus intelligi non poterat, immo dicebãt eum eſſe profugũ deſpicientes ipſum, & haud quaq̃ docere medicinam, ideo ob talem cauſam noſtri patres medicinam addiſcere ab eo non potuerunt. Propterea audiatis, quomodo medicinam à Galeno diſcere poteſtis, oportet enim (ut breuibus agam) ubiq; ipſius uolumina uidere, & optime perlegere, ac intelligere. Circa primã partem, ut eam bene habeatis, debetis ſcire; q̃ dieta tenuis ſiue craſſa, & plena, & mediocris referuntur ad morbum, & ad uirtutem oppreſſã à morbo, nam oppreſſa uirtute ſtatim fiet ægritudo, & ſtatim oritur indicatio, q̃ uictus debet eſſe tenuis. Vnde proprie dieta, & uictus ratio ad uirtutẽ refertur, menſura autem tenuitatis ad tolerãtiam uirtutis, nam quantum ſit dandum de ipſo cibo ſumitur à tolerantia, uel intolerantia uirtutis. Quando igitur uirtus eſt oppreſſa à morbo, tunc adeſt morbus lædẽs ſenſibiliter operationes, quæ uirtus indiget purificatione, & expurgatione, ſi autem purificari debet, tribus eget inſtrumentis medicamento, ſcilicet chirugia, & dieta, De primis quidem duobus iam dictũ eſt, in præſentia dicemus de tertio inſtrumẽto, ſcilicet dieta, quæ tenuis eſſe debet, ſi uis, q̃ huius uirtus oppreſſa expurgetur, non mediocris, nec plena, ne uirtus ſuffocetur.
Nam

Nam si utemur dieta plena, non poterimus ipsam uirtutem expiare, ob id Hippoc. *dicebat.* Corpora ægra, quanto magis nutries, tanto magis lædes. *Ideo oportet, q̃ sit dieta tenuis, quæ per unicam uicem exhibetur, quæ potius debet, debilitare, q̃ augere ratione morbi, quò uirtus ipsa expietur. Cũ modo in omni actione medicorum, atque humana sint considerandæ illæ quinq; conditiones. s. quid agendum, quantũ quomodo, quando, & ubi, indicatio de ipso quid agẽdum, à morbo sumitur, & à uirtute oppressa ab ipso morbo. Indicatur enim ex hac uirtute oppressa, q̃ utendũ sit tenui dieta, quantum uero agendum, uidelicet nunquid talis cibus debeat esse exquisitissimus, an exquisitus, an adhuc minus, sumitur à constantia uirtutis, nõ amplius à morbo, nec à uirtute oppressa, & hoc idem semper dicit* Hipp. *& in* 2. *Aphor. ponit fundamentũ de hoc, ut ibi ostendam, & est arcanum arcanorum, tamen & hic etiam quid dicam, à morbo igitur sumitur indicatio de quid agendum, non quantum, nõ quãdo, quoniam uirtus est oppressa, non à uirtute simpliciter, sed à uirtute inquam oppressa, quæ dietam tenuẽ exigit, quod etiam habemus à* Gal. *in commento huius Aphor. quo loco de ægrotantium uictu habetis sermonem, inquit, q̃ omnes etiam sequentes Aphor. sunt pro ægris, quasi dicat* Galen. *hic agendum esse de uictu tenui, qui à longitudine morbi sumitur & à uirtute oppressa. Tenuis igitur uictus in se sumitur ab oppressa uirtute, & à morbo, (ut & dixi in mea tabula) q̃ uirtus oppressa eget expiatione. est enim tenuis uictus*

ctus inuentus propter uirtutem oppressam expurgan
dam. Et ita ab his habemus tantum quid agendum, nõ
quantum, non quando. Quòd modo indicat ad quem
terminum, & gradum sit deducendus uictus, hoc inquam sumitur à tolerantia uirtutis, quantum enim tolerat uirtus, tantum debet deduci dietæ terminus. Nõne idem in secundo Aphorismo dixit q, indicatio de euacuando sumitur à morbo, at quantum sit euacuandum à tolerãtia uirtutis comprehenditur, sic dicimus de termino uictus, q, iste terminus à tolerantia uirtutis indicatur, quæ regulat nos usque ad quem terminum debeamus procedere ad exhibendum uictum, & semper in quolibet morbo, siue unius diei, siue centum annorum uirtus est oppressa, ponitur subsequenter, q, sit expiandum. Hoc posito, statim ponetur, quòd tenui uictu utendum sit, & si homo usque ad finem morbi sine uictu resistere posset, melius esset, sicuti fecit Scotus ille, de quo dicitur, q, uixit sine cibo per quindecim annos, & etiam puella illa Germana, quæ per duos annos absque nutrimento uixit, quod uerissimum est, sed hoc rarò accidit, & per accidens, ideo libamus ægrum habendo respectum ad uirtutem oppressam toto illo tempore, quo durat morbus ipse. nõ enim referenda est ad tempus ullo modo mensura uictus, nisi per accidens. Ideo cum dicit Galenus q, debemus inspicere statum morbi, ut possimus regulare uictũ, dico, q, hoc non sufficit, quia morbi status sit quãtumuis longus, & remotus bene semper indicabit, q, uictu tenui ob uirtutẽ oppressam utendũ sit, sed aliud
opus

opus eſt,ut ſciamus, nam quid eſt, quod nobis terminos,& modum ipſius cibi circumſcribit? nõ uirtus oppreſſa,ſed uirtutis tolerantia, quæ terminum ipſius dietæ deducit,reſpectu cuius cognoſcemus, ſi iſte uictus tenuis confert,& leuiter fertur,ut etiam dicebamus ſupra in ſecundo Aphoriſmo, in quo includitur (ut uobis expoſui)tota medicina.Si igitur uirtus bene fert,uiuetis tam diu,quam diu uirtus tolerabit,unde ſi poſſem curare febrẽ quartanam, cum illo tenuiſſimo uictu libentes curarẽ,& quippè nihil ultra quærerem,quoniam morbus uictum tenuem requirit, uerum quia tolerantia uirtutis, à qua ſumitur indicatio graduum,non permittit,ut debemus uictum tenuẽ, ideo cibamus ægrum cibo pleno. Dieta igitur tenuis datur ratione uirtutis oppreſſæ,terminus autem, & menſura cibi ſumitur à uirtutis tolerantia,ideo ſi uidebitis uirtutem tolerare,tantum dabitis tenuem dietam,& ita cum inquit Galenus inſpiciendum etiã eſſe ſtatum,quia ſi ſtatus ſit proximus,tunc exquiſitiſſimo uictu utendum eſt,confuſe admodum hic loquutus eſt.Habetis igitur hic à Galeno, & per rationem rei,quantum ſit dandum de cibo ratione ſtatus morbi,& hoc eſt uerum,non tamen neceſſarium, habetis etiam,ꝙ morbus,qui eſt terminaturus in quarta die, dieta tenui indiget,quoniam cito terminabitur,& hoc eſt probabile, non autem neceſſarium,nam ſi in tali morbo uirtus fuerit fortis, nihil dabis.ſi autem uirtus fuerit debilis,dabis tũc aquam mulſam,ſic in morbo duraturo in ſeptima die oportet cibare dieta te-

nui, unde si uirtus in eo ualida fuerit, dabitur melli-cratum, si imbecilla, dabitur cremor ptisanæ. Videatis quæso quomodo Gal. nos deducit in administranda tenui dieta in morbi statu, & certe bene declarat status, quomodo uictus subtiliandus sit, sed hoc per accidens est, ex quo accidenti posito non sequitur ulla necessitas, deducit itaque Galenus per unum accidēs ad id quod est per se, dum deducit à morbo ad statum, cum tamen deberet deducere ad uirtutis tolerātiam, quod est per se, probabile igitur est stante ipsa propinquitate status, q; uirtus tunc constet scilicet q; sit necessarium uti uictu tenui, aliquando enim stante status propinquitate utimur pleno uictu, stante dico uirtute debili & etiam in principio morbi nutriuntur ægri crasse ut etiam inquit Galenus, & hoc fit propter uirtutis debilitatem, ideo per accidēs sumitur à statu ratione uirtutis. Sumitur ista mensura necessarò à uirtutis constantia, quia stante eius inconstantia statim oritur necessaria indicatio, quod uberius alendus æger est. Quapropter Galen. confuse loquens fallit uos, cum non semper uerum hoc sit, quòd stante status propinquitate tenui dieta uti debeamus cum sæpe ægri inueniantur, qui diu tolerent dietam, quiq; semper uolunt nutriri, ut ipsemet etiam Gal. fatetur, & hoc ratione tolerantiæ uirtutis est, quod est per se, sed ipse loquitur per accidens reducens hoc ad statum temporis. Præterea Galen. tantum de morbo terminante in quarto, & in septimo docet, sed de eo qui in 14. terminaturus est, nullum uerbum fa-

facit,& in hoc deficit,cum acuti morbi ſint in tripli-ci differentia,ſunt enim quidam exquiſitiſsime acu-ti,& tales quarta die terminantur, imo aliquando in 24.horis,ut ſquinantia, quidam peracuti tantum ſunt,non autem exquiſite,talesq; in ſeptima terminantur,quidam uero ſunt acuti ſimpliciter, & hi in 14. diebus terminantur,& his proprius acutorum terminus eſt.Poteſt autem fieri,ut aliquis morbus protra-hatur uſque ad 40. diem, ſed ille dicitur acutus per decidentiam.Si igitur Galenus per relationem ad ſtatum morbi uult docere quomodo alendus eſt æger ratione ſtatus,quid facient morbi qui terminantur in 14.& qui uſque ad 40. diem protrahuntur? patet itaque quod Galenus non docet in omnibus quid agẽdum ſit circa uictum, ſed dimidiam tantum partem huius declarat. Victus tenuis. Tenuis ac exquiſi-ta uiuendi ratio in longis morbis ſemper eſt mala,in acutis uero, in quibus non conuenit. Quare autem mala ſit in cronicis morbis dieta tenuis, relinquitur uelut manifeſtum, morbus autem cronicus eſt qui protenditur ad 40.diem,at ſi ulterius, tunc dicitur uere cronicus,ſed morbus acutus non excedit 14.diẽ at ſi addatur de decidentia protrahitur uſq; 40.Ha-bitis terminis his,poteſt etiam haberi quid ſit dieta tenuis,& uirtutis tolerantia, & qui longus morbus eſt,unde nemo eſt tam rudis(opinor)qui daret melli-cratum in cronico morbo, quoniam uirtus non poſ-ſet talem uictum ſuſtinere. Periculoſus igitur eſt in morbis longis tenuis uictus ideſt mellicratum, ſimili

ter etiam in acutis, in quibus pariter non conuenit, nõ autem in quibus conuenit, ut in exquisitis, sicut est angina, quæ finitur in 24. horis, non conuenit autem quando terminatur acutus morbus usque ad septimũ, & minus conuenit in his, qui terminantur in decima quarta. Absoluta prima parte, in qua est error in uictu tenui. superest secunda pars declaranda, in qua cõtinetur alius error distinctus a uictu, qui fit, quando damus tenuem dietam in summo, idest nihil, dicit itaque Hippocrates in secunda parte, quod dieta tenuis in summo quamuis secundũ rationem est, tamẽ semper difficilis est, & molesta, molesta quidem ægris non ualentibus ipsam ferre, difficilis uero respectu medici, quoniam difficulter potest cognoscere medicus, quomodo conuenit, & non conueniat nihil dare. Probat autem Hippocr. grauem esse exquisitißimam dietam per eius oppositũ scilicet à plenitudine in summo, quæ & ipsa grauis admodum est. Hæc est sententia secundæ partis Aphorismi, quæ ita diuiditur à prima, sicut ego dixi, ut testatur Philotheus, & Oribasius, qui & si quandoque delyrat, tamen in parte hac bene se gerit separans hanc secundam partem à prima, ita ut sit Aphorismus distinctus in partes duas. Hæc dixi quoniam antiqui etiam hoc uiderunt. Victus tenuis & exquisitus. Quod est nihil dare, probat autem conclusionem istam siue Aphorismum per oppositum suũ uidelicet, q̃ sit periculosus talis uictus, & dicit repletionem in summo grauem esse, uideamus primum uim argumenti, postea reliqua, probat igitur per opposi-
tum

tum conclusionem suam, quoniam iunior aliquis diceret, uidetur quod oppositum ipsius exquisitæ dietæ non sit graue, & difficile, sed bonum, quia cum sunt duo opposita, quorum unum habet rationem mali, alterum debet habere rationem boni, & hoc reperitur in omni oppositorum genere, tamen Hippoc probat hic malitiam unius oppositi per malitiam alterius, quoniam ambo mala sunt, cæterum cum dieta tenuis in summo sit mala uidetur, quod repletio in summo debet esse bona. Itaque aduertite uim argumenti Hippoc. nam ubi perfectio rei alicuius consistit in aliquo medio temperato inter duo extrema, tunc ambo illa mala sunt quemadmodum patet de humana temperatura, quæ quidem tunc perfecta est, & temperata, cum consistit in quadam qualitate, & caret omni excessu, similiter patet de animi accidentibus, quæ cum extiterint in æqualitate respectu sanitatis conferent, at si modum excesserint uitiosa erunt, nam nimia timiditas & audatia praua sunt, mediocritas uero est perfectio, quæ est animi constantia. Sic in proposito, cum uirtus à morbo oppressa est tunc duobus eget, primum ut conseruetur & hoc non potest sine alimento fieri, postea eget ut expietur cum sit oppressa à materia, expiatur autem dieta. Diligenter uero considerandum est ut ista duo redigantur ad æqualitatem, ne uirtus per excessum offendatur; quoniam altero horum neglecto deficeret uirtus ideo expianda, simul ac reficiēda est, ita ut nec expiatio noceat, neque refectio eum impediat. Quid igitur faciundum? oportet ut per modum, perq; men

furam quandam iustitiæ simul modificemus eam, & alamus, nam perfectio, & bonitas in medio constituto est. Cum igitur his duobus modis æqualitas seruanda sit pro uirtute, sequitur, quod extrema eius sunt uitiosa, uidelicet expiatio exquisita, quæ est nihil dare, similiter etiam refectio exquisita, quæ est multum dare. Vnde bene positum est argumentum Hippo. per opposita, quæ sunt uitiosa, medium uero inter hæc bonum est. Nam & repletiones quæ ad extremum. Repletio hic sumpta est illa quæ cõsideratur in ægris, in tertio autem Aphorismo loquebatur de repletione in sanis corporibus, sed hoc loco non est sermo de tali repletione scilicet uasorum quæ periculosa est ne uirtus minuatur, ac suffocetur, nec de opposito idest de inanitione uasorum in sanis, in qua etiam est periculum, at inanitio in ægris potest quandoque laudabilis esse, sicut etiã quandoq; repletio in ipsis rationabilis est, non tamen semper, quoniam si daretur ægro panis, & caro pullorum, & oua sorbilia cum uino, quando ægro requiritur dieta tenuis, tunc repletio ista in summo esset & est dieta multum crassa, quoniam secundum Hippoc. sententiam ea tenuis est, quæ constat ex ptisanæ succo, secundum uero nostram positionem est corpus ptisanæ, si est in extremo remissa, ubi autem augetur ratio uictus ita ut ad summum repletionis deueniamus talem repletionẽ periculosam esse dicit Hipp. respectu ægrorũ. Itaque tum dieta tenuis in summo, tum repletio ad extremum periculosa est, illa quidem quia nimis debilitat, hæc uero, quia potest

test suffocare uirtutem, unde multi interficiunt ægros hac repletione, non quia implent corpora ægrorum sicut implentur athletæ, sed quia dant pleniorem cibum quàm oportet, quod uitium prouenit sæpissime ratione astantium, unde diuinissime noster Herculanus dicebat, nunquam se potuisse dietare ægros secundum uerum canonem propter istas maledictas fœminas, quæ indulgent ægris in omni re. Animaduertite quod Hippocra. dixit dietam ad extremum tenuem esse molestam, & grauem, non autem periculosam, sicut fecit in prima parte Aphorismi, quoniam uidebat dietam hãc sæpe esse cũ ratione factam, sic de suo opposito dicamus in summo, hoc enim modo hic intelligendũ est, quoniam cõfert illis, qui possunt eam tolerare, sed hoc sæpe non stat, nam sunt multa corpora ut picrocola quæ debent nutriri sæpe, & parum, ratione uirtutis, quæ facile resoluitur in eis. Dieta igitur tenuis in summo, & repletio in summo in ægris, et si sunt cũ ratione, quandoque tamen non conueniunt ob dictam rationem, itaque summe replere, & summe dictare difficile est quamuis fiat hoc cum ratione. Dicit autem litera Græca χαλεπὸς quoniam infirmus non potest aliquando ferre talem exquisitam dietã, ut optime Hippoc. expressit in secundo de ratione uictus, quem librum oportet legi, ad hoc ut bene intelligit possint, quæcunque hoc loco traduntur. Est molesta igitur, & difficilis, quia sæpe medicus ignorat quando conueniat, & quando non. Patet itaque iam

ueritas

ueritas Aphorismi, & etiam quare non attulit rationem in prima parte, quoniam satis per se euidens est, q; periculosum est uti uictu exquisitißimo, sed quia opus erat probare q; dieta in summo tenuis, difficilis est, ideo per rationem probauit hoc in secunda parte, per quam probationem etiam patet oppositum suum.

V.



N tenui uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur, quicunque enim error, committitur, maior in hoc fit q̃ in paulo pleniori uictu, quo circa etiam sanisualde periculosus est tenuis et exquisitus uictus quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque admodum exquisitus eo qui paulo plenior, magis periculosus.

Hippocrates ponens errores, qui fieri solent circa administrationem exquisitæ dietæ primũ dixit de illo errore dum datur tenuis dieta, quæ non conuenit, & est præter rationem, postea de illis erroribus, qui fiunt quando dieta tenuis cum ratione ministratur, uidelicet, dum nihil uolumus dare, postremo dixit quod dieta tenuis quomodocunq; detur, semper habet quid periculi. Nunc uero ponit errores cõtingentes circa exquisitißimam in se consideratam dietam, quorum unus est, q; semper persistere in tenuißi-

nuißima dieta est periculosum, quòdq; declinandum in dietatione potius est ad plenum, quam ad tenuem, non tamen absolute oportet ad plenum declinare, sed ad paulo pleniorem. Dicitq; quod tenuis dieta, tam in sanis, q̃ in ægris semper habet periculum, & si bona in se sit. Hac posita intentione oportet modo inuenire in qua parte Aphorismus sit, quoniam omnia ista uerba admodum longa sunt. Dico itaque quod Aphorismus incipit illic. Ob hoc igitur tenuis uictus, atque admodum exquisitus. In prima autem parte consiliũ continetur, & probatio Aphorismi, sensus autem Aphorismi est, quod tenuis, & exquisitus uictus ut in pluribus est magis periculosus, quam paulo plenior, & iste est uerus Aphorismus, qui probatur per suam rationem, quæ hic præponitur, sicut etiam factum est in tertio Aphorismo, solet enim Hippoc. quandoque proferre cum ratione Aphorismum, quandoque autẽ sine ea, cum uero rationem affert, tunc quandoq; præponitur, quandoque postponitnr, & hoc non solũ Hippoc. obseruauit, uerum etiam Aristoteles secundo rethoricorum, ubi dicit quod sententiæ habent rationem sæpe præpositam, sæpe etiam postpositam. hic igitur est anteposita ratio, nam sententia Aphori mi est, ꝙ uictus declinans ad tenuitatem magis periculosus est, q̃ paulo plenior, ergo utendum est uictu pleniori hoc autem dico (inquit Hippocr.) quoniam in tenui uictu ægri delinquunt, ubi duo sunt, primum quod ægri delinquunt in tenui uictu, secundum uero quod cum delinquunt, læduntur, probandum modo est quomodo

ægri

ægri in tali uictu delinquunt, ſed dices poſſunt ne nõ delinquere? Dico q, peccatum nullo modo uitari poteſt, quoniam dum inſtituitur tenuis uictus ægris aliquando tunc inſurgunt ipſi, & aſtantes, maxime uero mulieres, dicentes medicum exhibere exquiſitiſsimam dietam, ut ægrum interficiat, præterea ipſimet ægri ſemper dum uidentur torqueri fame (non quod reuera torqueantur) poſcunt ab aſtantibus aliquid plus, quàm conuenit, quoniam non uidentur poſſe perpeti inſtitutum à medico uictum, & ſic uolentes delinquunt, ex quo poſtea læduntur, præterea nolẽtes delinquunt quoniam inſtituta uictus ratione tenui uirtus debilitatur, unde peccant plurimum, nam neceßarium eſt, q ægri moueantur & ſurgant ad ſcamnum, & ut ſtratum accommodetur, omnis autem in ægro malus eſt motus maxime dum utitur ac tenui dieta, præterea ex apertione feneſtrarũ captãt aerẽ, ideo bene dicebat alibi Hipp. q ubi fames & indigentia eſt, laborandum non eſt, ſed quieſcendum, quaſi dicere uellet, q cum quis uſus fuerit tenui dieta, omnis ei motio ualde nocet, quoniam deſtruitur uirtus, quæ iam debilis eſt. Præterea animi accidentia multum extinguunt uirtutem. Cauendum itaque eſt à tenui iſta dieta, nã ſi eſt neceße fieri deliquium, hoc magis fit in dieta tenui, q̃ in plena. Quod neceſſario delinquant, iam ſatis patet. Quod ſi ita eſt, ergo magis læ detur iſte, q̃ ſi uteretur uictu pleniori, non detur igitur ægro uictus ita tenuis, ex quo delinquant. Probo modo, q lædantur duplici ratione, prima eſt, quoniã,
cum

cũ ægri usi fuerint dieta tenui, inanitum iam est corpus tale per hãc dietã, et uirtus est diminuta, et læsa, cui postea cum detur cibus plenior, tunc duplex fit læsio, nam primum uirtus suffocatur, cũ iam ualde debilitata sit non ualens cibum etiam exhibitum bene concoquere. Deinde præter consuetudinem cibum dabis, quoniã erat antea aßuetus uti tenuiori dieta, ideo cũ antea per cõsuetudinẽ per tres dies uel plures esset assuetus uti huiusmodi dieta tenui. si modo dabis cibum in plus, tunc ipsum à cõsuetudine diuertes, unde subitas mutationes efficies, quæ à uirtute non tolerantur, ergo sequitur, q̃ lædetur uirtus, et dũ hoc continget, maximos uidebitis errores consequẽtes, qui ab Hipp. in 2. lib. acutorum positi sunt. Hæc igitur sunt nocumenta, quæ sequuntur in dieta tenuiori ægrorum, dũ s. ipsi uolunt. Quando uero nolentes læduntur (ut superius dixi) ex tenuiori uictu, q̃ qui utuntur paulo pleniori, probatur, nam nõne uirtus in istis est magis læsa ab istis causis alterantibus uidelicet ab aere & similibus? quẽadmodum optime Galenus in tertio artis paruæ à principio declarauit, si modo magis alterantur, ergo magis lædẽtur tales ægri, quàm alii, hoc enim est, quod hic dicit Hipp. legamus modo literam. In tenui uictu ægri delinquunt &c. Deleatis in contextu illud Magnus quoniam est superfluum, ratio ipsius Hippocratis talis est, quoniam qui cibantur, tales habent uirtutem magis fortem, ergo magis resistit rebus præter naturalibus, quàm inaniti, ut uerbi gratia, est aliquis, qui magis tolerat uirtutem,

tutem,q̃ alius,hoc autem eſt à fortiori uirtute, ergo peccatum,quod ſit in tenui uictu eſt maius,q̃ in pleniori. Declarato Aphoriſmo,dat deinde ſimilitudinem, & exemplum & hoc ſæpe facit ad manifeſtandã magis ueritatem,quemadmodum etiam dicebat Galenus in ſecundo Aphoriſmo,& inquit. Propterea etiam ſanis periculoſus exiſtit &c. Nam in ſanis etiam corporibus uictus tenuis eſt magis moleſtus, q̃ paulo plenior. Notate circa hanc partem contra illud,quod male medici dant ſuis ægris,& eſt id,quod clamat Plato in libro De republica contra illos, qui homines ſanos cum tenui dieta contorquebant, quos tortores appellat,ex tali enim tenui dieta homines inertes reddebantur,ut quandoque non poſſent ſuas exercere actiones,ſi igitur(inquit Hippoc.)iſta dieta tenuis eſt etiã mala pro ſanis,quoniam multi errores eam inſequuntur,uituperandi ſunt illi,qui tali dieta corpora contorquent. Circa modo hanc partem aduertatis, q, uictus tenuis in ſanis non eſt idem ut in ægris, nam uictus tenuis in ſano eſt,ut caro pullorum, uinum dilutum,panis fermentaceus, quiquidem uictus ſi detur ægro eſt pleniſsimus,& fortaſſe poterit ſuffocare eius uirtutem,in quo calor naturalis eſt ualde debilis. Sed quare ita? Notate rationem,in corpore enim ſano primum ualidi ſunt motus,tam animi,q̃ corporis, adeſt corpus in motu,adeſt calor innatus ualidus, pori cutis ſunt aperti,iſtud tale patitur plurimam reſolutionem,& euentationem,quoniam ſe exercet,ergo corpus ſanum plurimo eget alimento reſpectu ægri, at

corpus

corpus ægrum opposito modo se habet, quoniam uirtus est oppressa, pori sunt clausi, calor naturalis debilis, pauco eget alimento, sed potius cibo expurgante, & ideo huic tantum damus mellicratum, aut nihil exhibemus, sano uero oportet dare carnem pullorum, oua sorbilia, & huiusmodi, quæ cibaria facile concoquũtur, & ualde resolubilia sunt, sicut patet in nostra tabula. Vnde cum corpus sanum his utitur, semper plus de bono resoluitur, q̃ de eo, quo nutritur, nam si laborant, statim resoluuntur, neque bene uenere uti possunt, neque cibare alimenta crassa, neq; cum sociis uersari, neque cum puellis, alioqui lædentur, sed semper solitarie uiuunt, sicut corpora neutra, quæ continue sua sponte uiuunt, quam quidem uictus rationem in sanis Hippocrates ualde uituperat, cum nõ semper ista uictus ratio seruari poßit, in sanis igitur dieta tenuis periculosa est ob multa nocumenta, quæ insequuntur, & qui hanc tenuem dietam tempore suæ sanitatis sibi præscribere, peccant, quoniã de facili delinquunt. Videatis ergo, quid hic Hippocrates, q, scilicet dieta tenuis in sanis, & ægris est mala, & incommoda ad eam sequentia sunt mala, non ob id tamen debemus incedere in aliud extremnm, scilicet in craßißimam uictus rationem, ut faciũt Athletæ, nec comedere media nocte, ut faciunt porci, sed debemus uti dieta media, paulo pleniori, quamuis quandoque ægris opus sit aliquid non exhibere, ut in angina, quæ semper terminatur in uigesimaquarta hora, hoc autem raro fit in aliis morbis. Iam patet Aphorismus in propatulo, sunt

modo tollendi multi errores, tum in contextu, tum in commento, qui non fuerunt præceptoris mei Leoniceni traducentis, sed alterius peruersoris, dum uoluit nonnulla illi traductioni superaddere. Deleatis igitur (ut dixi) illud Magnus in contextu, cum in Græco codice non adsit, neque aliquem sensum importet, immo contextus sententiam corrumpat, ut discurrenti satis patebit, causa autem erroris fuit, quia in contextu antiquo adest illa particula, at Theodorus Gaza, & ipse illam non habet particulam, non legatur igitur Magnus sed Maior postea circa commentum in principio Galenus ponit expositionem antiquorum Hipp. interpretantium, qui addebant illud Plurimum suo modo legentes contextum. In tenui uictu plurimum ægri delinquunt, coarctantes Hippocr. sententiam. Galenus uero non uult, q̃ illud addatur, quo sensus sit uniuersalior, & utilior. Volebant igitur antiqui illi, q̃ ratione uictus tenuis ut plurimum errent, & delinquant ægri, quoniam dum uterentur tali dieta tenui, postea cogerẽtur, uellent, nollent magis cibari, unde uolunt, q̃ deliquium omnino ad dietam referatur. At dicit Galenus hoc non est ita, quoniam hoc dictũ solum modo de his qui uolunt, non de his, qui nolunt intelligi poßet, uerum istud est generaliter positum tam de his, qui uolunt, quàm de his qui nolunt. Dũ igitur ægri delinquunt in tenui uictu, hoc referendũ est ad uictus tenuitatem, & ad ægros. Quare Galeni expositio melior est, qui uult, q̃ & ratione uictus & ægrotantium fiat talis error in dieta tenui, quomodo

uero sit hoc,uideatis Galenum in commento satis cla ro,& à nobis iam declarato. In tenui uictu magna ex parte duo peccant, qui ægrotant. *deleatis illud* Duo *præterea ubi dicit* In tenui uictu bifariam &c. *deponatis etiam illud* Bifariam *quoniam in Græco codice nõ reperitur. Quando autem dicit* Adhuc autem delinquunt &c.*deleatis illud* Adhuc autem *& faciatis, q. contextus ita iaceat* Quoniam si delinquunt &c.*& sic recte stabit littera . Accedo ad alterum Aphorismum.*

VI.



Xtremis morbis extrema exquisite remedia optima sunt.

APhorismus præsens uerus est,& integer. Verus quidē quoniam omnes rei proprietates paucis his uerbis cõplectitur, integer autem quoniam nihil continet superfluum, diminutũve. Sententia ipsius nota est,quod scilicet extremis morbis ultima adhibenda sunt remedia, ita ut morbi æquipolleant.Antequã declaremus Aph.in primis tangendũ unum est dubium,nã uidetur Aph. iste quodam modo interpositus,cum enim Hip. proposuerit loqui de ratione uictus,et iam multa superius de ipsa dixerit, cur affert istum sermonem intermediũ de morbis acutis? dico quod optime positus est hoc loco talis Aph.quia cum in duobus prædictis Aph.dam-

nauerit Hippocrates duos canones circa dietam, et dixerit dietam tenuem ſemper habere periculum ſecum, aliquis potuiſſet dicere, cur cum tenuis dieta non uacet culpa, et hic tamen de tenui uictu loquatur Hippocrates, ideo excuſat ſe quod quandoque neceſſario cogimur dare tenuem cibum ægris in aliquibus morbis, uidelicet in extremis morbis, ita quod inquit morbum extremum egere dieta extrema, ideſt ualde ſubtili, et talis eſt continuatio huius Aphoriſmi in quo Hippoc. reſpondet, ut dixi tacitæ obiectioni, et dicit quod quãuis tenuis cibus periculoſus eſt tamen in caſu aliquo conuenit, ubi maius eſt auxilium, quam noxa. Non eſt itaque Hippo. reprehendendus, nam ſicut ſcribit Gal. in tertio De ratione uictus capite De oximelite, oximel quomodocunque paretur ſemper lædit inteſtina, abradendo, & mordicando ea, tamen quando maius adiumentum prouenit ab eo, quam læſio, non debemus rationem habere inteſtinorum. Pro recta intellectione Aphoriſmi exponam in primis terminos, & primum declarabo prædicatum deinde ſubiectum, nam ubi legitur, extrema remedia rectius legerim extremæ curationes, cui lectioni aſtipulatur Græca litera, quæ talis eſt αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι, præterquam quod curatio eſt magis generale nomen, & tam cibo, quàm medicamento conuenit, uerum, ſeu remedia ſeu curationes, legatur idẽ importat, ſi dicatis remedia ſcitis quod ipſa poſſunt tribus modis perfici, chirurgia, medicamento, dieta, maxime autem per cibum, & potum, & de is tribus loquitur Hippo. in prima hac particula, no

tandum

tandum uero est quod cum dicimus:extremam dietam significamus, uel nihil dandum uel mellicratum, tantum, ueniamus modo ad subiectum Aphoris. quod est in primis uerbis contentum,scilicet extremis morbis. Multi decipiuntur putantes morbos extremos esse pessimos, & lætales, quasi Hippocr. nos hortetur ut in illis utamur exquisitissimis remediis, quod tamen est cõtra Hippocratem omnino,pro quo bene aduertatis, nam extremi morbi cum sint lætales,his nondanda(dicit Hippoc.)extrema remedia, unde male intelligunt eius mentem illi qui pro hunc citant Aphorismũ,nam in morbis lætalibus mandat Hipp. nihil omnino dari ,sed solis eos prognosticis relinquendos,solo enim prognostico relinquendi sunt illi quorum uigorem in talibus morbis mors excipere solet,unde Galenus. 12. therape.inquit non exhibẽda morituris esse remedia, ne postea medicis mortis culpa ascribatur, qui ea auxilia propinauerint, & si modo aliqua exhibere uolumus , ea mitiora exhiberi impert. Videtis igitur quod non debemus pro morbis extremis intelligere lætales. Extremus autem morbus secundum Hippocratem est acutissimus,et admodum præceps,qui motum uehementem in suis accidentibus,& celerrimum habet, quoniam cito terminatur , morbus itaque extremus duas habet conditiones dictas,præterea periculosus est,nisi cito,& recte ei occurramus,quoniam præceps est ad utranque partem,scilicet ad salutem,& ad mortem. Vnde Hip.in secunda particula Aphorismorum Acutorum morborum, non omnino sunt , inquit,

certæ prænunciationes, nulla enim certitudo sanitatis, aut mortis de ipsis potest haberi, quia possunt dũ sunt in præcipiti motu ad utranque partem facillime declinare, cum uero morbus extremus præceps sit matu re ei occurrendum auxilio, si non ad mortem declina uerit. Quod uero qui extremi morbi sunt semper acu ti sint, & duas dictas conditiones habeant, scilicet mo tum uelocem, & uehementiam cum sæuitate accidentium lagatis Hippocratem in secũda particula Apho rismorum Aphorismo. 19. acutorum morborum, ubi inquit Hipp. q febris ephemera licet habeat uelocem motum non tamen est febris acuta quoniam non habet aliam conditionem, quæ est in uehementia accidentiũ. Iam patet quid dicendum sit de subiecto huius Aphorismi q est in illis uerbis extremis morbis, idest quando sunt in extremo, & sunt illi morbi (ut diximus) qui accidentia sæua habent, et motum uelocem non autem illi sunt, qui tantum habent malitiam. Oportet itaque exhibere extrema, & fortia illis auxilia, non autem leuiora, quoniam cum sint in magnitudine, & cito, uel ad mortem, uel ad salutem terminabiles non dant indu cias, ut possimus leuia auxilia afferre secundum regu larem curandi methodum. Itaque Galenus quinto methodi loquens de fluxu sanguinis à pulmone prouenientis, debemus, inquit, deuenire ad extrema remedia statim, quoniam talis motus non dat inducias, & hoc est contra Erasistratum qui probabat remedia leuia in morbis extremis, & imperitus non uidebat, q ægris mortem præparabat, inde laudandi sunt chirurgi qui obser

obſeruantes morbi magnitudinem remedia illi comparant, & cum ulcus uident modicam habere ſaniem, & quaſi temperatum, tunc abſtergunt, ſed quando peßimum eſt, tunc non inchoant à leuioribu s, applicant abſtergentia, ſed ualide exiccantia, et ign em, quod ſi caro putredine peccat non contenti his ſtatim carnem illam, quæ putrida eſt reſcindunt, ne ſinceræ partes afficiantur, itaque ſecundum morbi magnitudinem applicari remedia debent, quod etiam præceptum rationales medici obſeruant. Debent enim morbo auxilia æquipollere, primum autem dicamus quomodo æquiualet in alteratione, nam ſi ſit morbus extremus in temperatura uerbi gratia, recedens à temperamento per quatuor gradus caliditatis, qui ſit in ſummo, tunc talis remouenda eſt temperatura applicando medicinam quæ in quarto gradu humectet, & infrigidet, quoniam ſi morbus eſt calidus, & ſiccus in quarto qui ueniat per ſuum contrarium in gradu tollendus, ergo ei occurrendum eſt cum æquiualenti contrario in gradu, alioqui ſi applicarentur contraria in tertio gradu tantum, non fieret medicus uoti compos, ſic ſi admouerentur contraria, quæ quartum gradum excederent, non utique idonea eſſent. Et hoc idem dicendum eſt de morbo cum materia, quod de morbo in temperatura dictum eſt, nam ſi ſint in corpore aliquo tres heminæ, uel tres menſuræ humoris peccantis oportet exhibere huic medicamentum euacuans, quod

respondeat, & æquipolleat illi superfluæ plenitudini, non autem diminutæ, aut superfluæ correspondeat, nā si plus quā decet educatur, tunc deterior fiet morbus, quia membrum debilitatur, & corpus, si uero minor fuerit euacuatio quam par est, tunc debet alia fieri euacuatio ut resoluatur humor remanens. Non est itaque maior facienda resolutio ne alius morbus causetur & locus nimis exsiccetur, quemadmodū Galenus tradit in tertio artis paruæ. Sed dicet aliquis medicinæ candidatus, tu dicis quod si fuerit uerbi gratia temperatura quæ recesserit ab æqualitate per tres caliditatis gradus tunc debemus dare frigida in gradu tertio qui æqualis est, ego uero cōtra ita possem instare, nam non sequetur actio illius auxilii contra caliditatis excessum, quoniam ab æquali non sit actio, sed a maiori inæqualitaie, ideo si morbus est, uerbi gratia calidus, & siccus in quarto gradu, & huic exhibeantur medicamenta contraria in quarto gradu, certe nulla fiet actio, quoniam medicamenta si debent remouere morbum, debent etiam superare illum in gradu, ergo requiritur auxiliū maius, uerbi gratia frigidum in quinto, oportet enim ut ex parte agentis sit excessus, ex parte uero passi diminutio adhoc ut fiat actio, itaq; si morbus peccabit in quarto gradu, requiritur auxilium præualens ei, uerbi gratia in quinto, ut dixi, uel in sexto. Dico ad hoc quod qui sic instat, non recte percipit rem, quoniam Aristoteles, & in physicis, & in libris De generatione inquit sane quod ab æqualibus non prouenit actio, tamen in fine primi libri De generatio-

ratione de mixtione loquens dixit ſi bona debet mixtio fieri, agens & paſſum æqualia ſint oportet, at ſi aliquid debet agere in aliud tunc oportet quod agens ſit maius paſſo ut ſi librum igni con mittamus comburendum, neceſſe eſt ut ignis agens ſit in plus, alioqui librum non combureret. Verum cum uolumus deducere aliquid ad temperamentum, perfectamq́; mixtionem, & reducere agens & paſſum ad æqualitatem, neceſſe eſt ut agens & paſſum ſint æqualia, uerbi gratia ſi feruentem aquam deducere intendimus ad temperamentnm, & tepiditatem, requiritur ex parte paſſi, & agentis æqualitas in gradu. Et iuniores in hac re implicantur mirum in modum. A me autem concluſionem ueram habetis, & claram ſolutionem ad difficultatem. Requiritur igitur quod Remedia ſint æqualia in gradu ad reparandum morbi lapſum, & hoc uerum eſt de morbo ab intemperie, & à plenitudine, nā ſi ſit in uenis plenitudo trium heminarum faciens illū morbum, tunc opus eſt medicina euacuatiua illarum tantum trium heminarū, & ſi euacuet plus aut minus ſemper nocebit, atque fortaſſe cauſa deterioris morbi erit. Eſt aliud dubium, nam dixit Hippocrat. ſupra in Aphoriſmo tertio, ubi uidetur innuere plenitudinem, euacuandam eſſe ad extremum, hic uero ſecundum ipſum debemus euacuare ſolum quantum oportet, non autem uſque ad ſyncopen, & ad extremnm. Dico quod extremum in euacuatione diuerſimodè in his locis intelligitur, illic enim loquitur de extremitate euacuationis corporum athletarum, quæ in illis fie-

ri debet ut corpora talia deducantur ad aliud extre mum.ſ.ad ſummã purgationem ita quod educatur cũ humore nocuo etiam aliquid humoris iuuantis,uerbi gratia quando accidit ut quis habeat in corpore decem heminas humoris.et ſanguinis is erit ita plenus ut periculum immineat ne à tali plenitudine ſuffocetur aut male ſe habeat,quare corpus illud debet exquiſitiſsime euacuari,ut deducatur ad aliũ terminũ, uidelicet ad inanitionẽ.Et animaduertẽdum eſt,q̃ nõ intelligimus de extrema euacuatione,quãdo.ſ.euacuatio deducit corpus ad oppoſitum terminum.i. ad ſummã inanitionem, ſed potius de illa quæ euacuat totã plenitudinem humoris peccãtis,non autẽ omnes alios et materias,quæ ſunt in corpore, ut uerbi gratia dũ eſt morbus aliquis p̃ intemperiẽ in.4. calidus, certe intentio medici eſt uti extrema euacuatione,quo euacuetur talis humor peccãs ad extremũ, et deducatur corpus illud ad temperiem,non autem ad frigiditatẽ, ut fiat glaties,ſic de extrema euacuatione in plenitudine dicendum eſt ut.ſ.tantum euacuetur morbus ille materialis,et prauus humor,non autem q̃ euacuetur bonum,& malum ſimul,ut ſpiritus etiam ipſi.Intelligitur igitur in tertio Aphoriſmo de extrema euacuatione hoc pacto, ut nihil remaneat de plenitudine in corpore,ſed tota materia euacuetur etiã cũ eo quod bonum eſt, hoc uero loco dicit Hippoc. de extrema euacuatione dum extreme euacuamus, quod eſt tantum malum,dimittendo,quod eſt bonum,& ita extrema euacuatio eſt æquiuoca,patet ergo Aphoriſmus,

quod

quod extrema remedia extremis morbis conueniunt tam in pharmaco exhibendo, quam in chirurgia, & in dieta, atque uictus quod tertium est optime considerandum, quoniam de hoc in præsenti libro intendit Hippoc. loqui. Vidimus igitur quod extremis morbis conuenit extrema dieta scilicet nihil dare, aut mellicratum tantum. Hoc autem exquisite habemus in sequenti Aphorismo, qui quidem est uelut expositor huius sexti Aphorismi.

VII.



Bi morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extreme tenuissimo uictu utendũ est, ubi uero non, sed pleniorem uictum contingit adhibere, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

INtẽtio Hip. in præsenti Aphorismo est declarare qui sint extremi morbi, dũ.n. dicit. Vbi morbus declarat partem esse superioris Aphorismi, et facit sillogismum hoc modo. Morbus ille est extremus, qui habet extremos labores, morbus autẽ peractus talis est ergo extremus morbus, est morbus pacutus. Quod ad maiorẽ attinet, aduertendum quod per labores, id est symptomata quæ laborẽ inferunt intelligimus essentiales, et insequentes necessario morbum, et ista accidentia propria faciunt ad cognitionẽ morbi, quæ uero

ro non propria sunt, non faciunt ad morbi cognitionẽ, ex 7. meta. Quoniam non sunt de essentia rei, quia talia infinita sunt. Nos igitur de essentialibus accidentibus loquimur, quæ rei sequuntur essentiã, sicut umbra corpus, ut primo de anima, ubi dicit philosophus quod animæ accidentia maxima conferunt ad cognoscendũ quod quid est animæ, et animam ipsam, ita etiam accidentia propria faciunt cognoscere morbũ, uerbi gratia pleuritis habet accidentia propria essentialia hæc, dolorem pungitiuũ in latere, tußim, difficultatẽ anhelitus, febrem continuam, pulsum ferinum, quæ omnia nos in cognitionem manducunt ipsius pleuritidis, & quanto sunt intensiora, tanto morbus fit & ipse intensior uerbi gratia quãto dolor pungitiuus in latere erit intensior, tanto magis etiã pleuritis augebitur, sic de pulsu dicendũ est, similiter quo magis crescit calor eò magis et ipsa febris, pariter dicendum de siti in febre, sunt enim ista accidentia per se in morbo, nõ autẽ si apparet rubor magnus in facie, dicendũ ergo febris magna, quia hoc per accidens est. Notandum est quod recte Hippoc. appellauit symptomata labores, quoniã illa dicuntur uera, & propria symptomata, quæ labores faciũt, et de his loquimur, atque ista est minor syllogismi quæ probatur, nam morbus acutus habet duas conditiones ex secundo Aphorismorum Aphorismo decimo notãdum autem, ꝙ Hippoc. propriißime dixit labores non autem symptomata, quia intelligit per symptomata, propria labores qui sunt symptomata propria, & per se, ueluti ardor in febre, et dolor lateralis

in

in pleuritide, dicuntur igitur labores hæc ſymptomata quæ quanto grauiora ſunt, tanto deteriorem morbum faciunt, & niſi eſſent hæc ſæua ſymptomata, morbus non perciperetur ab ægro, ideo bene dicit labores eſſe ſymptomata uera, & propria morbi, in quo ſunt. Vbi igitur morbus peracutus eſt extremos habet labores, ideo in extremis morbis & peracutis conueniunt extrema remedia, ut eſt tenuiſsima dieta, quæ eſt nihil dare, aut aquam tantum mellis. Cum autem Hippocrat. protulerit hanc ſententiam, quod extremus morbus extremos habet labores, cui conuenit exquiſite tenuis dieta non attulit, rationem ullam, ſed Galenus eam affert dicens dietam extremam conuenire ob id morbis peracutis, quoniam natura tunc maxime circa morbum, & accidentia occupata eſt. Animaduertite hic quoniam ſcio uos audituros aliorum errores. Dico quòd ubi in ſummo morbo ſunt extrema accidentia, illic etiam neceſſario adeſt morbi ſtatus, & ex conſequenti natura tunc eſt ualde oppreſſa circa morbum & accidentia ſua, quia morbi ſtatus coniungitur cum ſtatu accidentium, ſic enim dico, quia in collegiis iſti ſemper pronunciant ita, morbum quo ad accidentia eſſe in declinatione, ſed quo ad morbum tunc eſt uel augmentum, uel ſtatus, à quibus caueatis moneo, dico igitur, quòd eadem eſt accidentium & morbi ſummitas, quia ſtatus accidentium, & morbi eſt idem. Et ſunt in errore illi qui, dum inquirunt ſtatum morbi deſpiciunt ſtatum accidentium, tenete itaque hoc pro conteſ-

feſſo, quod ubi in morbo ſumma reperiuntur acciden tia, tunc etiam neceſſario morbi ſtatus reperitur, & magnitudo, & ſæuitas accidentium, & læuitas neceſ ſario ſequitur leuitatem, & ſæuitatem morbi, unde cũ accidentia ſunt in ſtatu ſic etiam morbus in ſtatu eſt, quia morbum, ſicut umbra corpus, ſequuntur, unde etiam ſequitur quod ubi ſæuitas & ſtatus in acciden tibus eſt, illic quoque ſtatus eſt, & ſæuitas morbi, at cum morbus in ſtatu eſt tũc natura ualde eſt oppreſ ſa circa morbum, ergo tunc non eſt dandus cibus, ut etiam Gal. ait, nam uirtus magis opprimeretur, quia haberet negotium ſimul, & cum morbo, & cum cibo, quare tunc abſtinendum à cibo eſt, ne ab opere ſuo na tura diſtrahatur. Sed quia dixi modo eundem eſſe morbi, & accidentium ſtatum, uidetur eſſe contra hanc concluſionem. Gal. authoritas in tertio regimi- nis acutorum circa ultimum, uel penultimum cõmen- tum, dicit enim eo loco Gal. ſæpe fit, ut morbus fiat mitior, tamen accidentia fiant ſæuiora, & maiora. In terdum uero ſimul augetur morbus, & accidentia, ita quod morbus, & accidentia morbum inſequentia, ſunt in ſtatu, & uehementiora, ergo uidetur conclu- ſio noſtra falſa, ſed ſcitote, quod aliud eſt dicere, mor bus eſt magnus, & aliud morbus eſt in ſummo, & aliud, morbus eſt mitior, & aliud quod ſit ſæuior, nam ſtat quod aliquando morbus fiat mitior, & ta- men accedat prope ſtatum. Stat aliquando etiã, quod alter morbus fiat deterior, nec unquàm accedat ad ſtatum, maxima enim eſt differentia, quãdo dicimus

mor-

morbum mitiorem fieri (ut inquit Gal.) intra ſtatum, dum fit maior, ſiue modo fiat perfectus, & compleatur, ſiue non, ſemper tamen creſcit ad ſuum ſtatũ, unde omnia orta augentur, & aucta ſeneſcunt, & occidunt, omnia enim quæ oriuntur, quatuor habent tempora, principium, augmentum, ſtatum, declinationem, ſic & morbus, cum ortus eſt, ſemper in motu eſt, & uſque ad ſtatum augetur, ac plerunque dum augentur morbi, minores fiunt, et declinant, taleſq́; ſalubres ſunt, qui habent quatuor tempora, ſed morbus perniciosus habet tria tantum tempora, nam declinatione caret, Vnde morbus cuius quatuor tempora ſunt, licet mitior in principio ſit, tamen ſemper augetur uſq; ad ſtatum, et pariter accidentia eius, quæ fiunt maiora, ſecũdum quod etiã morbus maior fit, et ſicut morbus peruenit ad ſtatum, ſic et accidentia cũ eo, tamen morbus fit mitior in ſtatu, quoniã in principio crudus erat, poſtea in augmento factus eſt minus crudus, in ſtatu uero concoctus eſt, unde qualis erat in augmento morbus, ſic et accidentia, quoniam fit pugna à natura cum morbo, ut patet per Galenum primo, et ſecundo De criſi, et tũc aſtãtes, et uulgus ualde terrentur, et metuunt ægro, dum uidẽt ſæua accidentia, medicus uero gaudet, quia uidet ſignum manifeſtiſsimum ex horum ſymptomatum motu, quod natura fortiter et ſtrenue certat cũ morbo, atq; eum uincit, tunc.n. morbus mitior fit, ſed ſæua ſunt accidentia, & maxime augentur, neque tamen tollitur tunc morbi magnitudo, quanuis miteſcit. Morbus igitur ſa-

lubris

lubris prope statum magnus est,& cum eo accidentia sæua,nec mirum est,si in pugna inualescunt accidentia donec natura uictrix euadit. Verũ sæpe aliter uidemus,& opposito modo contingere,dum scilicet morbus mali moris est, & pernitiosus, is non fit amplius magnus,quia iam fuit in statu,sed fit deterior,ut uerbi gratia se habet in febribus pestilentibus, in quibus quandoque accidentia uidentur mitiora,& urinæ appar ẽt naturales,similiter in pleuritide res habet,quæ cum agetur usque ad statum,agentur eius etiam accidentia, tunc postea si fuerit salubris, factus est mitior morbus,sin minus,cõtra,deterior fit et uergit ad mortem,tamen accidentia cessant hoc autem non ob aliud fit,ni si ratione malignitatis morbi,qui tendit ad interitum, acquirit enim tunc pleuritis gradum malitiæ non autem magnitudinis,cessant igitur tunc accidentia(ut dixi modo) quia natura deficiens non amplius cum materia pugnat,suis iam uiribus deficientibus,et tunc morbus naturam ipsam, uirtutemq; superat,& membra reddit stupida.dolor igitur cessat uel uidetur cessare cum symptomatibus, unde optime dicebat Hippoc.Quicunque dolorem habent, & non sentiunt,illis mens ęgrotat dicimus itaq; q̃ cũ morbus crescit usque ad statum,tamen fit mitior,quia cõcoquitur,& accidentia simul augentur circa statum, & talis morbus magnus dicitur,et salubris,atque de hoc Gal. exemplum dat loco citato, sæpe fit(inquit) mitior morbus,& tamen agentur accidentia,ut uerbi gratia in apostemate,quod deuenit ad abscessum, pus concoqui-

concoquitur,fitq́; mitius,& tamen accidentia tunc augentur,quoniam apostema,tunc in statu est,& tunc fit concoctio. Omnia hæc habetis à Gal.in 2.De crisi, ubi diuidit morbi tempora penes concoctionem, cruditatemq́;,nam dũ incipit materia concoqui, tunc augmentum morbi est,dum uero iam concocta est, tunc status est,in quo accidentia sunt sæuiora,ergo dum maturatur apostema,tũc magis crescunt accidentia,fitq́; morbus maior,quod signum est naturam pugnare, & uincere. At quando morbus in statu deterior fit, tunc cessat quidem quoad magnitudinem, nec tamen minor fit,sed malignior,nec tunc augentur accidentia,imo desinunt,quoniam natura uincitur ab inualescente morbo,& tunc bene concedo,quod accidentia remittuntur, sed morbus fit deterior,qui iam uenit ad statum, & quanto deterior fit,eo magis remittuntur accidentia, nam corpus,& membra redduntur stolida,& corrumpuntur,ut de Cancrena patet,unde quandoque in apostemate fit cancrena,quoniam mortificatur membrum & tunc dolor,& febris,aliaq́; huiusmodi cessant accidentia,at si morbus sit salubris,in statu accidentia augentur,& morbus mitior fit,quare recte Gal.ait,q, accidentia sæpe augentur,& tamen morbus fit mitior, & sic dictum Gal.non est contra nos,quoniam nos loquimur de magnitudine morbi,quando crescit. Gale. uero De morbo insalubri,qui in statu fit deterior quoniam uirtutem superat,in quo tunc remittuntur accidentia; ut patet de apostemate cum est in principio, postea augetur,& tandem deuenit ad statum, sic fa-

ciunt accidentia eius,quæ crescunt in augmento, et in statu,sicut & morbus,cum uero peruenit apostema ad statum,nec tendit ad salutem,sed ad cancrenam,& ad membri corruptionē(quia tunc cadit in deterius) tunc temporis decrescunt accidentia,nec aliud sibi uult illic Galenus alioqui sibi contradiceret. Vnde dicam,id q̃, ipse solet aliquando,dum laudat Hippocratem. Probo hoc(inquit) non quia Hippocrates hoc dicit,sed quia cum ratione dicit,sic & ego Galen. ueneror,non quia Galenus est,sed quia cum ratione loquitur.Hæc dixi, ut bene intelligatis autoritates,& sciatis me nihil sine forti ratione dicere. Deueniamus, modo ad Aphorismum, & redeamus ad sermonem nostrum,in quo dicebamus,quod oportebat dare tenuißimam dietam morbo in extremo,quia habet extremos labores, quoniam natura(utGalenus in commento ait)pugnat cum materia, itaque non est ob opere suo impedienda , alioqui multi committerentur errores,et prima ratio est,quoniam natura est iam fatigata, nec posset, recte concoquere cibum, & si modo posset tamen auerteretur ab incepto,& morbus fortior fieret, quemadmodum Hippocrates , & Galenus ostendunt in primo De ratione uictus contra eos, qui dabant plurimum uictum ægris, & prima hæc ratio est Galeni,atque bona sanè.Secunda uero est Hippocratis in quarto commento quarti Aphorismorū ubi Hippocrates loquitur De ratione uictus , & Galenus ex Hippocrate aßignat nocumenta prouenientia,quando ratio uictus indebite administratur ægris prope statum,nam tunc defessa natura est et

eget

eget expiatione cum tenuißimo uictu, ergo debemus dimittere eam, cum oppreſſa ſit, & quia pugnat cauendũ igitur ne detur cibus in ſtatu, & iſta eſt ratio Hippocratis, & Galeni. Vbi uero non, ſed pleniorem. Expedita prima parte modo addit Hippocrates, quod ſi morbus non ſit prope ſtatum ſed ab eum remotus, tunc quanto morbus non eſt ita acutus, aut prope ſtatum ſed mitio: tum uberiori uictum utendum eſt reſpectu uictus tenuißimi, et ratio huius patet (omnia enim pendent ab uno principio) nam quando natura oppreſſa eſt in concoquenda materia quanto magis opprimitur, tuuc oritur talis indicatio quod tanto tenuiori uictu debemus uti, quia uirtus eſt quæ dat nobis precepta de uictus ratione, unde quanto natura magis cum morbo pugnat, tanto debemus abſtinuere à cibo, iſta enim eſt regula Topica à ſimpliciter ad ſimpliciter, ſi ergo ſic habet res quãto recedit morbus à ſtatu ſuo, tanto etiam uirtus eſt minus oppreſſa, itaque tunc dabimus uberiorem uictum & ratio huius dupelx eſt, prima quidem quoniam uirtus non eſt tunc ita oppreſſa, quoniam ſtatus diſtantior eſt. Secunda ratio eſt quia eam ſalutem uirtutem conſeruabitis, ut mox ualenter poßit in ſtatu pugnare cũ morbo, nam ſi in principio eã nõ nutrietis, poſtea cogemini in ſtatu nutrire.

VIII.

Q Vando morbus in ſuo uigore conſti- terit, tunc uictu tenuiſsimo utendum eſt.

IX.



Oniectari autem oportet an æ- ger cum uictu ſufficiat perdu- rare, donec morbus conſiſtat, & nunquid prius ille deficiat, nec poſsit uictu perdurare, uel mor- bus ante deficiat, atque hebete- ſcat.

X.



Vibus igitur ſtatim morbus con- ſiſtit, is ſtatim tenuis uictus adhi- bendus eſt, quibus uero poſterius debet conſiſtere, iis & in ipſo cō ſiſtendi tempore & parum ante illud cibus ſubtrahendus, prius ue ro uberius agendum, ut æger ſufficiat.

H I Aphoriſmi uſque ad undecimum incluſiue ſi mul pendent, qui iam plani ſunt, animaduerti- te

te bene, quia breuiter omnes declarabo. Positum fuit fundamentum, q; extremis morbis extrema remedia cõ ueniunt, scitis iam, quod per extremos morbos intelligebamus, dũ sunt in summo, dicit modo, q; quando sunt in statu. s. in summo suæ magnitudinis, non in summo malitiæ, tunc illi cõueniunt extrema remedia, quæ multa sunt, facit tamen mentionem hic de dieta, & tunc exhibemus tenuißimum uictum, nã si uerum est, q; in acutis tenuiori dieta uti debemus, quia in illis status prope est, in statu igitur ista dieta conueniet, sequitur ẽt hoc q; dum morbus est peracutus propè statum debemus in illo uti dieta tenuißima, & huius ratio patet, quia status est proximus, q; si status remotior, tunc debemus uti uberiori uictu, sequitur demum alius Aphorismus facilis, nam non ne dixi? q; ubi morbus est peracutus, & extremus, extremos habet labores, & tunc uirtus est oppressa, quod si ita est, ergo non debemus eam tunc, ab opere suo diuertere, sed in paroxismo uirtus est maxime oppressa, & accidentia tunc sunt magna, & sæua, ergo à cibo abstinendum est. Eadem. n. est ratio de paroxismo, ut de statu morbi, quia in paroxismo accidẽtia etiã sũt magna, si ita est, ergo in paroxismo particulari morbi debemus à cibo abstinere, sicut ẽt in statu eius abstinemus. Hipp. igitur uidetur in nono Aphorismo ita uelle dicere, q; quamuis omnia uera sint, quæ diximus, adest tamẽ unus scopus, qui est ut uideamus utrum uirtus sufficiat, uel non ad sustinendam tenuem institutam dietam, quoniã uirtus est quæ præscribit dietam, & limitat gradus eius, & hoc etiã

facit quanuis status paroxismi propè futurus sit, tamen si hoc per accidens efficiat, uirtus autem per se, si igitur uirtus ualida fuerit nihil debemus in statu dare, sit uero debilis tunc dandum est, quantum oportet. Sed dicet quis omnia sunt uera, cæterum libenter scirem quomodo uirtus sufferat, uel non, & quomodo non poßit resistere, usque statum. Dico q; alii libri Galeni legendi sunt, qui hoc declarant, unde Galenus in decimo therapeutices. 4. 5. 6. et 7. capitibus, prætereà etiam in 11. cap. atq; in undecimo Terapeutices in fine circa capita illa ultima docet quando, & quando non debemus uti dieta tenui, & dat exemplum, ostenditq; quomodo conueniat cibum dare in statu paroxismi sunt, enim quædam indicationes quæ hoc ostendunt. Primum attendenda uirtus est ægri corporis, quoniam sunt quædam corpora, quæ non ferunt dietam, qualia sunt picrocola calida, & sicca; quæ maxime abundant bile circa uentriculum, talia sæpe in die Alenda sunt, quia facile resoluuntur, & difficile ferunt ieiunium, ideo in principio debemus talia nutrire. Prætera considerenda uentriculi temperatura est, nam qui sunt uentriculi calidi, & sicci, & biliosi, hi à principio paroxismi sunt quandoq; alendi, pro quo uidete secundum De regimine uictus ideo, non credatis ubiq; dictum hoc Hippocrat. uerum esse, quod scilicet circa statum nihil dandnm est, sed hoc intelligitur in his tantum, qui facile ieiunium ferunt, qualia corpora sunt humida, & pinguia, nam ista corpora non sunt in principio paroxismi alenda propter dictã ratio-

rationem, quoniam ſcilicet facile ieiunium ferunt uſque ad totum ſtatum. Amplius ſpectanda regio eſt, hæc enim ſi calida, & ſicca eſt nullo negotio reſoluit corpora, ideo ea oportet magis nutrire. Amplius, anni conſtitutio, quæ ſi fuerit calidisſima magis reſoluit corpora quia multum bilis per eam gignitur, & facile occurrunt ſyncopæ. Item aduertenda maxime conſuetudo eſt, aliqui enim ſunt, qui in incolumitate plurimum, comedunt aliqui uero parum, unde ruſtici, baiuliq; cum fuerit in ſtatu morbi non ſunt ſuſtinendi mellicrato, uel panatella, ſed faba, faſeolis, cepa. De ratione igitur morbi oportet dare tenuem uictum, ſed iſta ratio uictus ob alias cauſas limitanda eſt, cauſæ autem ſunt, quæ modo explicatæ fuerunt, conſuetudo, temperatura, corpus, annus, regio, conſtitutio, de quibus omnibus uberius tractat Galenus ſecundo de ratione uictus capite de conſuetudinibus, præterea etiam in primo De acutis ubi oſtendit quomodo ægri dietandi ſint cum ptiſana. Iam itaque patet, quæ dicit Hippocrates uſque ad Aphoriſmum duo decimum.

X I.



N acceßionibus abſtinere oportet, nam cibum dare nocuum eſt & quibus per circuitum fiũt acceßiones, in ipſa acceßione abſtinere oportet.

APhorismus iste iam supra expositus est; dictũ enim fuit, quod ubi extremi sunt morbi illic extremi etiam sunt labores, ergo tunc cauendum à cibo, modo dicit, q, etiam in paroxismis oportet idem præstare scilicet subtiliare rationem uictus cum in eis uirtus sit maxime oppressa propter extremos labores quos secum ferunt. Dicendum modo est pro declaratione Aphorismi quid sit paroxismus in morbis. Paroxismus nihil planè aliud est, nisi inuasio morbi, dum morbus fit acerbior, ut in febre tertiana, & in aliis periodicis febribus, quæ præscriptos habẽt terminos, in quibus exacerbantur, tertiana enim altero die exacerbatur, quæ exacerbatio fit à principio febris usq; ad statum exclusiue, paroxismus igitur dicitur, dum febris inuadens procedit, & augetur usque ad statum, in quo quidem paroxismo abstinendum à cibo est. Hactenus habetis Aphorismum iam expositum, restat modo dicendum quando magis innocue poßimus ægrum cibare & in qua parte paroxismi sit magis à cibo abstinendum, nunquid in principio, an in augmento & utrum in statu acceßionis. Dico itaque abstinendum à cibo esse, secundum q, maius uel minus periculum imminet, pro quo considerandum à nobis est qui nam, & qualis sit status paroxismi; quoniam scimus, quòd debemus magis in statu cauere à cibo, tunc enim magni ingruunt labores uirtuti. Itaque si explorabimus, quando uirtus minus sit ab accidẽtibus oppressa, tunc minus erit periculum cibũ exhibere, quæ omnia declarat Galenus decimo therapeutices in fine, ubi monet,

net, q; cum uolumus ægrum in paroxiſmo nutrire imprimis uidere debemus nunquid ullũ ſit ſpacium et ulla quies inter alterũ atq; alterũ paroxiſmũ, nã ſi ſit, tũc debemus alere, ſin minus ſed duo paroxiſmi ſeſe inuicem coniungant, ita ut finis unius copuletur cum alterius principio, tunc quæritur quomodo & quando liceat cibare illum ægrum, an magis circa principium futuri paroxiſmi, an circa ſtatum præcedentis, uel in declinatione eius, nam ſi circa ſtatum præcedẽtis tũc alemus in tempore maxime longinquo à ſequenti paroxiſmo, ſi uero in principio futuri, tunc uitabimus incommodum alendi in ſtatu præcedentis paroxiſmi. Cum ita quæ oporteat uel in ſtatu præcedentis paroxiſmi, uel in principio futuri alere, Galenus monet conſiderandum, prius eſſe morbi et naturam & locũ, nam morbi natura, omnia ſcire facit, quoniam ſi morbus erit ex illis, qui à craſſa materia dependent (ut uerbi gratia ſi ſit inflammatio circa uentriculum & hepar, aut circa alia huiuſmodi naturalia membra) nihil deterius eſt quàm alere in principio, quoniam tunc augebitur inflammatio, et oppilatio, uirtus nãq; obſeſſa eſt, at ſi morbus ab humore ſubtili & colera pendebit, nec ſit in membris naturalibus illis oppilatio, nec inflammatio, tunc ſanè melius eſt (inquit Galenus) in principio alere & neceſſarium eſſe & ualde utile, iſta eſt una conditio, quæ omnino à medico cognoſci debet ex parte morbi, quod ſcilicet ſi morbus ſit extrema uiſcera naturalia, & pendeat à materia ſubtili, tunc bonum eſt in principio alimentum

In ſtatu uero ſi pendeat à cholera, & ſit magna caliditas, & acciditas (ut in febre cholerica) Galenus inquit tunc oportet ægrum ali, nam prodeſt hoc facere, quoniam ipſius corpus humectatur, ſi uero plurima ſit & craſſa materia, tunc peſſimum eſt in principio nutrire. Præterea perpendenda temporum natura eſt, nã principium paroxiſmi interdum fit cum frigore ſine caloris reuocatione, interdum uero cum reuocatione, & ſi eſt cum reuocatione, caue ægrum alas in principio paroxiſmi, calor enim in profundo occupatur à materia morbi, ſi uero incipit ſine reuocatione caloris tunc cibum dato in principio paroxiſmi. Quandoque præſtat alere in principio ratione materiæ morbi, quãdoque in ſtatu, atque ita tandem reſpondemus propoſitæ quæſtioni, utrum deterius ſit cibum dare in principio ne an in ſtatu. Dico enim quod quandoque deterius eſt in ſtatu, quandoque uero in principio, & ita non eſt perpetua regula iſta de uictu dando in paroxiſmo. Habetis itaque, ꝙ non eſt alendus æger in paroxiſmo, & ſi modo oportet, tunc magis conuenit interdum in principio, interdum uero magis in ſtatu cibare, & ſic non poſſumus reſpondere niſi prius morbi naturam perpendamus, morbũq; diſtinguamus, atq; alia obſeruemus quæ Gal. copioſe loco citato tradit.

XII.



Ccesſiones uero, & conſtitutiones, morbi indicabunt, & anni tẽpora, & circuitum ſucceſſiua incrementa, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue per maiora interualla fiant, ſed ex his, quæ mox apparent indicia ſumuntur, quemadmodum in morbo laterali ſi circa initia ſtatim ſputum appareat, morbum breuiat ſi uero poſtea appareat, producit. Et urinæ, & alui excrementa, & ſudores, quæcunque apparuerint, uel bonam morborum indicationem, uel malã, uel breues, aut longos fore morbos oſtendunt.

VT recte poſitis intelligere præſentẽ Aphoriſmum, qui pulcherrimus eſt, oportet primũ meminiſſe eorũ quæ ſuperius dicebamus, Audiuiſtis quẽadmodum ab Hippocrate fuerunt propoſitæ nõnullæ indicationes, quò ſciretis optime inſtituere ægris tenuẽ uictus rationem particulariter, & exquiſite, & quomodo limitandus eis ſit cibus, circa quod Hippocr. propoſuit tria indicationum genera quæ tenuem, hanc uictus rationem limitant. Primum genus fuit, ut doceret quomodo ex parte morbi in generali ſciremus limitare ipſam dietam tenuem, ſecundum genus (& eſt magis particulare primo) docet quomodo limitãdat ſit dieta particularis in paroxiſmis particularibus, tertium

genus

genus, quod & ipsum ſumitur à uirtute, quæ regina eſt omnium, docet cum qua ratione reſpectu uirtutis uictus ſit eligendus penes tenuitatem & craſsitiem. Circa primum indicationis genus dicebamus, q. à ſtatu morbi ſumitur iſtud, à quo ſtatu ratio uictus in uniuerſali oritur, nam morbi ſtatus in uniuerſum conſideratur an ſcilicet futurus ſit tardus an breuis, aut uelox, penes quam uelocitatem & tarditatem ſtatus ipſius morbi naſcitur indicatio, quando ſit adminiſtrandus uictus tenuis et craſſus, hoc autem iam in 6. 7. 8. & 10. Aphoriſmis declaratum eſt. Secundum genus indicationum habetur à particularibus morborum paroxiſmis, nam paroxiſmi morbi partes dant indicationes particulares, quomodo nutriri debeat æger in particulari paroxiſmo morbi, aliud enim eſt dicere quomodo limitanda dieta eſt in toto morbo uniuerſali, de qua in ſuperioribus egit Aphoriſmis, et aliud eſt quomodo limitanda ſit in particularibus paroxiſmis de quo ultimo in undecimo pertractauit Aphoriſmo. Tertium genus indicationum ſumitur à uirtute ueluti à regina aliorum, quoniam omnes hæc alias limitat, prima nanque indicatio quæ à morbo ſumitur, & ſecunda, quæ à paroxiſmis particularibus, tertiæ huic deſeruiunt indicationi, quæ ſumitur à uirtute, nam huic tanquam reginæ duæ illæ priores miniſtræ ſunt, nam ſi uirtus permiſerit ille optime perficientur indicationes, ſin minus, neque ipſæ admittunt, quandoquidem uirtute mutata omnia alia immutantur, in principio enim paroxiſmi cogimur quã-

doque uberius nutrire uirtute ita exigente, et de hoc Hippoc. nono Aphoriſmo dixit. Sunt itaque tria indicationum de uictu inſtituendo genera incipiendo à ſexto Aphoriſmo incluſiue, & deueniendo uſque ad undecimum incluſiue. Quare habetis quomodo Aphoriſmi de tenui dieta ſe inuicem habeant à ſexto uſque ad undecimum, Hipp. modo in hoc Aphoriſmo aliud intendit declarare, ſine cuius declaratione fruſtra ſciretis indicationes ſumptas à tribus illis generibus, quoniam licet ſciretis etiam in uniuerſali indicationem morbi uniuerſalis ſcilicet dum breuis ſtatus eſt, quod tenuis tunc dieta conueniat, & dum longinquus ſtatus eſt, craſſa requiratur, præterea & ſi nouiſſetis qua hora cibandus ſit æger, tamen fruſtra indicationem à uirtute ſumptam cognoſcetis, niſi prius intelligatis, quando morbi ſtatus futurus ſit breuis uel longus, uelox uel tardus, & quando uirtus futura ſit fortis uel debilis in primo etiam ipſo die, nam ignoraretis inſtitutionem uictus, quam indicationem intendit hoc loco Hippoc. docere, dimittens declarare, quomodo uirtus conſtet, nam dimittit in præſentia hoc duas ob cauſas, tam enim quia in prognoſticis iſtud dictum eſt, tum quia facile poteſt uno intuitu cognoſci, quis enim eſt, qui non cognoſcat in principio morbi fortis ne ſit uirtus, an non? denotat ſiquidem hoc inſpectat ægri facies, ſignificat etiã pulſus ipſius, notificat hoc idem habitus totius, uirtute.n. debili exiſtẽti tunc facies ſquallida apparet, præterea ægri iacẽt malo decubitu, ipſi etiã pulſus dicunt hoc, amplius motus cor-

poris,

poris, & excrementa, de quibus exacte dixit maxime in primo prognosticorum, ubi habet talia uerba. Cum fueris uocatus ad ægrum statim debes eius faciem contemplari, & explorare, num plana habeat tempora, acutas nares, cauos oculos, præterea oportet scire an supinus tantum stare posit (quoniam isti grauiter ægrotantes hoc modo tantum iacere possunt,) expulsu uero cognoscitur quoque utrum constet uirius nec ne, , statim enim ex tactu pulsus patefit uirtus, uel debilitas eius. Quòd uero excrementa, uerbi gratia urina, & feces hoc declarent, mulieres hoc etiam ipsæ norunt, ob hanc igitur causam dimisit hoc membrum Hippocrates, quomodo scilicet fortitudinem cognoscamus, & debilitatem uirtutis, præterea Galenus de hoc primo, & secundo De crisi agit, ideo nos etiam omittemus in præsentia hoc ipsum membrum, & tantum indagabimus quomodo status morbi, & paroxismi sit breuis, uel tardus futurus, & quomodo cognoscenda natura sit paroxismorum. Accessiones uero, & constitutiones. præsens Aphorismus duas habet partes quarum prima incipit ibi. Accessiones uero, secunda autem illic Sed & ex his quæ mox apparent, in primis ut primam partem aggrediamur cognoscendi nobis quidam termini sunt, qui in hac parte continentur, nam ex hoc postea ueritas Aphorismi patebit. Sciendum itaque in primis est, quòd accesio apud medicos est pars periodi idest circuitus. Quam Græci paroxismum dicunt, nostri uero, tum accesionem, tum exacerbationem appellant,

paroxiſmus eſt determinata periodi pars, periodus uero dicitur circuitus,& diffinitur à Galen.tum hic, tum etiam in lib.De Tipo,& eſt ſimilis reditus eiuſdem in idem, ita quod periodus circulum facit, & ſemper eodem modo eſt,ergo periodus motus circularis eſt,& redditus ſimilis eiuſdem in idem, eſt enim uniuerſale hoc in morbis,in quibus contingit, & maxime in febribus,ſunt enim morbi alioqui periodici, qui tamen non ſunt febres,ut eſt epilepſia,podagra,& huiuſmodi,in quibus reperitur iſte reditus huius reflexionis ad eandem affectionem,at plurimum ſeruamus hos periodos in febribus interpollatis, periodus ergo eſt(ut dixit Galenus)ut in tertiana febre, quæ affligit de tertio in tertium, ut ſi inuadat à decima hora diei,& duret uſque ad uigeſimam, poſtea ceſſet, quæ febris poſtea incipiat ſic in tertia die, uel uariet iſtũ circulum ratione primæ,in quo incipit, ut ſi incipiat ab hora duodecima diei,tamen ſemper duret per tot horas,iſtud totum ſpacium ab una inuaſione ad aliam dicitur à Græcis periodus,& à Latinis circulus, aut circuitus. Sic quoque ſe habet iſte circuitus in aliis morbis,in quibus fit. Quem medici noſtri temporis melius aſſueti ſunt periodum nomine Græco nuncupare,quàm Latino,& paroxiſmum etiam,quàm acceſſionem,& mulieres quoque magis intelligunt, imo ſi quis mulieribus diceret acceßionem adeſſe, credent ipſæ ſibi iniurias dici, paroxiſmus autem eſt deterior pars periodi,ut etiam inquit Gale.in commento, qui incipit à principio inuaſionis,& durat uſq; ad ſta-

tum inclusiue, paroxismus enim sub se continet principium, augumentum, & statum, non autem declinationem, quoniam hæc non est paroxismi pars, sed tantum periodi. Declaratis his explicabo modo nunc, quid sit morbi constitutio, quæ nihil aliud est, nisi progreßus uehemens morbi, quem alius seruat in tarditate, alius in uelocitate, alter cum uehementia, alius sine uehemẽtia, unde ratione huius diuersitatis in progreßu fiũt diuersi morbi, & cum unusquisq; morbus seruet suũ progressum, secundum quandam rationem determinatam, tunc dicitur morbus constitutus, quia scimus, quã morbi naturam determinatam curemus, siue sit tardus, uel uelox, uel uehemens, unde & ipsi legisperiti seruant hoc et dicũt suam causam esse constitutã, quando inuenta est res, de qua pertractandum sit, & non poßent suam defendere causam, nisi prius illius causæ constitutionem haberent, sicut & medici non poßent recte curare, nisi haberent morbi constitutionẽ, à qua omnes curatiuæ indicationes oriuntur. Morbi enim in triplici sunt differentia iuxta uelocitatem, aut tarditatem motus, quidam sunt cronici, alii medii, aliqui uero acuti. Cronici sunt, quicunque ultra quadragesimũ diem porriguntur, talesq; acuti ex decidentia dicuntur. Morbi uero acuti sunt in triplici differentia, alii.n. sunt absolute acuti, qui terminãtur in quartadecima, ut tertiana uera, et pleuritis uera tertiana, siquidẽ in septẽ periodis terminatur, alii pacuti sunt, ceu febris synocha, qui in septima finiũt, alii sunt peracuti, idest ualde acuti uti Tetanus, qui in quarta transit,

ſit,ut angina,& cauſon,atque ita uel ex tardo,uel celeri progreſſu morborum ſumuntur conſtitutiones. Audite modo quid ſit morbus, is planè nihil aliud eſt, quàm diſpoſitio præter naturam in corpore, à qua immediate proueniunt operationes, læſæ, qui etiam dicitur indiſpoſitio, à qua immediate læſæ proueniunt operationes, diſpoſitiones nanque corporis præter naturam triplices ſunt, morbi cauſa, morbus, & ſymptoma morbi, ut uerbi gratia cum, uel bilis,uel pituita aucta eſt in quantitate,aut qualitate, tunc humor ille cauſa morbi dicitur,dum propter talem humorem obſtructio,putrefactio,aut apoſtema fit, ex quo poſtea læduntur humani corporis operationes in tribus uirtutibus,uidelicet uitali,animali, & naturali,poteſt enim eſſe,q aut bilis,aut alius humor ſecundum quantitatem,aut qualitatẽ peccet in corpore, non tamen efficiat morbum,talis autem læſio morbus uocatur qui ab eo pendet cauſa,quæ uero hanc læſionem cõſequuntur,& habent morbũ factum,ſicuti morbus à bile proueniens eſt,quem ſitis ardentiſsima conſequitur, dolor capitis maximus, caliditas manifeſta ad totius corporis tactum,omnia hæc ſymptomata appellantur morbum comitantia. Videamus modo quid ſit incremẽtum periodi,hoc à Græcis ἀνταπόδοσις dicitur, et Leonicenus præceptor noſter uertit incrementum ſucceſsiuum,nam reuera ob linguæ noſtræ penuriam non habemus proprium nomen, Græci enim ἀνταπόδοσιν uocant remunerationem, medici uero uocant eundem ordinem periodi,eandem,atque circuitus magnitudinem,

n licet

licet non commode ſanè. Acceſsiones uero & conſti-tutiones. hæc eſt prima pars, in qua intendit docere quo nam pactò cognoſcantur conſtitutiones morborũ, & paroxiſmorum, ut ex hoc poſtea ſciamus dietam om nem ægrorũ limitare, docetq; has haberi ex ſignis mor bi, hi enim acceßiones declarant, quare ſi recte morbo rum naturam nouerimus, acceßionum quoq; naturam ſciamus oportet, unde errant medici noſtrorum tempo rum, qui dum uolunt morbum cognoſcere expectãt pa roxiſmum, ut ex eo morbum ipſum, qualis ſit, coniiciãt, cum tamen totum oppoſitum Gal. ſecundo De criſi di-cat, ubi recte docet methodum cognoſcendi morbi, ex cuius poſtea cognitione in paroxiſmi ducimur notitiã, & ita tota ab illo pendet cognitio. Sed ſi res ita ha-bet, dicet aliquis, quin tu hanc morbi naturam cum ad-eo neceſſaria ſit, doces? Gal. copioſe primo & ſecundo De criſi, inſuper etiam in libro De morborum differen tiis, & in libro prognoſticorum rem hãc explicat, nos uero paucis ipſam perſtringemus. Morbi enim ex tri-bus cognoſcuntur, ex materia, ex forma, & ex loco, & in his uos exerceatis oportet, qui quidem non debetis propterea deterreri, quoniam ex frequenti iſtarum exercitatione feruenti animo artem hãc poſtea tractu temporis exercebitis, atq; illud uobis primum accidet, quod his contingit, qui inexperti ſcientiæ cytharizan di meticuloſe primum cytharam pulſant, deinde uero cum iam exerciti ſunt illam audacter pulſant. Incipia mus itaq; docere quomodo morbus à forma primũ co-gnoſcatur, cognoſcitur enim ab ea hunc in modum, uer

bi

bi gratia ſit febris,quæ eſt calor naturalis uerſus ad igneum,tunc is calor ignitus dicitur forma febris,ſimiliter forma epilepſiæ eſt contractio, quæ contingit in ipſa,itaque ut inueniatis rectam formam,ſemper illud explorat quod morbum caracterizat,ideo cum febricitantem tangentes percipietis intenſam,mordacemq́; in ipſo caliditatem, aut paroxiſmum inuadentem unà cũ frigore uidebitis,ſcietis hoc à forma,quæ eſt febris tertiana,ſed hoc non ſufficit,ſed morbi materiam inſpiciatis neceſſe eſt,quam,ex his quæ euacuãtur,cognoſcetis, nam cum uidetis urinam lucidam,& citrinam,& penitus bilis colorem habentem, poteſtis dicere materiam bilioſam eſſe talis morbi cauſam, ſimiliter de reliquis dicendum excrementis.Cognoſcetis prætereà à loco,nã tertiana ſuum habet locum,ut plurimum enim in caput graſſatur propter materiei tenuitatem,ſimiliter ſi ſit inflammatio in thorace, & in membrana ſuccingente coſtas,huiuſmodi loci inflammatio pleuritidem notificat,inflammatio enim nihil aliud eſt, q̃ ſubita eruptio ad certum,determinatumq́; locum facta à calidiori materia,quæ ab iſtis uulgaribus medicis dicitur apoſtema calidum,fit autem,ut quando locus ſit notabilis, licet materia quandoque pituitoſa ſit, tamen ratione loci,in quo morbus eſt,poſſimus iudicare conſtitutionem cito fore terminabilem,ut patet de apoplexia & epilepſia,ſimiliter etiam ſi ſit affectio aliqua uentriculi,à qua ille impediatur à perfecta concoctione,tunc ſcimus ibi generari maximam pituitæ copiam, & ob id morbum fore longum,& ſic ab his omnibus naturam mor

bi cognoſcimus, per quam poſtea cognitionẽ aſſequimur conſtitutionum, & paroxiſmorum. Secundum uero ſignum quo acceßiones & conſtitutiones cognoſcimus, ſunt anni tempora, & annexa, nam quandoque cõtingit morbum longum ex ſe eſſe, tamen propter anni tempus breuiorem fieri, ut Hippoc. & Galenus inquiũt de quartana accidere, quæ ex ſe quidem morbus longus eſt, ſi tamen fiat in æſtate, citius tranſit ratione calidi temporis atque ita per temporis diſpoſitionem morbi progreſſum, & paroxiſmorum breuitatem, longitudinemq; cognoſcimus, nam paroxiſmi tertianæ durant ꝑ duodecim tantum horas (ut teſtatur Galenus 2. De criſi) attamen ſi contingant in hieme procraſtinantur, fiuntq; ratione frigoris longiores. Amplius annexa ducunt nos in cognitionem ſupradictorum, hæc autẽ ſunt ætas cœli ſtatus, & temperatura, quæ omnia ſibi inuicem ſuccedunt, & correſpondent, uer enim pueritiæ, æſtas iuuentuti reſpondent, ſimiliter calida & ſicca temperatura æſtati, præterea calida, & ſicca regio temperaturæ correſpondet calidæ, & ſiccæ, ſic dicatis de reliquis. Dicimus enim morbi conſtitutionem, atque longitudinem, breuitatemq; paroxiſmorum aduerti ex tẽperatura, quoniam ſi uerbi gratia tertiana febris contingat habenti frigidam, & ſiccam temperaturam, ut his, qui in ultimo ſenio conſtituti ſunt, tunc febris ipſa tertiana ſero eſt reſolubilis ſumpta à temperatura indicatione, ſimiliter ſi accidat hæc alicui in frigida, & ſicca regione agenti, omnia iſta longiorem faciunt tertianam & tardiorem, atque habita ita explicatione

hac

hac reliqua habetis annexa explicata. Tertium ſignum ſunt periodorum incrementa, quæ penes moram diſtinguuntur, etenim ſi uidemus incrementa eſſe longiora, tunc compertum habemus longam illam etiam morbi constitutionem fore. Et hic aduertatis, q; dicuntur quædam ſymptomata παθογνωμονικά, quæ quidem morbi eſſentiam conſequuntur, ſtatim nanque facto morbo iſta exoriuntur ſigna, quæ ſunt ueluti aßeclæ morbi, nam ut morbus creſcit, ita & ipſa augentur, ſunt etiam quædam ſymptomata, quæ συνεδρεύοντα appellantur idest aſſidentia, quæ non ſequuntur morbum à principio, ſed ſunt poſt apparentia, ita q; facto morbo quandoque apparent, quandoque non. Cum itaque periodorum incrementa in ſe habeant, ut anticipent, ut ſint accidentia uehementiora, ut longius perſiſtant; ſi inquam tria hæc concurrant, breuem dicatis fore conſtitutionem, & paroxiſmos. Accedamus ad ſigna poſt apparentia, & in hoc ſtudioſe animaduertatis, quoniam paucis uolo, quæ dicit Gal. in commento explicare. Debetis ſcire, ut modo dicebam, q; ſunt aliqua ſigna pathognomonica, quæ eßentialiter manifeſtant morbum, his enim poſitis ſtatim ponitur & morbus, q; non eßet, niſi talia ſigna de morbi eßentia forent, maximamq; cum ipſo haberent affinitatem, nam ſi morbo duntaxat accederent, non hercle tantam fidem facerent, accidentia enim per accidens non pariunt ſcientiam, unde habetote hoc pro cõfeßo, quoties aliqua ſunt ſigna ualde indicantia ægritudinem, illa eße de morbi illius eßentia, eiusq; ſequi principium, ſicut riſibile ſemper hominẽ ſequitur, quo-

posito statim & ipsa sequitur risibilitas. Sunt deinde alia, quæ post sequuntur hominem, ut habere philosophiæ scientiam, istud enim non inest homini à principio, sic dicatis etiam de signis, quædã enim morbi principium sectantur, ita ut eo constituto statim huius appareant signa, quædam uero apparent post principium tantum morbi, uerbi gratia pleuritis est inflammatio calida facta in panniculo illo succingente costas ob aliquam materiæ collectionem, cum autem locus inflammationis sit membrana neruosa, ob id ea admodum sensibilis est, itaque facta aliqua inflammatione, statim in ipsa dolor apparet, dolor igitur erit signum pathognomonicum insequens principium pleuritidis, & erit dolor non simpliciter, sed acutus (quare autem fiat dolor acutus in pleuritide Galen. dicit 2. De locis affectis,) rursus cum in tali panniculo fiat inflammatio, inflammatio autem, cum nequeat esse absque calore præternaturali, ideo fiet etiam in pleuritide calor præternaturalis, et quia locus inflãmationis proximus est cordi, ergo fiet febris, et tale erit etiam signum pathognomonicum, & quoniam ubi est inflammatio talis, ibi est mẽbrum faciens ad respirationem, ideo affecta illa parte sequitur difficultas anhelitus, & quia impeditur etiã pulmo, propterea fit tussis, quæ nihil est aliud, quàm motus factus ab ipso pulmone ad aliquod nocuum expellendum, & ita uidetis, quomodo posita ista inflammatione in illo panniculo sequuntur ista omnia signa, quæ essentialia sunt, nec non sequentia principium, & essentiam morbi, quæ non indicant tamen magnitudi-

nem, aut paruitatem morbi, similiter nec longitudinẽ, nec breuitatem ipsius manifestant. Alia autem sunt signa, quæ et ipsa aliquomodo uidentur de essentia morbi, quæ apparent postquàm factus est morbus, & ista quandoque apparent, quandoque nõ, ut sputum in pleuresi, quãdoque enim adeo pertinax est pleuresis, ut sputum aliquo pacto nõ appareat, sed statim æger ad mortem ducatur, aliquando tale signum apparet, sed non sequitur pleuritidem, ut alia pathognomonica signa. Ista autem signa ab Hipp. post apparentia nuncupata duo indicant, aut morbi malitiam, siue bonitatem, aut terminum ipsius, ista autẽ malitia, et bonitas morum ipsorum morborum attenditur penes duo, uirtutem scilicet, & morbum, nam si uirtus superet morbum, tunc dicimus morbum esse boni moris, at si ecõuerso se habeat res, tunc morbus mali moris esse dicitur, quia uirtutem opprimit, sumitur etiam ista malitia, & bonitas à tribus aliis, ab operationibus quidem, nam si actiones mẽbrorum sunt magis, uel minus debiles, tunc morbus erit boni, aut mali moris, ut in pleuritide si quis nõ potest se continere ut non posit dormire, ex hoc indicatur morbũ esse mali moris, secundo sumitur penes excremẽta ipsa, quæ duplicia sunt, aut naturalia, ut quæ aut per urinã, aut per secessum, aut per sudorem exeunt, alia uero sunt ex toto genere præter naturam, sicut quæ per nares et per solutã continuitatẽ ut fit in fluxu hæmoroidarũ, et per huiuscemodi excernẽtur. Tertio ab ipsa qualitate mutata, ut nigredo, quæ apparet in corpore, casus capillorũ et similia, non enim me dif-

fundo in horum explicatione, quoniam habebitis ista omnia diffusißime in scriptis, quæ ego domi trado. Quæ autem ab excrementis sumuntur, & præsertim quæ per secessum euacuantur, triplicia sunt, aut enim aucta sunt, aut cruda, aut assata, nam si excrementa con cocta sunt, tunc dicemus morbum habere bonitatem mo ris, q. si fuerint cruda, hoc dupliciter continget, aut. n. sunt cruda, cum potentia tamen, ut concoquantur, aut cum im potentia ut concoquantur, si primo modo erũt, morbus non erit ex toto mali moris, sed medio modo se habebit, si uero secundo modo erunt, tunc morbus pæni tus mali moris esse dicetur, & ad mortem ducet infir- mum, ut uerbi gratia si apparet phlegma uitreum, qđ nullo modo concoqui potest, ut est in febre lyparia, si- militer dicatis si excrementa fuerint assata, in his dan tur diuersi gradus, alia nanque sunt parum assata, quæ dam uero multum assata, quæ parum assata sunt, indi- cant non esse magnum excessum in caliditate præterna turali & sic morbũ medio modo se habere in malitia, q. si fuerit facta maxima assatio, tum ostendetur nobis calorem præternaturalem ualde esse auctum, & conse quenter morbum esse mali moris, & ad mortem ducere ægrum, ut quando excrementa uirilia aut nigra appa rent, siue sit urina, siue feces, quæ per intestina exeunt. Hæc autem omnia indicant malitiam aut bonitatẽ mo- rum ipsorum morborum, audiatis modo quando ista in dicant terminum morbi, an futurus sit longus, uel bre uis. Videatis itaque hæc signa post apparentia si cito appareant, an tarde, q. si cito apparebunt, dicatis mor- bum

bum futurum esse breuem, sicuti in pleuritide sputum ipsum, q. si tarde apparebunt, morbus longus erit. Et quia omne signum dicitur esse relatiuum, ideo si istud met signum post apparens ad diuersa referatur, diuersa etiam sortietur nomina, nam si ad morbum præsentem refertur, dicitur dignosticum, si autem ad morbũ futurum, appellatur prognosticum, si uero ad præteritum, anagnosticum, idest rememoratiuum nominatur, & hoc pactò non opus est plura ista signa ponere ostẽdentia præteritum, præsentem, & futurum statum, & si addatis modo dies creticos, in quibus ista signa apparent, isti sanè pari passu indicabunt bonitatem & malitiam morbi præsentem, præteritam, & futuram, & dicẽtur tum signa cretica, & hæc satis sint pro nunc. Legamus modo istam secundam partem Aphorismi. Sed ex his, quæ mox apparent indicia sumuntur. Iam didicistis, quæ sint illa, quæ mox apparent, non oportet amplius repetere. Quemadmodum in morbo laterali. Dat exemplum Hippocrat. quomodo ea, quæ mox apparent, indicant mores morbi. Notate q. enumerauit tantum Hipp. signa ista post apparentia, dimisit autem pathognomonica, quoniam hæc non indicant mores morbi, sed naturam duntaxat atque essentiam eius. exemplum autem est de pleuritide dicens, q. si in primis statim diebus sputum non apparet iudicia talem pleuritidem fore longam, q. si statim sputum apparuerit, breuem fore diiudicabis, & ita uidetis quomodo sputum non sit signum pathognomonicum, quoniam potest esse pleuresis absque sputo, quod quidem si-

gno pathognomonico minime contingit, ipsum enim (ut dictum est) semper concomitatur morbi essentiam, à qua necessario depẽdet, sicut etiam de tussi, tussis .n. ex necessitate pleuritidem insequitur. Quòd si sputum in primis diebus aut in tertia, aut quarta die apparet, indicatur nobis morbum fore breuem, & q̃ in septima terminabitur, nam quarta est indicatiua septimæ (dicebat ille) & propterea cum apparet in principio, pleuritis cito terminabitur. Pro quo debetis animaduertere, ut dicebat Gal. in primo De crisi, principium tripliciter sumi, quandoque enim principium accipitur pro illa parte indiuisibili temporis, quæ est, quando incipit morbus & hoc pacto non capitur hic, secundo modo capitur pro illa parte, quæ quidem contra distincta est ab ipso augmento, exempli gratia ponatur q̃ in septima die sit status pleuritidis, illud tẽpus, quod est à prima die usque ad quartam diem dicitur principium, tertio modo dicitur pro illo tempore, in quo nullũ concoctionis signum apparet in ipso morbo, & est principium humoris, qui nondum est concoctus. Hic per principium intelligimus ipsum secundo modo dictum. nã in hoc principio ubi apparuerit sputum, statim diiudica morbum illum futurum breuẽ, q̃ si nõ in quarta, sed in septima die apparuerit, tunc morbus erit lõgus. Quòd si quis dicat, si pleuresis est apostema, ergo nullo modo in primis diebus propter materiei inconcoctionẽ æger potest aliquid emittere, neque uidetur uerum dictum Hippocratis dicentis, quòd in primis diebus potest apparere sputum, soluit Galenus in commento hoc dubium,

bium,q; argumentũ concludit de apostematibus extrin secis,in his.n.ob crassitiem cutis extrinsecæ nullo modo potest materia resudare ut expellatur,quia cutis est operculum materiæ,& ualde crassum,at in apostematibus intrinsecis secus se habet,quoniam in his membranæ apostematis materiam regentes admodum tenues sunt,propterea cum illis aliqua materia colligitur,tũc talis materia propter membranarum tenuitatem potest resudare,neque concoctionem expectat,sicut est in apostematibus oculorum, in quibus & si materia illa non sit concocta, tamen potest resudare ob tenuitatem membranarum ibi existentium, sic ex membrana illa costas succingente inflammata,ita ut ibi materia colligatur,portio materiæ ante concoctionem resudat,et si fiat illa resudatio in primis diebus, aliquid expuitur, & morbus breuis fit,si uero fiat in septima die,erit lõgus.Habetis hactenus omnia quæ sunt in contextu satis clara,reliquum est modo,ut terminemus curã Anaxionis à Galeno in commento positam, nam casus iste pulcherrimus est,de quo Hipp.tractat in libris epidemiarum,qui sunt cum diligentia spectandi,neque esset pauca utilitas si in scholis publice legerentur, quoniã multa arcana,imo tota medicina perdisceretur. Istum igitur casum ibi posuit Hippoc.& eundem figurauit Galenus hic,& 2.lib.De difficultate respirationis, & primo De crisi circa finem.Casus talis est.In Abderis Anaxiona, qui iuxta portas Thracias, febris acuta inuasit. Antequam ulterius progrediamur, pro faciliori dicendorum notitia notanda sunt duo

ista

ista uocabula, Abdera in singulari, & Abderæ in plurali. Abdera est insula in Ionio mari, ex qua Democritus fuit, & postea Abderita dictus est. Abderæ uero urbs est in Thessalia, in qua Hip. noster per multum tēpus artem medicam exercuit sub rege Perdica, cui ualde familiaris fuit, ut etiam supra dixi, in Abderis uero erat Anaxion quidam æger prope portas habitans, quē febris acuta inuasit, lateris dextri dolor continuus, & quæ sequuntur. Hic est dubitatio, quia uidetur Hipp. nō obseruare suam breuitatem, cui propter grauitatē tantum studuit, quoniam statim dicere potuerat, hic erat pleuriticus, & ex hoc reliqua innotuissent dolor, febris, & alia. Notandum, q̧ Hipp. recensens huiusmodi casum noluit morbi naturam (ut Gal. 2. De difficultate anhelitus refert) ostendere, sed mores morbi, nam si naturam eius manifestare uoluisset, sat erat dicere, hic pleuriticus est, uerum ipse quidem morbi mores (ut dixi) patefacere intendebat, & ob id cœpit signa post apparentia memorare, q̧ si dixisset est pleuriticus, nihil aliud, q̃ naturam habuissemus, non autē mores, salubritatem, & insalubritatem, dicit itaq; sic, hunc inuasit febris acuta, febris est signum pathognomonicum semper insequens naturam morbi, acuta uero febris est signum post apparens, quoniam potest esse pleuritis absque acuta febre, & tamen erit perfecta pleuritis, & addit Tussis sicca tußis quidem signum pathognomonicum, & ipsa insequens semper morbi naturam, sed tußis sicca est signum post apparens, quoniam potest esse quandoque tußis, quæ tamen non sicca sit,

& ita tam febris acuta, quàm tußis ſicca indicant mo re pleuritidis, præterea addit Dolor dextri lateris continuus. Et *dixi continuus, ut arceret iſtud ſignum pathognomonicum, uidelicet dolor, & faceret ipſum poſt apparens neque enim ſemper apparet dolor continuus, nam quandoque etiam interpolatus, & deinde dicit,* Neque primis diebus expuebat aliquid *hoc indicat morbi longitudinem, hic uero per ly* Primis diebus. I*ntelligatis principium, non ſecundo, ſed tertio modo dictum, patet itaque* Hippoc. *per hæc ſigna naturam indicauit ſimul & morbi mores, quia ſunt aggregata ex pathognomonicis, & poſt apparentibus. Sed ſtatim dicat aliquis, ſi accidentia erant acuta, cur morbus non erat in ſtatu, nam uidebatur ſtatus eſſe in accidentibus, & tamen morbus in principio erat.* Dico, *q; iſta accidentia ſunt per accidens, neque enim ſunt per ſe, quæ enim per ſe accidentia ſunt, per ſe morbum indicant, adiungit* Sitibundus, peruigil. N*am febris acuta ſitim indicat, & uigilias, ſitim quidem, quia febris ipſa acuta calida eſt et ſicca, cuius etiã naturæ ſitis eſt, cuius contrarium, frigidum et humidum exiſtit, uigilias uero quoniam aſcendũt uapores calidi ad cerebrum, qui uigilias inferunt ſequitur* Hippocrates Vrinæ bene coloratæ, multæ, tenues. *Contingit enim quandoque in febribus peſtilentialibus, reliquisq; à bile pendentibus, ut urinæ lucidæ ſint, & colo ratæ propter mixtionem portionis bilis cum illis, & propterea uidentur bonæ. Sed quare in iſto* Anaxione *urinæ erant multæ?* Dico, *q; medicinæ diureticæ cali-*

dæ

dæ ſunt & ſiccæ,& hac ratione multam prouocant uri nam,cum itaq; febris hæc quantum ad qualitates medi cinis diureticis aßimiletur,ob hoc ipſa contingit abũ- dantia urinæ,quia membra colliquantur,namq; medi- cina facit diuretica,quæ calida eſt & ſicca,idem facit humor etiam bilioſus febrem generans,cum ſit calidus & ſiccus,iſta igitur ſigna non referuntur ad pleuriti dem,ſed ad febrem,hæc enim febris naturam indicant, quæ poſtea pleuritidis naturam ſignificat, hæc enim ſunt per accidens,ideſt per aliud quia per febrem indi cant febrem.Poſtea ſubdit Sexta die delirauit. Intelli- gatis uos parum & quare (dicet quis)addit parum? Ratio eſt quia παραλῆρος paruum delirium eſt, illud enim παρὰ eſt præpoſitio,quæ ſemper in compoſitione minuit,ſicut παραφρενῖτις ſignificat paruam phreniti- dem,ſed etiam ex alio ſcio q; fuit paruum delirium , quia Gal. 2.de difficultate reſpirationis teſtatur , q; qui delirat,magnum habet & rarum anhelitum cum autem iſte ſit in principio, ſequitur quod non habeat magnum anhelitum,neque ex conſequenti magnum de lirium,& addit Neque calefacientia aliquid proficie bant. Notate q; Hippocr.ſolitus erat in febribus, & in principio pleuritidis adhibere fomenta,quæ laudan tur ab ipſo 2. De acutis, ſimiliter itaque dicit q; cum fomenta in principio applicata eßent uſque ad ſextã diem,nihil contulerunt,& ratio eſt,quia materia erat admodum rebellis & cruda,nam ſi ex applicatione fo mentorum in aliquo loco doloroſo dolor non ſedatur, ſignum eſt q; materia crudißima eſt , & rebellis, &

ratio est,quia fomenta concoquunt aliqualiter mate-
riam,& illam partem concoctam postea per halitum
resoluunt,& sic mitigatur dolor, qui si non mitigatur
signum est,q nulla concoctio facta est ex fomentis, &
ex consequenti nulla resolutio,ergo sequitur,q mate-
ria cruda remansit,ut erat in Anaxione nostro Septi-
ma die magis laborabat, quia febris intendebatur.
dicit q dolor auctus est die septima & febris,& nota-
te,q febris hic est per accidens, non autem morbus per
se,ideo & si ipsa augetur,reliqua uero symptomata mi
nime,hoc non est mirum,quia accidens. Ratio autem
quamobrem febris augebatur tunc est,quia materia in
cipiebat aliqualiter concoqui, & ideo cum maior es-
set pugna naturæ contra morbum, & motum maior
fieret,ex hoc sequebatur auctio febris. Neque dolo-
res cõminuebantur. Et quasi innuit,q sola febris erat
aucta notabiliter, reliqua uero symptomata minime
Octaua uenam in cubito secui: Notate quia adest
maxima difficultas,cur Hippoc.expectauerit octauam
diem ad phlobotomandam fluxionem, nam si nos nunc
expectaremus octauam diem in phlobotomando ali-
quem pleuriticum,interficeremus ipsum, & maximus
error committeretur. Galenus in tertio illo epidemia-
rum,ubi Hippoc.posuit hunc casum,exponens hæc uer
ba dixit,q Hippocrates ideo expectauit octauam di-
em,quia ipse fecit notatu dignum,quod fuit in tali die
uenæ sectio,quod autem fuerit hoc notatu dignum, Ga
lenus nullo alio modo declarauit, & miror de ipso,
quare dixerit illud esse raro factum,& huius declara
tio-

tionem prætermiserit, nam siue perraro factum intelli gat, q hoc ab Hippoc.*tantum fuerit factum, siue aliud quid, debebat declarare, & non relinquere nos in tene bris.*Dicerem ego,*q huius ratio fuit ex principio pri= mi* De *ratione uictus, q in aliqua inflammatione, ubi fortis ex istit dolor, debemus prius fomentis dolorem mitigare, quo facto deinde seca uenam, & sanguinem extrahas usque ad mutationem coloris, idest apostema tis, & hoc intelligitur quando materia est ualde rebel lis, et fortissimus existit dolor, ita ut uirtutem proster net, nam si in dolore ita fortissime mitteretur sanguis, tunc interficeremus ægrum, facta igitur aliqua lenitio ne doloris per applicationem fomentorum secanda ue nit uena, hoc est quod diuinissime dicebat* Auicen. *Cũ purgare uolueris, dolorem prius sedato, et hoc obserua uit* Hipp. *& hoc innuit per illa uerba.* Neque calefa- cientia aliquid proficiebant *ideo primo tentauit fo= mentis, quæ cum nihil contulerint, fecit, quod dixit in secundo* De *acutis, q uena erat secanda, aderãt autem in principio ingentes colores, & ob id noluit in princi pio eum phlobotomare, sed prius fomentis uoluit tenta re, quoniam ægrum interfecißet, & hoc est illud nota tu dignum, quia sic agens nobis præcepit, ut idẽ etiam, cũ tali pleuritico occurrimus, efficiamus, cui dolor ma= ximus in principio adsit, & hæc sint pro solutione quæ stionis, addit postea.* Sanguis plurimus fluxit *Gal. in* 2.De *ratione uictus docuit, quantum eßet euacuandũ, & dixit, q erat euacuandum usque ad mutationem co loris, in* 4. *uero* De *ratione uictus dixit, q erat eua= cuan=*

cuandam usque ad syncopen, licet ille quartus liber nõ sit Hippoc. *est tamen cuiusdam sui discipuli, an autẽ sit euacuandum usque ad syncopen, non est præsentis speculationis, quoniam de hoc postea dicemus, facta sectione uenæ cessauit dolor quoniam materia adhuc non erat concocta, ita ut posset excerni per tussim, ideo erãt adhuc tusses siccæ, bene erat dolor sedatus, in undecima uero die incæperunt apparere signa concoctionis, & hoc signum erat q, natura manifeste materiam concoquebat, postea incæpit sudare circa caput, & hoc quia materia, quæ in capite erat, resoluebatur, q, autem ibi adeßet, patet ex delirio, ergo signum erat in capite materiam adesse, deinde in undecima illa die febres decreuerunt, non intelligatis quantum ad magnitudinẽ, quia nondum erat in statu, sed quo ad malitiam, nam in illa die erat febris satis significans bonitatem ipsius morbi, qui cum est in augmento est mordacior intensiue, cũ uero est in statu, est mordacior extensiue, et ita potest esse, q, in statu morbus magnus sit extensiue, tamẽ paruus, quia salubris est, & bonitatem indicat, & hoc modo intelligit hic* Hippoc. *uidelicet q, febris erat minor respectu malitiei, nõ autem magnitudinis, quia non erat adhuc in statu.* In 2. *die concoctio erat manifesta, quia in* 20. *fuit crisis imperfecta ideo cessauit febris, & leuatus est, tamen remanserat sitis, et quæ è pulmone excernebantur, non erant ita bona, cuius signum erat, q, materia non erat bene expurgata & quia quæ remanent post crisim recidiuas facere solent, propterea in uigesima septima incæpit rursus febricitare, de*

inde fuit facta perfectior concoctio, & solutus fuit morbus,et sanatus est æger. Exposui hunc Aphorismũ, q̃ paucißimis uerbis potui,quoniam tempus breue admodum est.

XIII.



Senes facillime ieiunium ferunt, secundo loco qui ætatem consistẽtem habent, minus adolescentes, omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.

Hippocratis scopus in hoc libro est tradere doctrinam de purgatione corporis(ut supra dictũ est)& quia purgatio fit per potionem,per uictus administrationem,perq; manualem operationem,hic tractat de illa,quæ fit per uictus rationẽ, diximus de hoc alimento,& adnotauimus ipsum considerari,tũ absolute,tũ respectu uirtutis,atque hoc modo tripliciter, aut enim prout uirtutem conseruat, aut prout eam expurgat,aut eandem auget,Hippoc.uero hic agit de eo alimento,quod ipsam uirtutem expurgat. Et quia fuit dogmaticus ex Galeni sententia,ideo non tantum contentus fuit dicere supra expurgandam eße uirtutem ꝑ uictus rationem adhibita tenui dieta,sed dixit hoc dupliciter poſſe indicari,primo sumpta indicatione à uirtute,secundo à morbo,& ab eius constitutione,sumitur etiam indicatio à morbo particulari,uidelicet à paroxismo,

xiſmo,nunquid eius ſtatus futurus ſit longus,aut breuis,& nos ſecundum longitudinem, & breuitatem ſtatus cibum inſtituimus.Nunc autem de particulari indicatione ſumpta à uirtute,à qua limitatur alimentum, intendit pertractare,quia uero uirtutem circumſcribimus ſecundum ætates,temperaturas,conſuetudinem,tẽpus anni,regionem,& reliqua,ideo ab his ſumit metã, ut indicationes declaret ſumendas à uirtute,& primo ab ætate,& temperatura,quæ ſunt admodum ſimilia, ætas ſiquidem tempori proportionatur,ætas enim iuuẽtutis aßimilatur æſtati,ſimiliter de aliis ætatibus, & licet etiam alia tempora anni,cœli ſtatus conſtitutio, & ſimilia proportionentur tempori,non tamen iſta,ſicut illa,quia illa intrinſeca,iſta uero extrinſeca ſunt, quæ licet conueniant temperaturæ, non tamen ita, ut ætas,cum ſit(ut dixi)intrinſeca.De ætatibus tertio agemus,de quibus agit Hippoc.in hoc præſenti Aphoriſmo,ex quibus ſumitur indicatio,nũquid uirtus toleret exquiſitam uictus rationem expurgantem, & propterea dicit Senes facillime ieiunium ferunt. Aphoriſmus hic,ſi ſimpliciter coſideretur ſine ratione uidetur (ſicut eſt reuera) prolatus, noſtis enim Aphoriſmos quandoque ratione,quandoque uero ſine ratione proferri,ille ſine ratione profertur,qui per ſe notus eſt,cũ autem iſte & per ſe ſit ignotus, & ſine ratione prolatus,ob id Gal.cenſet eum conſequenti connectendum eſſe,ita ut ſequens ſit præſentis Aphoriſ.ratio, atque ſic fiat unus Aphoriſ.cum ſua ratione. Quicquid ſit ego primum explicabo totum Aphor.poſtea uero rationẽ,

postremo dubitationes, si quæ erunt examinandæ, explicabimus, memores semper dicti illius tertio metaphysices, ubi docet Philosophus pertractandas esse dubitationes, quæ circa rem contingunt, quoniam ipsæ ligant mentes nostras, quin poßint ulterius progredi. Antequàm uero declaremus sensum Aphoris. nomina quædã æquiuoca distinguenda sunt. Prima enim Aphoris. dictio dupliciter intelligitur, senex enim uno modo capitur pro primo senio, alio modo pro ultimo, primo quidem senium est à quinto septenario usque ad septimum septenarium, & est à 35. anno usque ad 49 & ibi terminatur 7. septimana, perdurat autem usque ad 63. annum, nec terminus ille extenditur, aut difficile, ut intertio Aphor. Hippoc. & Gal. limitant, ubi autem extenditur, omnes decrescunt operationes, ob id ueteres sacrificabant Ioui, si quando excedebant hoc tempus, ipsi nãque Ioui talis terminus dicatus erat. Alio modo sumitur senium pro ætate decrepita, quæ incipit à 63. anno usque ad finem uitæ. Ieiunium hoc etiam nomen dupliciter dicitur uno modo cum nihil prorsus datur, unde dicuntur ieiuni, qui nihil omnino sumpserunt, altero modo dicitur ieiunium ὀλιγοσιτισμὸς, idest parua esca, cum enim quis parum assumit, ieiunus potest appellari. Facile ieiunium ferunt ista pars dupliciter dicitur, sicut suum oppositum, quod est difficile ieiuniũ ferre, dicitur enim quantum ad appetitum, & quantũ ad noxam. Quantum ad appetitum dicitur quis facile ieiunium ferre, cum etsi notabili tempore sine cibo permaneat, non tamen appetit, quia tamen quoad nocumen

tum

tum dicitur ferre difficile ieiunium, quia licet quantū ad appetitum queat ieiunium ferre, tamen læditur ex tali tolerantia, & propterea dicitur difficile ferre ieiunium, quantum ad nocumentum, & ita isti non tolerant absolute ieiunium, cum facile ferant quoad appetitum tantum, difficile autem quoad nocumentum, ut qui morbum, quem βουλιμὸν, siue famem bouinam appellant, patiuntur, huiusmodi enim homines quoad appetitum facile ferunt ieiunium (neque enim famescunt) læduntur tamen, propterea quia nō possunt esse, & ita fiunt tabidi & macilenti. Alio modo dicitur aliquis facile ieiunium ferre quoad nocumentum, difficile uero quo ad appetitum, pro quo scitote, q; appetentia naturalis nascitur à quinque motibus, ut bene Gal. in 5. De symptomatum causis meminit, primus motus est, qui fit à membris attrahentibus alimentum à uenis, secundus fit à uenis, quæ ex membrorum attractione inanitæ ab hepate trahunt, tertius est motus factus ab hepate, quod & ipsum inanitum trahit à uenis mesaraicis, quæ terminantur ad uentriculum, chylum ad hepar deferētes, quartus fit à uenis mesaraicis, uentriculo trahentibus, quintus à uentriculo fit, qui cum non habeat unde attrahat (quia alimentum ab extrinseco sumit) inanitus corrugatur, ex qua corrugatione appetitus ille excitatur qui fames appellatur, quapropter natura prouida sensum dedit ori uentriculi magnum, ut tempore corrugationis ex inanitione factæ perciperet famem mediante uirtute illa sensitiua, sed si in ipso non sit uacuitas, ita q; non poßit corrugatio fieri, non fit ille sensus, qui fa-

mes appellatur,quia humores crudi in uentriculo reperti non permittunt huiusmodi corrugationem fieri. Cum autem nihil in ipso sit,tunc membra stimulãt sua attractione,et inducunt famem,quæ indiget illis quinque motibus,si loquamur de fame naturali. Dico itaq; *rediens ad rem,q̃ quandoque contingit famem facile ab aliquo sustineri quoad nocumentum, difficile uero quo ad appetitum, ut qui canina fame laborant,hi.n. habent mẽbra satis ualida,ut non possint famem absq; insigni detrimento ferre, quo ad ipsam appetẽtiam maxime appetunt appetitu non naturali,propterea quia innaturalis est,& uiolenta illa corrugatio,cum fiat ab extrinseco,utpote à frigiditate corrugãte ex tali morbo facta.Sunt qui famem syncopalem patiuntur, ita ut si non comedant,cum famescunt, statim abeant in syncopen,isti tamen differunt ab habentibus caninam famẽ, quia illi habent famem similem admodum appetentiæ naturali,isti autem appetunt cibari,nõ quia famescãt, sed q̃ si à cibo abstineant,læduntur.* Senes facillime ieiunium ferunt,*propositio hæc si intelligitur de primo senio,et de ieiunio,quod est nihil dare,uera est hoc modo,ita q̃ sit sensus in primo senio constituti à 35. anno usque ad 50.facile ieiunium ferunt,tum quoad appetitum,tum etiam quoad noxam, quia membra non multum debilitantur, si uero de ultimo senio intelligitur falsa erit prorsus.Sed unde est (dicet ille) q̃ hi quo ad utrunque facile ieiunium ferunt?* Dico, q̃ *quia abundant multa pituita,quia uentriculus frigidior factus est (non dico pituitam acidam,non salsam, sed dulcem,*

cem, quæ per ulteriorem concoctionem fieri sanguis po test) ideo uentriculus propter illam pituitam, nec corrugatur, nec ad famem stimulatur, quia illa pituita relaxat admodum, ut facile tolerent, quia cum possit uerti in sanguinem tarde corrugatur uentriculus, quoniã uenæ mesaraicæ semper habent quid attrahant, & facile ille patitur famem quoad læsionem et nocumentũ, quia alimenti indigentia ex abstinentia est calore naturali humidũ radicale nostri corporis absumẽte, alia est causa, ubi in uenis non est sanguis nutriens membra ex hoc prouenit nocumentum, cũ quis à cibo abstineat, quia sanguis est proxima natura mẽbrorũ, ut dicebat Aris. 2. de generatione animalium, aut si bene recolo in libris De generatione et corruptione, et Gal. 2. De facultatibus naturalibus, sed in his non est calor ita potens, ut possit ualde absumere, quia dicebat Gal. in 20. Techni, ꝙ isti cum sunt in primo senio cõstituti, efficiũtur frigidiores, secundo tolerant ieiunium, quia in uenis habent thesaurum, habent enim sanguinem frigidiorem qui non ita à calore naturali absumitur, præterea facile tolerant, quoniam eorum corpora non difflãtur multum, ut adolescentium, quia dẽsiora sunt, neque ita se exercent, ut adolescentes, qui cũ nesciunt quid agãt aliud, saltant, isti uero grauiter ambulant, neque faciunt illa exercitia fortia, & ita non facile eorum spiritus difflantur, quo fit, ut eorum mẽbra non facile afficiantur, et ex consequenti corpus robustius remaneat, & sic possunt facile absque nocumento notabili famẽ tolerare, tũ quo ad appetentiã, tum quo ad ipsam noxã

propter causas iam assignatas, senes autem in ultimo senio constituti ut sunt hi qui attingunt 63. annum intelligendo per ieiunium nihil dare, difficulter ieiuniũ ferunt, tolerant autem illud secundo modo dictum, quod est parum & sæpe dare, si enim ipsis nihil detis, tũc cadunt in syncopen, nam licet habeant pituitam in uentriculo, & calorem naturalem debiliorem, tamen illa pituita acida est, non dulcis, quoniam putrescit. Dixi.n. aliàs quomodo acidus sapor non fit ex admixtione, ut uoluit Auicēna, sed ex putredine, propterea dico, q̃ isti nõ tolerant ieiunium primo modo. Sed dices, quomodo pauco egent cibo, & sæpe, cum ipsi propter maximam debilitatem caloris non indigeant cibo? Dico, q̃ ideo indigent pauco cibo, quia ipsi in uenis nihil aliud habẽt, q̃ aranearum telas, ideo si nihil detur, membra non possent nutriri, cum sanguine careant, sed si multum detur, tunc extinguetur calor ille paucus, sicuti enim cõtingit lucernæ, quæ si nimium olei ponatur, extinguitur, & si nihil, similiter, ita senibus hisce, si multum detis, suffocatis calorem innatum debilem, si nihil, extinguetis, si parum, conseruabitis, ideo ipsi ferunt ieiuniũ secundo modo sumptum. Secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Aetas consistentiæ dupliciter capitur, uno modo communiter, alio modo proprie, proprie quidem est à quarto septenario usq; ad quintum uidelicet à 28. anno, usque ad 35. aliquando autem extenditur usque ad quadragesimum annum, & hoc, si fuerit corpus robustum, & calidum, imo aliquando extenditur usque ad 45. annum, quoniam nondum

appa-

apparet læsio in operationibus, & tunc erit consistentia improprie dicta, similiter adolescētia dupliciter cō sideratur, uno modo proprie, & incipit à decimoquarto anno usq; ad uigesimum primum & quandoq; se extendit usq; ad uigesimum octauum & tunc improprie dicitur adolescentia, pueritia uero improprie incipit à primo ortu usq; ad decimumquartum annum, sed proprie à 7, usq; ad 14 annum, dicit ergo Hippocr. q̧ isti difficile ieunium ferunt, intelligēdo (ut bene notat Ga. in commento) non ætatem à 28. anno usq; ad 35. (quia est proximus admodum adolescentiæ talis status) sed intelligendo ætatem consistentiæ late incipiendo à 35 usque ad 40. uel 43. annum, illi enim difficile tolerant ieiunium respectu existentium in primo senio, facile uero respectu iuuenum, quod dixi de primo senio respectu ultimi senii, uos poteritis dicere de istis, nam cognitis extremis, media facile cognoscetis Minus adolescentes. Adolescentes sunt in tertio loco, qui respectu ætatis consistentis difficile ferunt ieiunium, respectu uero ætatis inferioris facile tum quia calor respectu illorum potentior est, tum etiam quia exercitia sunt ualidiora. Omniū minime pueri. Isti sunt in quarto loco, quoniam ipsi nō ferunt ieiunium ullo modo, habent enim calorem ualidum dissoluentem sanguinē, & spiritus satis subtiles, propterea difflantur etiam, quia multo plus crescunt, q̄ alii, sunt etiam raræ testuræ, qđ ex mollitie apparet, (quæ ut dicit philosophus quarto metheororum 30. & Galenus) fit, cum partes inuicem accedūt, & in seipsas contrahuntur, tunc enim ap-

paret mollities, non autem durities ulla, atque ex ipsa retractione huiusmodi fit raritas texturæ. Reliquum modo est examinare cur uiuaciora animalia, de quibus in ultima parte Aphorismi facit mentionem, ægre famem sustineant. Arist. De generatione animalium cap. 2. & Gal. 2. De temperamentis capite 2. si (recte memini) rationem dabant dicentes, q uiuacitas ex nimia prouenit caliditate, caliditas.n. (ut loco citato dicebat Galenus) causa roboris est in omnibus animalibus, ubi intelligit de caliditate innata iuncta cum humiditate, in hac.n. spiritus fundantur, & ab eadem conseruantur, qui (ut idem refert) sunt proximum animæ instrumentum, sed si intelligeret de caliditate innata iuncta cum siccitate, hæc tantum abest, ut uiuacitatē faciat, uti potius corpus debilitet, & spiritus absumat, ex quorum abolitione operationes debiles proueniunt; Cum igitur ab huiusmodi caliditate proueniat uiuacitas, patet quā to animalia uiuaciora sunt tanto maiorem caliditatē habere cum humiditate iunctam, quanto uero caliditas maior est, tanto etiam maior spirituum fit, & humiditatis absumptio, quo fit, ut maiori indigeamus alimento. Qui igitur pueri uiuaciores sunt, maiori egent alimento, & difficile ieiunium serunt, præsertim cum uehemēs accedat exercitatio, ex qua quidem maxima fit resolutio, sed quia dicit Hipp. Senes facillime ieiuniū ferunt. uidetur hoc esse falsum, quod confirmatur, & ratione, & authoritate, ac primum quidem ratione. Nam quicunque robustiores habent uires magis resistunt alterantibus causis, & ob id facilius ieiunium fe
runt

runt, maior est Galeni ubiq; minor nota sensui, quia iuuenes sunt robustiores, ergo &c. Item quicunque ma iores habent uenas sanguine refertas, facilius ferunt ie iunium, sed iuuenes sunt huiusmodi, ergo &c. maior nota est, & à Galenocomprobata, quia ubi plus sangui nis, ibi plus etiam alimenti (quoniam sanguis proximũ est instrumentum animalis) ubi uero plus alimenti, ibi maior tolerantia ieiunii, minor patet, quoniam iuue- nes sanguinis habent copiã propter calorem magnum concoquentem, & hoc Galenus 2. De temperamentis probat. dicit. n. q, quicunque habent amplas uenas ple- nas sanguine, maxime famem tolerant, suntq; calidæ temperaturæ, ego uero addo minorem sic, sed iuuenes sunt huiusmodi, ergo &c. Aduertatis tamen, q, Gal. ipse declarans in 8. therapeutices capite octauo quæ sint corpora minus famem tolerantia, ea sunt, inquit, quæ calidæ sunt temperaturæ, frigidæ uero temperaturæ homines facilius tolerant famem, & ita uidentur ra- tiones ad utranque partem, & Galenus inconstans si- bi. Quid ergo dicendum? Dico, q, quando diximus se- nes facilius ieiunium ferre, non hoc de quolibet sene, aut de omni ieiunio, sed de illis intelligendum esse, quĩ in primo senio constituti calorem habent potentem conficere cibum, et pituitam dulcem in stomacho reper tam, quæ potest in sanguinem uerti, non autem de senĩ bus, qui modicum habent caloris, acidæq; pituitæ, hi. n. tum propter eam pituitam, tum quia debilius conco- quunt, tum etiam quia eorum corpora non ita difflan tur, ieiunium ferunt magis. Audistis enim Scotum quen dam

dam tres aut quatuor annos ſine cibo uixiſſe, ferunt ēt temporibus noſtris Germanicam mulierem duos annos nullo ſumpto alimento uixiſſe. Habetis etiam ab Ariſtotele complura animalia maximum temporis ſpaciū degere ſine cibo, cuius quidem ratio eſt, quoniam intus habent theſaurum, uidelicet pituitæ copiam, quæ per ulteriorem concoctionem poteſt nutrire, ſenes autē decrepiti, cum ſint exangues, neque dulcem habeant, ſed acidam, & concretam pituitam, ob id nequeunt famē differre, ſed continuis paucisq; egent fomentis. Iuuenes igitur licet intenſiue tolerent magis famem. (Neq;.n. ſi parum temporis ſine cibo maneant ita eorum proſternuntur operationes ſicut ſi ſenes in primo ſenio conſtituti hoc agant) tamen extenſiue difficilius ſuſtinent q̃ ſenes, ſi enim per ſpacium temporis notabile maneant, nulli dubium, q; minus reſiſtunt ſenibus, quia hi non ita concoquunt, & ad hoc pituitam habent in uentriculo, & ſic ſoluatis Gal. authoritates, quando enim dicit iuuenes magis tolerare famem intenſiue uerum eſt, at extenſiue falſum. Quantum uero ad rationes attinet, dico eas concludere de ſenibus habentibus calorem ualde diminutum ſicut decrepiti, ſed hoc de primo ſenio falſum eſt, quoniam qui in hoc ſunt calorem habent optime concoquentem, ſimiliter dicatis, q; et ſi aliquis exceſſus caloris & ſanguinis ſit in iuuenibus, hi tamen habēt plures cauſas conſumentes ſanguinem, q̃ qui ſunt in primo ſenio, unde tradunt hiſtoriæ Vgolinum quendam Florentinum comitem unà cum filiis quinque conclusum in turri Piſana, quæ famea adhuc dicitur, pri-
us

us uidisse liberos pereuntes, postea uero ipsum fame cõ tabuisse, illi enim licet intensiue plus resisterent, extensiue tamen minime.

XIIII.



Qui crescunt plurimum habent calidi innati. Plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus absumitur. Senibus uero parum innati calidi inest, paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt, frigidum enim eorum corpus.

Diximus, ꝙ iste non est unus Aphoris. sed præcedentis potius (ut dicebat Galenus in commento) pars, quoniam probat, ꝙ senes facilius ferunt ieiunium &c. & ut uerus dialecticus duabus utitur consequentiis, una enim est consequentia in ipso sumpta à cõtrario, ut dicebat philosophus 2. Topicorum 12. & dicitur consequentia in ipso secundum contrarietatem, quãdo contrarium prædicati prædicatur de contrario subiecti, uerbi gratia si de fortitudine prædicabitur uirtus, tũc contrariũ prædicati uidelicet uirtutis de cõtrario subiecto uidelicet fortitudinis prædicabitur, & sic uerum erit dicere timiditas est uitium, & sic quãdo prædicatur. tunc problema erit construhendum sumpto loco à contrario per consequentiam in ipso, consequẽtia

tia enim in ipso est, quando ad oppositum antecedentis, sequitur oppositum consequentis in contrariis seruato ordine cōtrariorum, ut si fortitudo est, ergo uirtus, si timiditas est, ergo uitium erit, & ita ratio hunc in modum sumpta ualebit, ita q; tam subiectum, q̃ prædicatum habeant oppositum, & hæc erat prima consequentia in ipso, secunda consequentia est à contrario, idest e conuerso, ut si dicatur sanitas sequitur bonam habitudinem per consequentiam in ipso, non possumus inferre, ergo ægritudo sequitur malam habitudinem arguē do per consequentiam in ipso, sed ualet per consequentiam e conuerso, hoc modo bona habitudo est, ergo sanitas, mala habitudo est, ergo ægritudo, & sic hoc problema poterit construi per consequentiã è conuerso, nō autem per consequentiam in ipso. Prima consequentia Hipp. est sumpta à consequentia in ipso. Qui crescunt plurimum habent calidi innati, ergo qui non crescunt minus habent caloris innati, tenet per consequentiã in ipso, quia sicut subiectum tenet, & sequitur ad prædicatum, ita oppositum subiectum per consequentiam in ipso sequitur ad oppositũ prædicati, seruato (ut dixi) eodem ordine terminorum in utrisq;, & ista est prima iã dicta consequentia, secunda consequentia est, qui plurimum habent caloris innati, plurimo egent alimento, ergo qui minus habent caloris innati, minori egent alimento, ista etiam sumpta est à contrario per consequentiam in ipso, & ita ponit duas consequentias à cō trario in consequentia in ipso tenentes, his modo duabus consequentiis addamus minorem, et primo huic pri

mæ

mæ consequentiæ scilicet qui crescunt, plurimum habent caloris innati, addatur hæc minor, iuuenes crescunt, ergo iuuenes habent plurimum caloris innati. Secundæ uero consequentiæ, qui habent plurimum caloris, plurimo egent alimento, addatur, iuuenes sunt huiusmodi, ergo iuuenes maiori egent alimento. Alio etiã modo inferre possumus, et redibit in idem, seruato semper eo, quod supra diximus, uidelicet quomodo fiat à cõtrario consequentia in ipso, ita q; si dicamus, qui non crescunt, minus habẽt caloris innati, senes sunt huiusmodi, ergo &c. tenet à contrario per consequentiam in ipso. Rursus sumatur oppositum secundæ consequentiæ, qui minus habent caloris, minori egent alimento, senes sunt huiusmodi, ergo &c. tenet à contrario per contrarium in ipso, & sic possumus concludere, q; senes minus habent caloris innati, quia minori egent alimento, sciẽtia enim contrariorum eadem est, et sicut oppositũ dicitur de opposito, ita propositum de præposito. Reuertẽtes modo ad Aphoris. notamus, q; Hippocr. in litera unum tantum oppositorum laconismo utens posuit, non enim posuit, qui non crescunt &c. quia uno explicite dicto opposito reliquum subintelligitur, tenet similiter oppositum secundæ consequentiæ ob eandem rationem.

Qui crescunt plurimum habent caloris innati: Probat hoc Hippocrat. Plurimo igitur egent alimento, Quia si non egerent plurimo alimento, corpus tabesceret, quia cum caliditas magna sit absumit humidum, in quo stat uirtus, itaque uis totius cõsequentiæ consistit in calido innato, quod cum sit maius in illis, ideo pluri

mo

mo egent alimento. Supponenda autē sunt in præsentia, nūquid calor naturalis maior sit in pueris nūquid à spiritibus differat, qualisve sit ipse, omnia nanque infra patebunt. Senibus uero parum innati calidi inest. Videte breuitatem magnā, præposuit enim de plurimo calore, deinde uero concludit de pauco, nam posuit contrarium secundæ consequentiæ, quæ talis erat, qui maiorem habent calorem, plurimo eget alimento, sed pueri sunt huiusmodi, ecce posuit contrarium illius minoris secundæ consequētiæ, quia erat aliquomodo dubium, non autem posuit minorem uelut contrarium minori secundæ consequentiæ, uidelicet q, senes non crescunt, quoniam hoc erat notißimum, quod autem notissimum est, cū declaratione nō indigeat, semper ab Hippoc. despicitur, ideo dicit, cum senes parum habeant caloris, eos non egere multis fomitibus, id est alimentis, et recte translatum est Fomitibus quia fomes proprie est alimentum caliditatis, & ita hæc habent inuicem mutuam connexionem, ubi enim plurimum caloris ibi plurimum alimenti, & ubi minus caloris minus illic alimenti esse debet, & quia minor aliquantulum dubia erat, ob id eam à signo probat, uis (inquit) uidere, senes pauco calore præditos esse? Ecce q, non corripiuntur à febribus ardentibus, & acutis, quæ res accidit ob id tātum, quia eorum corpus frigidum est, unde pulchre iuniores appellarunt febres senum sepultas, non nisi quia habent parum caloris, propterea non ita extrinsecus manifestantur in his, sicut in iuuenibus propter maximum calorem, nam Galenus rationem reddens, cur cor-

pora calida, & sicca aptißima sunt ad febres acutas, dicit in octauo Therapeutices capit. octauo hoc euenire, quia ubi minor est resistentia ad febres acutas recipiẽdas, & calorem illum uigentem propter symboloitatẽ ideo ad hos facilius inducuntur, corpora autem frigida, ut senum, cum non habeant qualitatem illam symbolam, ob hoc magis resistunt, & per consequens difficilius cadunt in ardentes febres. Sed hic dubitatio oritur minime prætereunda, quandoquidem Hippoc. dicit corpora senum non ita facile corripi ab ardentibus febribus. Mehercule si intelligat ea tarde inflammari, assentior, corpora enim huiusmodi aridiora sunt, densioraq́; in quibus difficilius imprimitur qualitas sicut accidit ferro, in quo tamẽ si caliditas imprimatur, ea fit ardentior, sic etiam à pari febres ardentiores erunt, quæ substantiam habent densiorem, qualis est in senibus, itaque uidetur Hippocrates mentiri, quoniam perperam dicitur senes non habere maiores febres acutas, quàm iuuenes, nanque et si facilius imprimatur in iuuene caliditas, quàm in sene, tamen cum iam in sene impressa est, nulli dubium esse arbitror, maiorem in eo calorem esse ob densitatem subiecti. Antequàm soluam quæstionem hanc, declaro breuiter essentiam febris, ex cuius notitia responsio facilis erit. Febris est calor innatus ad igneũ mutatus, ut Galenus habet in octauo Therap. & in primo De ratione uictus commento decimo, si bene recolo, ista est substantia febris quia formaliter ea nihil aliud est. Mitto autem an calor iste sit in membris complantatus, aut continue à corde fluens aut partim complan-

tatus, partim uero fluens à corde, ſat habeo, q in mem bris eſt, ideo ſecundum quantitatem membrorum magnitudo quantitatis febris extenditur, licet enim in eodem gradu calor ille ſit in parte corporis, in quo eſt in toto, in toto tamen maior eſt extenſiue, uerbi gratia ſit peluis continens libras decem niuis, alius uero ſemilibram, tunc dicam magnitudinem albedinis maiorem in eſſe extenſiue libris decem, quàm ſemilibræ, quoniã extenſiue qualitas extenditur ad extenſionem ſubiecti, intenſiue tamẽ uidelicet quo ad gradus dicam æqualem eſſe magnitudinem albedinis in decem libris, & ſemilibra, in decem autem libris intenſio tantum maior eſt cũ enim in maiori quanto maior ſit uirtus, ut ſcribit Gal. ſexto Aphoriſmorum commento quinto, licet in ſenibus ſit idem calor quo ad intenſionem, qui etiam iuuenibus ineſt, tamen quoad extenſionem longe minor eſt in ſenibus caloris quantitas, quàm in iuuenibus, in quibus hæc magis extenditur, unde recte dixerunt iuniores (ſicut etiã ſupra diximus) concluſas eſſe febres in ſenibus, et ſepultas, attendite hic unum in praxi, in quo errant communiter practicantes, iſti enim dum tangũt pulſum ægroti ſenis, ſi paruam caliditatem inueniunt, remiſſam in eo febrem eſſe dicunt, tum quia pulſus non eſt ita frequens, tum quia non tanta caliditas percipitur, & tamen uidemus iſtos mori ſæpius, quàm conualeſcere, quia cum habeant paruum calorẽ extenſiue, qui incipiat extingui, expandi nequit, ideo extrema tepida apparent, non autem ita calida, quoniam calor ille non poteſt pertingere uſque ad extrema, cum ſit

im-

imbecillis, itaque decipiuntur communiter practicantes, dum credunt febrem esse remissam, quæ tamen acuta est sed propter caloris diminutionem non apparet, et ita febris hæc nō similiter fit in sene, ut iuuene, quia enim calor extendi minime potest, hinc est, q, senes non febricitant, ut iuuenes febre ardenti. Potest uero alia contingere dubitatio, quoniam dixit Hippoc. in contextu huius Aphorismi, senes non abundare calore sed paucum poßidere, & ob id pauco egere alimento, quia à multo suffocarētur, posset enim quis ita dicere, cum in præcedenti Aphor. de primo senio intelligeretur, hic uidetur de ultimo intelligi, quia qui sunt in hoc parum caloris obtinent & à superfluo obruuntur alimēto, ideo non eodem modo intelligit hic de sene, sicut ibi. Ego ad hoc dixerim, q, utrobique de primo senio intelligit, nō absolute tamen, quoniam absolute in primo senio constitui, multum caloris habent, qui tamen respectu iuuenum calor paruus censetur, & ex consequenti comparatione facta ad iuuenes fit, ut propter caloris exiguitatem extinguantur ab immodico cibo. Omnia modo clara sunt, dixi enim supra arguendi modū Hippocratis, quodq; præcedens Aphorismus sine ratione prolatus erat, cuius ratio erat præsēs Aphorismus, quæ quidem ratio posita erat duabus consequentiis concludentibus sumpto loco contrario per consequentiam in ipso, dixi etiam q, illæ illationes habebāt semper rationē aliquam qua mediante teneret illatio, & erat, quia ponebatur causa proxima, qua posita sēper effectus eius sequitur, posita nanq; multitudine caloris statim poni

tur indigentia plurimi alimenti,& hoc,ut clarius habeatis,operepretium est uidere, quonam pacto calor sit causa proxima,sed quia non possumus hoc scire,nisi essentiam caloris innati cognoscamus,oportet,ut hoc inquiramus, ipsũ prius in uniuersali considerãtes, calor enim in uniuersali significato non nisi duo indicat,primum quidem qualitatem quandam abstractam,nec existentem in subiecto aliquo, postea uero caliditatem significat adiunctam subiecto, quæ distinctio sumitur à Gal.in 1.& 3.de temperamentis, & in 2.De simplicibus,& in libr.De elementis,& in præsenti commento. præterea etiã ab Arist. 2.De partibus animalium cap. 2.amplius & à Theoph.q, si calor primo modo sumatur semper uniformis est,& idem. Eius quippè natura mira admodum est, ille enim seipsum multiplicat,generat,& quod maius est,destruit.Multiplicat quidẽ seipsum,quando appropinquatur subiectum sibi admodum dispositum,quando destruit seipsum augendo,similiter perimit seipsum,quando nõ habet subiectum debite approximatum,ut poßit se augere,& tunc destruit subiectum proprium,ad cuius destructionem sui ipsius sequitur destructio,& non solum facit hoc,sed etiam habet aliud in facto esse permanens, præterea ipse per se nec potest aliquo modo esse probabilis,neque cognosci nisi cum suo subiecto, & dixi q, ista erat opinio Theophr. et Arist. 2.De generatione animalium.Ista est natura illius caloris cõsiderati pro ut qualitas est absolute cõsiderata,est enim uniformis,habet etiam, ut aggreget homogenea et ut eterogenea segreget,& cum non pos

sit

ſit pſiſtere niſi in fieri,ſequitur q̀ cõtinue indigeat ali mento,quò ſucceſsiue poſsit perſiſtere,& ſi quid aliud habet,ab alio & non ex ſe habet,niſi quod dixi. Conſi deratur ſecundo modo iſte calor,non ut quædam quali tas abſoluta,ſed ut in ſubiecto eſt,et hoc dupilciter,uel cum ſubiecto proprio,ubi naturaliter ineſt,uel in ſubie cto alio,in quo non eſt per ſe,ſi eſt in ſubiecto proprio hoc dupliciter contingit,uel in ſubiecto ſicco,uel humi do,omnia enim corpora ſiue ſimplicia ſint,ſiue compo ſita habẽt alteram iſtarum qualitatum paſsiuarum, cũ autem eſt in ſubiecto ſicco,tunc efficit corpus , quod i- gnem appellamus,ubi enim illa caliditas adiũgitur ſic co ſubiecto,tunc conſtituit ignem, in quo ſubiecto ſicco ipſa primo et per ſe exiſtit,aut eſt in ſubiecto humido primo & per ſe,ſicut erat in ſubiecto ſicco,& tunc fit aliud corpus,ſiue forma,quæ aer dicitur, inquam qui dem caliditas eſt tanq̃ in ſubiecto primo humido , & ita cum coniungitur cum ſubiecto ſicco efficit naturã ignis,qui de ſe deſtructiuus eſt omnium, & nullius ge neratiuus,tantum.n.homogenea congregat,& eteroge nea diſgregat,& tantum facit,q̀ ſe multiplicat, & de ſtruit ſemper,unde antiqui merito ignẽ appellarunt, quoniam eſt omnium rerum deſtructiuus,nulliusq́; ge neratiuus.Cum uero coniungitur cũ ſubiecto humido, tunc fit aeris natura,à qua omnia bona proueniunt,& hinc eſt,q̀ aer generatiuus eſt,& tandem cauſa omniũ bonorum,& propterea antiqui merito aerem Iunonẽ appellarunt,quaſi iuuantem . dicebant enim q̀ erat u- xor Iouis,ideſt cœleſtium ſyderum,& caloris,quia om

nia illa corpora cœlestia influunt in aerem, & iuncta cum natura uidelicet cũ ista caliditate coniuncta cum humiditate causa sunt omnium bonorum, et rerum omnium perfectarum. Hactenus habetis unum membrum, scilicet quando caliditas illa adiungitur cum ipso subiecto proprio, restat alterum membrum, quando .s. coniungitur cum subiecto alieno, et hoc est, aut humidum, aut siccum, humidum quidem duplex, uel est humidum subtile, uel terrestre, similiter siccum, aut terrestre, aut subtile, semper .n. tale humidum iunctum siccitati, aut terrestri, aut subtili malum est, & sterile, & coliquat, boni autem aliquid per accidens facit, ubi adiungitur siccitati terrestri, non ita penetrat, sicuti si adiungitur siccitati tenui, quoniam magis superficiem adurit, quemadmodum contingit de lapide, qui ab igne aduritur secundum superficiem, oppositum uero contingit in palea, & sic caliditas tenui siccitati adiuncta dicitur esse magis penetratiua, q̃ adiuncta siccitati crassæ, & terrestri. Hic autem unum aduertatis, q̧ cum dico caliditatem iungi siccitati, non excludo, quin aliqua humiditas pauca tamen insit, quia caliditas absque humiditate non potest aliquo modo stare. Quòd si adiungatur humido, aut illud humidũ erit crassum, et aqueum, aut subtile, ubi est in humido subiecto crasso, nullius rei fœcundæ est talis caliditas, non tamen ita infœcunda, quin superet infœcundia illã caliditatẽ siccitati adiuncta. Cũ autẽ est annexa ipsi humido, et crasso, talis caliditas admodum adurit, quia unitur, et ideo fortior efficitur, omnis enim uirtus in se collecta fortior euadit,

dit, licet plurimũ euaporet, ubi autem adiũgitur aeri, & humiditati aereæ, tunc perfectissima est talis caliditas proficua, & ideo corpora in quibus caliditas cũ aerea humiditate annexa dominatur, sunt perfectissima admodum, ac perfectas habent operationes; & hoc est, quod diuinissime dicebat Philosophus in primo De generatione animalium cap. 1. q; caliditas humiditati iuncta bona est, siccitati uero mala, intellexit. n. ibi de hac humiditate aerea iuncta cum caliditate, quia tunc resultat calor mitis, ac suauis, nõ mordax, nec adurens. Habita & declarata hac distinctione uera, reliquũ est modo, ut inquiramus sub quo nam horum membrorum calor innatus, de quo Hipp. meminit in contextu, reponatur. Dico, q; non reponitur sub caliditate primo modo considerata, prout. s. sumitur pro qualitate absoluta, ut dicebat Galenus in locis citatis, sed sua calore secundo modo sumpto, uidelicet pro corpore calido. Cum igitur calor ille sit corpus, oportet q; sit aut ignis, (& hoc non, quia dixi, q; calor iste siccitati adiunctus dicitur esse omniũ destructiuus, modo talis calor, qui quidem est in homine, non est omnium destructiuus, imo perfectiuus, quia ab ipso proueniunt perfectissimæ tẽperaturæ) sequitur ergo, q; sit corpus, & mistum, in quo erit humiditas illa aerea, & sic erit ille calor, qui humiditati non crassæ, sed aereæ est coniũctus, et ita tale corpus habebit primo dominium calidi, secũdo dominium humidi aerei, & hoc est, quod probauimus ex primo de generatione animaliũ cap. primo, ubi dicebat, q; omnis facultas animæ indiget aliquo corpore,

quo utatur tãquam instrumento, huius uero corpus est calor innatus, qui (dicebat Aristoteles) non est ignis, sed est quoddam correspondens elemento stellarum, & propterea dicebat in principio primi capitis De gene*ratione animalium (si recte recolo) q, talis erat calor aereus, & ita uidetis* Aristotelem, *nihil aliud uoluiße calorem innatum esse, nisi caliditatem secundo modo sumptam, iunctamq; cum humiditate aerea, hoc uoluit idẽ* Plato in Thimeo (*quemadmodum referebat* Galenus *in* 8. De *dogmatibus* Hippocratis & Plato) *dicebat.n.* Plato *calorem hunc esse substantiæ aereæ, duplicemq; in se continere substantiam, caliditatem scilicet & humiditatem, & hoc quidem, quia uidebat calorem illum producere, & magis apparere, propterea posuit ipse plus caliditatis eße, & quia erat mitis, ideo posuit aereum illud humidum.* Galenus *autem posuit duas substantias, posuit tamen substantiam aqueam loco ignis ut habetis ab ipso, tum in hoc commento, tum etiam in* 3. De *simplicibus medicamentis, cur autem tollit ignem* Galenus, & *admittit aquam?* Dico, *q, ideo fecit, quia uidebat ortum caloris esse ex ipso semine, in quo quidẽ semine est multum aquæ, ut etiam dicebat* Philosophus 2. De *partibus animalium, & ita cõueniunt in hoc* Plato, & Galenus, *q, in tali calore aer dominetur,* Galenus *uero credidit, q, esset portio aquæ propter rationem dictam, &* ita Galenus & Hippoc. *cum loquuntur de calore innato intelligunt de calore non ut est qualitas separata primo modo cõsiderata, sed ut corpus, in quo dominatur aer cum subdominio aquæ,* Plato *autem cum*

sub-

ſubdominio ignis. Habito quid intelligamus per calorẽ innatum, oportet modo uidere formam, naturam, atque actionem iſtius caloris, & hoc ſciemus, ſi uidebimus nũ quid calor innatus exiſtens in humano corpore ſit forma an inſtrumentum, an utrunque, forma ſcilicet et inſtrumentum, huius enim cognitio faciet ad dicendorum intelligentiam, hoc autem non poſſum explicare, niſi prius explicẽ quotuplex calor exiſtat, ideo primo hoc declarabimus. Calor duplex eſt, unus quem complantatum uocant, iuniores autem complexionalem, & talis complantatus dicitur forma membrorum, in quibus ipſe complantatus eſt, quoniam in unoquoque membro capitur, & talis eſt membrorum temperatura, de quo calore quærebat Cõciliator, nunquid maneret ſemper in membris à principio generationis uſq; ad finem, an immutaretur. Alius uero dicitur influens, qui quidem cõtinue fluit ab ipſo corde per arterias, qui ponit actum uitæ in ſingulis partibus noſtri corporis, & addit ipſis ultimam perfectionem, nam omnia membra per illum calorem aſſiſtentem, & cõplantatum ſunt in eſſe imperfecto, & tanq̃ in potentia, reſpectu uitæ & ultimæ perfectionis traditæ ab ipſo calore influente, per illum autem calorem complantatum membra diſponebantur ad capiendam ultimam perfectionem acquiſitam poſtea à calore influente, qui uiuificat, & actuat omnia membra, ut dicebat philoſophus 2. De generatione animalium cap. 3. ut det actum corpori, & ideo merito talis calor influens accipit definitionem animæ traditam ab Ariſtotele. Eſt enim actus primus actuans calorem con-

plantatum,tanquàm actum secundum, ut tandem cum ipso copuletur,et fiat unus calor perfectissimus,à quo proueniant operationes omnes perfectissimæ. Ex his habetis,q cum talis calor forma sit,& instrumentum, est etiam utrunque,quia ex calore complexionali,seu instrumento,& ex influente,qui forma est simul con- iunctis unus fit calor,qui forma est & instrumentum, & hæc de forma caloris,& natura. Actio autem eius uaria est,prout uaria organa sunt,habet tamen unum in se,q dat uitam,quoniā est instrumentum omniū uir tutum cognoscitiuarum,& actionum, quæ fiunt in cor pore,sed diuerso modo,uirtus enim uerbi gratia uege tatiua habet hunc calorem pro instrumento secus dispo situm,atque sensitiua,et intellectiua, habet autē unum commune omnibus membris uidelicet nutrire, omne.n. membrum tandiu uiuit, quandiu nutritur, & habet æqualiter hunc calorem,nutritiua autē habet quatuor illas uirtutes attractiuam,retentiuam,concoctiuam, et expulsiuam,quæ operantur mediante hoc naturali ca- lore,qui unus est in omnibus illis,et nobilissima uirtus, & actio concoctio est,per hanc enim animal nutritur, & hæc actio cōmunis est omnibus membris, hactenus itaque habetis quæ sit actio huius caloris, & quæ sit actio communis. Reuertamur autem ad Hippocra.

Qui crescunt plurimum habent calidi innati. Intelli gatis de augumento proprio dicto, de quo egit Aristo teles primo de generatione, quod fit secundum omnes partes formaliter quidem intelligatis,non autem ma- terialiter,quomodo autē necessaria sit hæc materia de

betis

betis scire, q. tres sunt operationes, quæ fiunt circa animal, ut refert Gal. in lib. De semine, & Aristoteles libro De generatione animalium. Prima generatio animalis, est secunda est augmentatio iã geniti animalis, tertia uero nutritio, & hanc operationem tertiam anima comitatur usque ad extremum uitæ, reliquæ uero duæ animæ non comitantur suas operationes, tresq; operationes hæ fiunt per calorem innatum tanquàm instrumentum, qui ad faciendam primam operationem ualidissimus requiritur, neque n. generatur animal, nisi concurrat ualidissimus calor, ad secundam uero operationem, quæ augumentatio est, minor requiritur, ad tertiam quoque, quæ nutritio est, adhuc minor. Vnde magnitudo, & paruitas huius caloris sumitur à nobilitate, & imperfectioue facultatis, ideo quando fit generatio, cum ibi maxima sit pars seminis & sanguinis menstrui, summus (ut dixi) calor requiritur, cum autē factum sit animal, & ortum, non amplius generatur, propterea non etiam requirit ita magnum calorem, sed minor adhuc postulatur ad augumentũ faciendũ, et animal quidem ipsum, cum est genitum exsiccatur, & caloris accipit diminutionem, ita ut in animali augumentatio fieri amplius nequeat, cum calor non sit tantus, ut per ipsum possit animal augeri, itaque tantum remanet calor pro nutritione faciens, donec adeo calor ille diminuitur, ac debilitatur, ut ineptus etiã pro nutritione sit, & tandem cogatur animal per totius caloris defectum mori. Ex hoc discursu habetis q. maxima caloris copia requiritur in augumēto, quare sequitur,

q̧ qui crescunt plurimum habent calidi innati, si modo uerum est, q̧ calor concurrat tanq̃ instrumentum, ut diximus ad omnes operationes. Quia uero Galenus in commento mouet quæstionem nũquid maior sit in pueris calor, q̃ in iuuenibus, ideo nos eam examinabimus, & est quæstio inter medicos antiquißimos ante Galenum, ipse refert 2. De temperamentis libro & capite. Vt autem ordinem seruemus, quatuor præstabimus, prius enim argumenta utriusque opinionis proferam, postea uero Galeni opinionem ego fideliter recitabo, tertio opinionem meam constituam, quarto & ultimo soluam argumenta contraria opinioni nostræ. Quantum igitur ad primum attinet, adducam primum argumentum sumptum à substantialiter inhærentibus pro his, qui sustinent maiorem esse calorem in pueris, illud autem huiusmodi est. Quicunque plus habent sanguinis plus habent etiam caloris, pueri sunt huiusmodi, ergo &c. maior notißima est, & probata ab Aristotele tum in 2. De generatione animalium ca. 1 & 2. tum etiam in 2. De partibus animalium, minor uero probatur à Galeno, nam in 2. De temp. cap. 2. & in libro De semine, & in eo qui contra Lycum scriptus est, pueri (inquit) non solum redundant sanguine in mollioribus membris, uerum etiam in oßibus. Secunda ratio eorundem similiter est à substantialiter inhærentibus, Quãto aliquod animal magis approximatur semini, & fætui tanto maiorem habet calorem, pueri sunt huiusmodi, ergo &c. probatur etiam secundum sententiam Galeni, quia fætus principium nihil aliud est, quàm semẽ,

& sanguis menstruus, in quibus maxima uiget calidi tas, puer autē nihil aliud uidetur esse, quàm semē, quo niam uidemus, q si qua pars pueri abscindatur, aut si qua solutio unitatis in aliquo membro facta sit, mem- brum illud uere consolidatur etiam si spermaticum sit, quod fit non nisi, quia puer maxime proximus est natu ræ seminis. Tertia ratio sumpta est à propriis actioni bus, & primum à naturalibus, uidemus enim dicunt, q quanto ualidiores sunt actionibus tāto calor est maior sed in pueris ualidiores sunt actiones, ergo &c. minor probatur, si discurramus per actiones naturales, pueri enim plus appetunt, plusq; redundāt sanguine, ergo si gnum est q bene concoquunt, præterea multum excer nunt, quod uirtutes ualidißimas esse testatur. Secundo quantum attinet ad uitales actiones arguunt sic pueri habent pulsum maiorē quàm iuuenes, qui respectu pue rorum habent potius pulsum ualociorem & hebetiorē, non autem maiorem, ergo sequitur, q maior euentatio nis neceßitas sit in pueris propter hunc maiorem pul- sum, et ex consequenti q maior sit calor in ipsis quoad operationes animales, & primo motiuas, nemo enim est, qui uel excogitare poßit motiuas operationes pue rorum, qui semper in continuo motu sunt, & iuuenes maiores sanè motus intensiue faciunt, quoniam robu- stiores ratione membrorum sunt, pueri uero nequeunt motus hos intensiue magnos obire, non quidem propter innati caloris prauitatē, debilitatemq;, sed potius pro- pter mēbrorū imbecilitatē, cuius signū est, quia cadunt statim, q si daretur pueris soliditas membrorū quan-

ta

ta reperitur in adultis, profecto maiores intensiue motus facerent, quàm adulti, ideo in iuuenibus illud est ratione organi, non autem præcipue ratione caloris innati. Et notate, q́ hic loquimur non de temperatura puerorum & iuuenum, utra sit calidior, sed quæstio est de calore innato uter sit maior an in pueris an in adultis, & propterea conciliator recte distinctã facit quæstionem de temperatura puerorum à quæstione de calore innato, & ita quæstio est de calore, non autem de temperatura. Videtis itaque quàm sint ualidæ operationes puerorum, si quis uero dicat, quid de actionibus cognoscitiuis? nõ ne istæ sunt ualidiores in adultis? si igitur in pueris esset maior calor, sequeretur, q́ istæ cognoscitiuæ operationes intrinsecæ essẽt ualidiores in pueris, Dico, q́ non loquimur de his cognoscitiuis operationibus, neque etiam sequitur, q́ isti arguant ex his maiorem caliditatẽ, quia tunc sequeretur, q́ senes in primo senio constituti essent calidiores iuuenibus, propterea quia habent operationes illas meliores, istæ sunt omnes rationes sumptæ ab ipsis actionibus. Arguunt ulterius argumentis sumptis ab accidentibus extrinsecis. Nam uis uidere, q́ pueri plus concoquunt, quàm iuuenes, & ex consequenti maiorem habent calorem? quia pueri plus adiuuant ad concoctionem, accipiatis enim puellulam, & imponatis ipsam supra stomachum adulti, tunc melior causabitur digestio, stante, q́ sint cætera paria. Et propterea in principio quæstio præponi debebat, quàm nam caliditas maior sit, an in puero, an in adultis, stante cæterorum paritate, quia ubi cætera nõ ponerentur

rentur paria, tunc quæstio nulla esset, & inde omne qđ isti dicunt tenentes calorem pueri esse maiorem, essent nugæ, ualent autem, quia loquũtur, stante cæterorum paritate scilicet q̃ sit paritas in caliditate, non sint autem frigidi. Si igitur adulti tenent puerum similiter supra stomachum, tũc perciperent manifestißime magnũ calorem mitem & suauem. Istæ sunt rationes omnes tũ à substantialiter inhærentibus sumptæ, tum ab actionibus tam naturalibus quàm uitalibus et animalibus puerorum, tum etiam ab accidentibus extrinsecis. Restat, ut uideamus opinionem tenentium cõtrarium, uidelicet q̃ calor in iuuenibus maior sit, quàm in ipsis pueris, et arguunt similiter isti rationibus sumptis tum à substãtialiter inhærentibus, tum ab actionibus, tum etiam ab accidentibus extrinsecis. Prima ratio sumpta ab ipsis substantialiter inhærentibus est. Quicunque plus de sanguine, plus etiam de calore habent (& hæc est maior prioris etiam opinionis) addunt minorem, sed iuuenes sunt huiusmodi, ergo hi plus habent caloris, quàm pueri, maior notißima est, maiorem probant à signo, quia iuuenes patiuntur fluxum ut plurimum, ergo signum est, q̃ plus sanguinis in ipsis reperitur, & ex cõsequenti plus caloris. Secunda ratiò similiter sumpta à substantialiter inhærẽtibus, quia in ipsis iuuenibus maior est copia bilis, ergo plus caloris, quia bilis calida est, & sicca, q̃ autem adsit plus de bile, manifestum est. Tertia ratio assumpta est ab operationibus, & in primis à naturalibus sic, operationes naturales in iuuenibus ualidiores sunt quàm in pueris, ergo in his plus caloris

loris est. Probant quia iuuenes habent appetitum uali diorem, quia appetũt satis appetitu naturali, in pueris autem appetitus non dicitur naturalis, immo præter naturalis, ex quo arguitur potius frigiditas, quàm cali ditas, quia plurimum appetentes habent uentriculum frigidum, ex cuius frigiditate comprehenditur ipsius, quo fit, ut excitet ad appetitum præternaturalem, & immoderatum, & sic retorquent argumentum, conce- dunt enim in pueris esse appetitum magnum sed tamen arguere potius frigiditatem, quàm caliditatem dicunt. Ad primam opinionẽ, scilicet pueri augentur, ideo plus caloris habent. Respondent qui iuuenes tuentur, & di- cunt ꝙ augentur non propter caliditatem magnam sed propter humiditatem, quam humiditatem cum non ha- beant iuuenes ob hoc non possunt augeri, sed merito ca loris & ipsi augeri poterunt, & ita isti negant posse fieri augmentationem à calore innato ꝙ si fiat, dicunt fieri mediante humiditate. Præterea pueri Abundant multis excrementis, quoniam uomunt satis inconcocta, quemadmodum dicebat Hippocrates in secundo pro- gnosticorum, et Galenus in 2. De crisi refert pueros ha bere uomitus admodum turbulentos, oppositum autem contingit in iuuenibus, & hæc omnia denunciant in ip sis præstantiores operationes naturales. Quantum ue- ro attinet ad uitales operationes dicunt, ꝙ pulsus est maior in iuuenibus, & altius mouetur, quod signum est maiorem ibi adesse calorem. Præterea habent iuuenes breuiores somnos quàm pueri, horum uero somni cali- ditatem in cerebro arguũt, ut 2. artis paruæ habetur.

Hæ

Hæ ſunt rationes omnes uolentium tueri, tum pueros, tum Iuuenes, quibus recitatis Galenus arguit ipſos, & oſtendit utranque opinionē grauiter peccare, & principium petere, primo, quia ſumit argumenta ex principio non probato, ſed ambiguo, quia nondum compertū eſt, quomodo fiat digeſtio, & quomodo ſomnus, & dicit Gal. ꝙ laborant in æquiuoco, quoniam rationes pro iuuenibus militant de calore innato. Erat ſecūdum ꝙ proponebatur uidendum, quæ nam fuerit circa hoc Galeni ſententia. Galenus exponens Hippocratem ſuo modo ponet opinionem ſuam, quam ego fideliter recitabo. Si conſideretur (inquit) calor iunctus cū humiditate, prout ex his fit calor quidem uaporoſus, & ſuauis, tunc calor hic maior eſt in pueris, ſed ſi ſit iunctus cum ſiccitate, ex qua miſcella cōſtituitur quædā caliditas ignea, hæc caliditas iuuenibus maior ineſt, & ſic conſiderata qualitate caloris non calore ipſo, ideſt ſubſtātia ipſius, ſed qualitate uidelicet, & cum qualitate uaporoſa ipſius, & cum qualitate ignea eiuſdem, ſecundum has diuerſas qualitates caloris diuerſa proferenda ſunt. Nā qualitas caloris mitis, & uaporoſa maior eſt in pueris, quod oportet ſenſu experiri (inquit Galenus) non autē ratione quærere, fruſtra enim ratio petitur ubi ſenſus poteſt quæſtionem diluere, cognoſcetur autem ſenſu ſi multa obſeruabuntur, quæ ibi ipſe refert. Poſtea ſubiūgit, licet tibi tradam longum admodū iter, tamen ſi obſeruaueris hæc, uidebis uaporoſam caliditatem maiorem pueris ineſſe quàm iuuenibus, nam ſi tangas iuuenem (inquit Galenus) percipies qualitatem illam calo-

ris aerem admodum, & mordacem, in pueris uero mitem, & suauem, & quodammodo implentem manum propter uapores. Quod si intelligatur tantum de corpore caloris, nõ autem de caliditate eius, idest de qualitate corporis, quæ resultat ex calore, aut cũ siccitate, aut cum humiditate iuncto, iam tunc secundum q̃ diuersis paßiuis qualitatibus iungitur, ita diuersas qualitates producit, nam si idem calor cum siccitate iungatur, tũc ex ipso resultat quædam qualitas caloris illius iuncti, quæ satis mordax, & acris est, si uero humiditati adiũgatur, tunc similiter fit quædam qualitas corpus hoc mixti caloris comitans, quæ dicitur mitis, suauis, & uaporosa. At si sumatur non qualitas resultans ex corpore caloris, sed corpus ipsum caloris, tunc (dicit Galenus) dico q̃ æqualiter in utrisque reperitur, & ait se uelle hoc physice probare dicens, in principio generationis alicuius (quodcunque sit illud) statuitur temperatura eius, posita tanta ignis portione, tanta terræ, & cœterorum, deduco Galeni sententiam, quam forsan à nemine ita clare expositam audistis. Sumatur puer, hic anteq̃ generetur cõstituitur eius temperatura, sed quomodo? hoc pacto, sumatur tanta portio ignis, tanta terræ, tanta aquæ, & aeris, quæ portiones omnes in uirẽte æquales sunt, quæ simul misceãtur, facta mixtione ex ea generatur puer, ecce q̃ in principio generationis facta est temperatura illius pueri, ista autem temperatura non mutatur, nisi quando proprium alimentum, quod est humidum aerem, deerit igni in mixtione posito, & ita cum puer ex tali factus est mixtione, in

qua erat mensura quatuor elementorum, ex quibus re
sultabat ipsa temperatura, illa caliditas puero inhærēs
non absumitur, quoniam habet pabulum, à quo sustine
tur, & est humiditas aerea & tantum modo est uaria
tum subiectum, ex qua uariatione talis calor mutatur,
ita ut qualitas ipsius caloris cum est in puero ratione
subiecti uidelicet pueri humidi, uaporosa fiat, & mitis
neque potest talis qualitas esse acris, quia nō habet sub
iectum siccum, nam quum est in subiecto sicco, puta adu
sto, tunc fit talis qualitas caloris acris, & mordax, idē
tamen calor inest utrisque tam in puero quàm in iuue
ne, & tantum eius qualitas ratione subiecti immutata
est, nam secundum uariam subiecti naturam uariatur
illa qualitas, eodem prorsus remanente calore, est enim
sicut erat in mixtione eadē quantitas caloris & ignis,
quæ secundum uarietatem subiecti profert etiam ua-
riam qualitatem, nam quum est in subiecto pueri humi
do uaporosam qualitatem profert, quum uero in sicco
Iuuene tunc profert qualitatem acrem, adduco clarissi
mum exemplum pro facienda intellectione, nam si ob
seruastis quod solet contingere in igne in principio cū
occupauerit lignum ut ipsum comburat, est eadē flā-
ma, quæ apparet in principio, & in fine, apparet tamē
sub diuerso aspectu et qualitate, nam in ligno illa flam
ma apparet uaporosa, & fumosa, propter humiditatē
in ligno repertam, post uero eam et flama lucida pror
sus, & clara apparet, et est eadem, attamen secundum
quod mutatur subiectum, ita etiam eius aspectus muta
tur ipsa eadem manēte. Cum postea apparet sub illo a-

ſpectu lucido, quid fit? Nimirum quum ad ſummũ uen tum eſt, quia pabulum deficere incipit paulatim extinguitur, donec tota deperditur, ita omnino imaginemini eſſe de tali calore, cum enim talis calor eſt in ſubiecto humido uidelicet in puero humido, tũc extra mittit uaporoſam qualitatem, cum uero ſubiectũ magis exſiccatur, tunc emittit qualitatem aeream, et cum deuenit ad ſummum, ita ut pabulum paulatim decreſcat, tunc etiã illa qualitas ſimul incipit deficere, ut tandem extinguatur, & homo moriatur. Iſta eſt uera opinio Galeni à me fideliter recitata, quæ quantum ingenioſa ſit omnibus (opinor) manifeſtum eſſe. Audite modo opinionem meam (& hoc fuit propoſitum tertium.) Prius uero oſtendo, ꝙ opinio Galeni non exponit Hippocratis ſententiam, quando enim Galenus dicit in mixtione cuiuſlibet animalis poni tantam portionem elementorum, dico ego, hoc ad inſtitutum non pertinere, ſed eſſe quidem pulchram imaginationem, non enim quærimus de proportione elementorum in mixto, quoniam nullus adhuc exquiſite talem proportionẽ noſſe potuit, ſed quærimus de calore innato, qui quidem eſt corpus mixtũ reſultãs (ut ſupra dicebamus) ex mixtione, quæro enim an ea forma mixtionis ultima, quam calorem innatum appellamus, maiori inexiſtat puero, quam adulto et, de hac forma intelligit Hippocrates, cum dicebat, qui creſcunt plurimum habent caloris innati, nam ut ſupra dixi, ex Gal. & ex Ariſtot., calor innatus nihil aliud eſt quàm corpus mixtum, in quo ſecundum Galenum aqua dominatur, ignis uero ſecundum Platonẽ, de hoc.n.nos

lo-

loquimur,qui quidē aptus est ad operationes, quæ forma ultima, quo plus amittit humiditatis aereæ , plusq́; acquirit siccitatis, eo magis amittit nomen caloris innati, quoniam calor innatus stat in humido aereo, cui quandiu coniunctus est tam diu optimas edit operationes,quandiu uero ab ipso recedit,& sicco copulatur,tā diu amittit naturam, & uim caloris innati , qui calor hoc modo sumptus maior pueris quàm iuuenibus inest. Stante horum resolutione reliquū modo est soluere rationes in contrarium adductas (& hoc erat ultimum quod proposuimus discutiendum(erat prima ratio pro iuuenibus,ubicunque plus est sanguinis etc. Nego q̃ maior sit in iuuene,& si dicas q̃ patitur fluxnm sanguinis dico ego,q̃ ille fluxus non est ratione multitudinis,neque enim sanguis in iuuene fluit,quia multus, sed quia malignus: & naturæ inimicus, ideo natura eum expellit,quia prodit,& stimulat ipsam ad excernendum,sed in puero,quum sanguis familiaris sit naturæ,benignus: ac suauis retinetur,& sic argumentum nullum. Adsecundam rationem,in iuuene plus est debile, transeat,ergo plus de calore,dico q̃ uerum est de calore igneo,sed non de innato.Ad aliud cum dicebatur,pueri male concoquunt,dico q̃ bene concoquunt loquendo de pueris sanis,cuius signum est,quoniam in eis maxima sanguinis copia reperitur,similiter rubedo, carnositas,& omnia alia ostendunt optimam concoctionem , quantum uero attinet ad signa probantia oppositum, & primo quia uomunt dico q̃ ille uomitus fit ratione alimenti mali , nam cum puer fugit lac aliqua mala qualitate affectū,

tunc illud statim uomunt, unde isti si nouissent quomo do pueri educantur, non hoc dixissent. Quantum ad excremẽta, dico uerũ esse q pueri excernunt humida excrementa, quia ipsi etiã sunt humidi, similiter plurimum excrementi excernunt, quoniam plurimum etiã comedunt. Quantum spectat ad urinas turbulentas, dico hoc propter humiditatem esse, & humida excremẽta in ipsis abundantia, ut Gal. tradit, & Auic. in tertia fen. primi, quod cum in pueris apparent urinæ admodũ tenues, et lucidæ, tunc timendũ est, ne spasmũ incurrant, & propterea hoc nihil concludit. Ad illud uero quod dicebatur, pueri habẽt appetitum caninum, dico, q immo habent naturalem appetitum, ad quem concurrunt quinque motus supra numerati, primo nutriuntur ut apparet ex sanguinis copia, ideo membra attrahunt ex uenis, uenæ ab hepate, ut tandem fiat ille appetitus naturalis, in appetitu uero canino non conuenit talis operatio, ipsi.n. non bene nutriuntur, apparet palliditas in facie, quod in pueris sanis non uidetur. Quãtum uero attinet ad actiones motiuas, & uitales, dico falsum esse quod maiores sint in iuuene, & si dicas q fortius mouentur iuuenes, dico ego q si cõpares ipsos pueris data proportione molis, tunc falsum erit, nã nulli dubiũ, q si consideretur moles iuuenis et pueri, quod in iuuene actiones respectu molis ualidiores sunt, nam etiam bos respectu molis poterit iuuenem opprimere, sed data molis paritate falsum est (etiam q iuuenes habeant caliditatem igneã) q propterea operationes eius maiores sint extensiue, licet intensiue cõcesserim. Præterea

terea fuit adducta ratio q; pueri augebantur, in adultis uero non erat augmentum, ergo calor maior est in pueris q̃ in iuuenibus, ad hoc respondent tenentes maiorem esse calorem in iuuenibus q̃ in pueris quod augmentum fit ratione humidi non autem ratione caloris, ergo &c. Nos autem tuentes illorum partes qui defendunt pueros, negamus ab humido fieri augmentum, & si pueri humidi sint, non.n. à materia fit aut incipit actio, sed ab efficiente causa idest à calore agens cum passo disponente & fit augmentum, non autem à materia, idest ab humido, bene uerum est q; tale agens agit potentius, & fortius secundum dispositionem & indispositionẽ humidi idest passi, et sic ad argumẽtum respondetur, cum.n. dicitur pueri multũ dormiunt, ergo sunt calidiores, dico adhoc q; sopor à frigiditate fit à caliditate uero tantũ somnus naturalis elatis uaporibus ad cerebrũ, quod melius in sequenti Aphoris. declarabimus. His explicatis circa puerorum, et iuuenum calorem restat determinanda quæstio uulgata, Vtrum calor innatus distinguatur à spiritibus, nam sæpe audimus doctores loqui de calore innato, & de spiritu, qui pro eodem duos hos terminos plerunque ponunt, et interdum pro diuerso, & ego, (ut ingenue fatear) profitebar me doctorem esse, & uix tandem senex cognoui, quid esset calor innatus, audiebam.n. omnes aliquando confundere calorem cum spiritu, aliquando uero distinguere. Conciliator tractans materiam hanc subtiliter eam disputat & adducit rationes utrinque fortes admodum, sed postea cum deuenit ad determinationẽ,

non amplius uidetur mihi conciliator, neque hoc mirũ est, quoniã uir hic multa sanè legit, sed malo præditus fuit iudicio. Determinans igitur quæstionem dicit spiritum & calorem idem esse subiecto, non autem ratione, & ponit spiritum subiectum, calorem uero pro qualitate, quæ uana est determinatio, & propterea aliam nos ex suis principiis uiã potiorem uestigabimus. Circa hanc quæstionem nolite expectare ordinem, quem obseruaui, cum loquerer de calore innato, ubi prius adduxi opiniones altercantium (illud enim non feci de more meo, sed ut sequerer Galenum ita illic procedentem) sed obseruabo ordinem quem seruat ipse in libro, An ars tuendæ sanitatis spectet ad medicum, ibi enim docet cum uolumus aliquod problema discutere, nos debere recte prius naturam, & essentiam tum ex parte subiecti, tum ex parte prædicati inquirere, ut si multiplicia fuerint distinguãtur, postea uero significata propria uniuscuiusq; determinentur. Quæritur igitur nũquid calor, & spiritus sint idem, aut diuersi, qui modo uult aßequi ueritatem huius quæsiti in primis oportet scire subiectum, uidelicet quid sit calor innatus, & quo modo fiat, sed supersedeamus in præsentia hoc docere, nam de eo hic non est dubium, sed alibi dictum de ipso est, inquiramus nunc tantum quid sit spiritus, uidelicet quænam sit natura prædicati tantum, quo habito sciemus postea identitatem, atque diuersitatem inter calorem innatum, & spiritus. De spiritu in primis debetis scire q, spiritus in uniuersali sumptus nihil aliud est, q̃ substantia quædam tenuis, subtilis, lucida, transparens,

rẽs, quæ media est inter generabilia, & ingenerabilia, ideo spiritum esse substantiam clarum est, sed non determino me in præsenti nunquid sit substantia calida uel frigida, corpora autem cœlestia siue æterna dicuntur præstare essentiam suarum uirtutũ corporibus caducis, influunt enim in hæc corpora generabilia, & corruptibilia, & quoniam inter mortalia & immortalia corpora non esset mediũ aliquod, quo mediante fieret talis influxus ab æternis in corpora corruptibilia, ideo creator maximus posuit spiritum, qui est medium horũ mortalium & incorruptibilium, qua quidem substantia spirituali mediante immortalia uniuntur cum caducis corporibus demandantia uirtutes suas in hæc inferiora, immo nõnulli antiquorum aßerunt, maxime uero Platonici, & author in lib. De flatibus, qui Hipp. ascriptus est, uult spiritum non tantum eße medium inter caduca & æterna, sed etiã æterna esse repleta hoc spiritu , & q. spiritus sit intelligentia intelligentiarum, unde Maro considerans hoc in sexto libro Aeneidos dixit,

Spiritus intus alit, totamq; infusa per artus
Mens agitat molem.

Ad hoc ẽt accedũt sacræ literæ cõfirmãtes hoc dicẽtes. Spiritus domini ferebatur sup aquas, & angeli in scriptura sæpe dicũtur spiritus, spiritus igitur qui ẽ quod dam medium inter æterna, & caduca dicitur & esse in mundo superiori, & in hoc inferiori, qui dicitur aer, quo mediante uirtutes corporum cœlestium in hæc inferiora imprimuntur, & nisi eßet ipse, non fierent im-

 pres-

presſiones illæ, quoniam non haberent idoneum modū, destruerenturq́; omnino hæc ipsa inferiora, ſicuti ad il lius mutationem uidemus etiam mutari generationem multorum horum inferiorum, mutanturq́; omnes facul tates, & operationes omnium corporum huius mundi, cum tantum agat aer ipſe ſecundum temperaturam, bo nitatem, & claritatem ſumens tales uires à cœlo, unde multa & diuerſa generantur in mundo ſecundum diuerſas aeris temperaturas, fiuntq́; diuerſa in ſpecie, immo etiam in unamet ſpecie, & in una regione magis q̃ in alia talis apparet diuerſitas, nam ſi aer fuerit bonæ excellentiæ omnia ſub eo perfecta generabuntur, quod apparet non tantum in magno mundo, ſed etiam in paruo, ideſt in homine, qui quidē eſt primus in hoc magno mundo, habet .n. homo in ſe ſpiritus, qui ſunt boni, et qui ſunt mali ab influxu cœli, & omnia, quæ fiunt in humano corpore, fiunt mediantibus ſpiritibus & aere, ſecundum cuius bonitatem, & malitiam bonæ fiunt uel malæ, nobilesq́; & ignobiles operationes; & unum magis altero diſpoſitum ad bonos mores, & ſcientias, uariantur .n. hominum actiones ſecundum uarietatem horum ſpirituum. Videtis igitur quantæ neceſsitatis ſit ſpiritus qui dicitur aer. Habito hoc diſcurſu de ſpiritu in genere, & quomodo ſit medium ſubiectum inter æterna & caduca. Incipiamus modo agere de ſpiritu comperto in hoc paruo mundo ideſt in homine. Antiqui omnes poſuere tres ſpiritus in eius corpore, quorum unus dicitur naturalis, alius uitalis, tertius animalis, et notate contra negantes hunc primum ſpiritum uidelicet natu

ralem,

ralem, quem probabo ego dari ex ſententia tum Gale ni, tum Philoſophi, qui quidẽ ſpiritus in prima ſua generatione fit ex ſemine, & ſanguine menſtruo & habet ſubſtantiam calidam, et humidam, in quo etiam dominatur aer cum ſubdominio aquæ ſecundum Galenũ ſeptimo, octauo, & nono De placitis, cum quo conuenit Plato de dominio aeris, diſſẽtit tamẽ de dominio aquæ, quoniã loco aquæ poſuit ignis ſubdominium, de hoc autem infra dicemus & explicabimus cauſam diuerſitatis inter graues uiros, qui diuerſa ſenſere in hoc, talis autem (ut dicebam) ſpiritus naturalis in ſe & reſpectu ſui tenuis eſt, habilis, et lucidus. ſed reſpectu cæterorũ eſt craſſus, obſcurus, & minime lucidus, nutriturq́; ex ſanguine, ſicut cætera membra, & eſt implantatus, & permanens in omnibus mẽbris noſtri corporis, ſed diuerſimode, uidelicet ſecundum eorum nobilitatem, uel ignobilitatem in quibus reſiſtit, et ut exercent nobiles, uel ignobiles operationes, nã membra perfectiora, quæ ſunt deſtinata ad opera nobilia, habent hunc ſpiritum magis ſubtilem & lucidum, & quanto purior eſt & clarior, tanto membra perfecta recipiunt operationes, & uirtutes meliores, hoc.n. uelut principium quoddam ſempiternæ ueritatis eſt, ꝙ quanto membra ſunt nobiliora, tanto nobiliores exercent operationes, & per cõſequens eo puriores, & ſubtiliores ſpiritus requirunt, ſimiliter quanto ſpiritus iſti magis ſunt in membro diſpoſiti, tanto melius uirtutes in eo recipiuntur, quoniam per illos diſponuntur membra ad recipiendas uirtutes, & hæc in præcedentibus dicta ſunt etiam

de com-

de complexionali complãtato calore, qui calor idẽ est, quod ſpiritus naturalis, & ſicut per calorem complantatum membra diſponuntur ad recipiendum actum uitæ à calore influente, & à ſpiritu influente à corde, cũ prorſus calor complantatus, & ſpiritus naturalis idem ſint, differant tamen ſecundum nomen ſynonimum ſpiritus igitur iste quamuis idem est in genere, facit tamẽ uarias uirtutes ſecundum uarietatem membrorum, in quibus exiſtit. Patet igitur, quæ ſit eius ſubſtantia, tẽperatura, & actiones, uideamus modo impreßiones, quas ſumit ab anima. Volebat utiq; Hippoc. & exiſtimauit ſpiritum hunc naturalem eße eſſentiam animæ, licet Gal. fuerit dubius, & aliquando uoluerit talẽ ſpiritum eſſe proximum animæ instrumentum, ſed quas impreßiones recipit? Nimirum recipit, quas poteſt ſecundum prædictam ſubſtantiam ſuam, hæ autem nõ ualde nobiles ſunt, ſed ita nobiles recipit, ſicut talis ſpiritus eſt tantum illuſtratus ab anima, & à corporibus cœleſtibus. Nam cũ natura debens nutrire & augere nõ poßit ea facere, niſi per instrumentum, quo deducat materiam ut nutriat, & augeat, ideo eguit hoc ſpiritu, qui ut instrumentum hanc materiam deducat mediantibus ſuis qualitatibus, quibus caliditate ſcilicet humido iuncta operatur, operatur dico, quia calore humiditati iũcto elixat materiam, & eam deducit ad formam, & tãdem beneficio ſpiritus naturalis informati ab anima et illuſtrati à corporibus cœleſtibus ac operãtis calido et humido per elixationem, talis materia deducitur ad nutriendum, & augendum, has itaque impreßiones ſcilicet

cet

eet generandi, augendi, & nutriendi ab anima recipit, facit autem ſpiritus naturalis tales operationes ab anima illuſtratus, & infuſus, habet igitur nutrire, & augere iſte ſpiritus, cum autem nutritio, & augmentatio fiant mediante elixatione, ſed elixatio efficiatur per calidum & humidũ, propterea natura neceſſario prouidit ad hoc quemadmodum teſtatur philoſophus primo & ſecundo De partibus animalium, itaque fecit hunc ſpiritum craſſiorem & humidiorem uitali et animali, atque hinc apparet cur Gal. dixit in tali calore ſiue ſpiritu naturali dominari aerem cũ aquæ ſubdominio ſeptimo De placitis, ubi ſecundum uerum ſenſum loquitur quoniam videbat nutritionem et augmentationem debere fieri ex tali ſpiritu naturali, quæ quidẽ ambæ fiunt mediante elixatione, quæ fit à forti & ualido calore innato, qui non poteſt fortis eſſe niſi cum iungitur humido quod de natura aquea participat, Propterea dixit Gal. Calorem innatũ conſtare ex aere, & aqua plus tamẽ aeris quàm aquæ habere, habet enim aliquid aquæ propter elixationem faciendam, habet autem de aere ut ratione illius redderetur lucidus, uidetis itaq; quã dixerit ingenioſe Gal. ſpiritum hunc naturalem componi ex aere & aqua, ex aere inquam dominante ex aqua uero ſub dominante, habetis etiam quas uirtutes recipiat. Quomodo autem Plato recte dixerit ignẽ eſſe cum prædominio aeris in ſpiritu dicam poſtea, ſat ſit in præſentia nouiſſe Gal. ſententiam, & fundamentũ: Dicet modo quis: tria hæc recte percipio, omnia tamen uoluntarie dicta mihi uidentur, quoniam cuncta

pro

procedunt de ſpiritu naturali, qui quidem non datur, Dico autem eum ex Gal. Hippocrate, & Ariſtotele dari, & quod detur ſecundum philoſophum uideatis quid dicat ipſe ſecundo De generatione animalium capite quarto, ubi enim loquitur de ſpiritu naturali dixit neceſſe eſſe ut omnino in corpore animalis detur, quia ad omnem generationem eorum quæ generantur neceſſarius eſt, & deinde infert, (ne quis intelligat per talem ſpiritum de ſpiritu uitali,) & inquit probo q. datur ſpiritus naturalis per oua ipſa, uidemus.n. oua quæ nō habent ſpiritum uitalem, nec principium huius ſpiritus uitalis, nec quid proportionale cordi, nec poſſunt habere hunc ſpiritum uitalem à matre, quoniam ſeparata ſunt à matre, uidemus inquam in his generationem fieri animalis, ex quo neceſſarium eſt ſpiritū naturalem ouis ineſſe pro ipſa generatione, & ſic cōſtat quomodo talem ſpiritum philoſophus admittat, per quē diſtinguuntur partes exiſtentes in ouo, in quo generatio fit, hoc idem aſſerit Philoſophus ipſe in quinto etiam de generatione animalium capite ultimo prope finē, dicens neceſſarium eſſe ſpiritum naturalem, qui eſt inſtrumentum animæ ad diuerſos uſus in generatione animalis, ſicut malleus eſt inſtrumentum fabri ad uaria ferrea inſtrumenta conformanda, clare itaque poſuit philoſophus ſpiritum naturalem, ſed dicet quis, nos ſumus medici, unde licet detur ſecundum Philoſophos, nego tamē apud medicos dari, Quapropter dico ipſum etiam ſecundum medicos dari. Galenus enim commento ſubſequentis Aphoriſmi tria dicit eſſe principia noſtri corporis

poris

poris ſubiectum complentia, & inquit omne membrum à principio generationis eſſentialiter componi ex his tribus principiis, uidelicet ex ſanguine, humido ſubſtãtiali, & ſpiritu, & nulli dubium eſt, quin Gal. illic de ſpiritu complantato & naturali loquatur, neque enim poteſt eſſe uitalis, quippe qui non eſt de membri ſolidi eſſentia, ſed naturalis de eius eſſentia eſt, genitus ex ſan guine, & ſemine. Videte etiam Galen. eundem in 5. De ſimplicibus medicamentis cap. 9. ubi aſserit ex Hippo. ſententia ſpiritum hunc complantatum, & naturalem dari, qui ſpiritus licet non ſit (inquit) eſſentia animæ, proximum tamen eſt eius inſtrumentum, & reperitur in toto corpore faciens ad omnes operationes, ſed dicet quis, Gal. dicit ibi quod talis ſpiritus reperitur ratione cordis, à quo fluit, modo ſubiungit Gal. inquiẽs huiuſmodi ſpiritum in omnibus membrorum cauitatibus cõplantatum eſse uelut materiam reſpectu aliorum ſpiri tuũ pro operationibus animæ obeundis. Quid clarius? habetis hoc idem etiã 7. De placitis, & alibi, ſine hoc enim nihil fieri poteſt in animali, hic etiam in plantis eſt, quæ ſine ipſo generare non poſſent. Eſt modo alius ſpiritus, qui uitalis nuncupatur, ſuam habens in corde ſedem, ſicuti ſpiritus naturalis in omnibus membris, ge neratur autem à ſubſtantia cordis, & enim omne mem brum ſuam habet inſitam naturam, & temperaturam, ut peculiare quid ſibi generet, propterea Deus Opti. Max. hanc indidit cordi naturam, ut talem ſpiritum ui talem generet, qui illic ſedem obtineat, diſperſus tamen per arterias tranſmittat calorem ad diuerſa membra

anctuans

actuans spiritum naturalem, iste autem spiritus genitus in corde est ex duobus, ex uaporibus scilicet sanguinis depuratis, & ex aere attracto, qui semper influit, & hoc habetis à Gal. in lib. De utilitate respirationis, & in 9. & in 12. Therapeut. ex his ergo duobus substantia eius constat, temperaturam uero calidã habet, & humidam in se, respectu tamen spiritus naturalis dicitur siccus, eo quia subtilis admodũ est, ac depuratus, quoniam ipsius humiditas particeps est igneæ naturæ, ut patet sinistrum cordis uentriculum tangenti, nam qui digitum inserat ardentißimam caliditatem sentiet respectu spiritus naturalis, & hæc caliditas interne ꝑcepta fundatur in substantia sicca; unde & eius sedes siue membrum, in quo fundatur (quod est cor, siccum est, semper enim natura seruat modum in omnibus suis operationibus. Dicamus itaque ꝙ spiritus uitalis temperaturam habet calidam, & humidam, fitq; in corde ab aere attracto, & ex purißimis sanguinis uaporibus, sed uergit ad siccum, est enim tenuißimus, cuius operatio est ut per corpus transeat mediantibus arteriis, & moueat corpus, ac ipse quoque moueatur, semper autẽ mouetur quia est ex ignis natura qui mouet, & semꝑ mouetur, alioqui corrumperetur, mouet quidem corpus, ut ei det actum uitæ, utq; membra ad operationes excitet quæ prius erant in potentia, utq; nõ tantum sit animal uegetabile, nam hoc animal ipsa quidem membra etiã antea erant disposita tantum à spiritu naturali, & in potentia uiuentia, & propterea Gal. dicebat in 5. De simplicibus medicamentis cap. 9. ꝙ spiritus huiusmodi uita-

uitalis ſubtilior, eſt quàm naturalis, quoniam naturalis eſt, ut materia ſpiritus uitalis, non tamen intelligatis, q̃ ſit uera materia, qui quidem ſpiritus uitalis à corde fluens ad membra quia dat actum uitæ cæteris mẽbris ob id dicitur uitalis, recipit enim nobilitatem ab anima, & impreßiones, & operationes uitæ, quæ ſunt nobilißimæ, per hunc enim uiuit animal, & ſentit. Ex his licet colligere quàm bene dixerit Ariſtoteles ſenſum tactus immediate prouenire à corde, cum in eo generentur depurati illi ſpiritus uitales, qui per corporis membra diffuſi actuant, & excitant ipſa ad ſua opera, unde Philoſophos in hoc tueor dum dicunt ſenſum tactus immediate uenire à corde, qui tactus eſt ubiq; in corpore quoniam ſpiritus uitalis fluit à corde paßim dans uitã & ſenſum membris, ideo hoc modo talis ſpiritus ab anima accepit nobiles iſtas operationes, ut ſunt uita, & ſenſus, & propterea uidemus aliqua animalia, quæ non habent cerebrum, uelut oſtreæ, & ſpongiæ, tamen habere cor, uel quid ſimile cordi, unde dotata ſunt ſenſu quo, ſi corde, aut aliquo ipſi proportionato carerent, omnino deſtituerentur, plantæ itaque ob id ſenſu carent quia etiã corde deſtitutæ ſunt, ſpiritus modo iſte uitalis eſt & ipſe modo quodam naturalis quoniam exiſtit in pati, nam & ſenſus tactus ſtat in quodam pati, locus autẽ iſtius eſt medius inter ſpiritum naturalem, & animalem, medioq; modo ſe habet natura, & in forma, & in operationibus, & in nomine interdum enim dicitur calor, & ipſe, interdum uero ſpiritus, quoniam ſeruat ſuã mediam naturam, unde & in omnibus medio modo dici-

tur esse, & ita appellatur medius inter duos modo di-
ctos spiritus, non est autem perfectioris naturæ, q̃ ca-
lor naturalis, & habet magis de natura spiritus, pro-
pter quod rectius spiritus dicitur nomine q̃ caloris,
quoniam spirat, sicut ex aduerso spiritus naturalis re-
ctius appellatur calor innatus, q̃ spiritus, quoniam nõ
spirat, sed semper complantatus permanet in membris,
firmus. Reliquum est, ut de tertio spiritu, qui in cere-
bro collocatur & animalis dicitur, agamus. Is sanè ita
defecatus est, & lucidus, ut deuenerit ad summam quã
dam perfectionem, & sit uelut quædam parata essentia
ab alchimistis ita appellata, qui spiritus conficitur in
quodam arteriarum nexu existente in basi cerebri,
quem nexum Galenus appellat retiformem, quoniam
summo artificio instar retis compactus est, in hoc plexu
arteriarum in fundo cerebri existẽte tales spiritus ani
males depurantur, sicut lac ultimam perfectionem suã
in mamillis acquirit, & sicut semen in testibus elabora
tur per reuolutiones uasorum seminalium ad generatio
nem efficiendam, sic propemodum fit spiritus uitalis,
qui est, ut materia respectu spiritus animalis, qui spiri
tus uitalis delatus ad cerebrum in illo arteriarum com
plexu sic depuratur illic, ut magis aureus, magisq; spi-
ritualis fiat, atq; etiam magis a materia expolietur, ut
fiat quædam ultima longe præstantior essentia spiritu
uitali, unde ex hoc spiritu fit per talem depurationẽ
spiritus animalis, qui in cerebro nobiles exercet actio
nes, sicut sunt intelligere & speculari, & propterea mẽ
bra pro nobilißima operatione facta, sicut oculi sunt,
posita

posita fuere in cerebro, in quo sunt spiritus ipsi anima les clarißimi, ut fiāt operationes nobiliores uitalibus, quanto etiam spiritus animales depuratiores sunt, & nobiliores uitalibus. Sciendum autem, q, spiritus anima les exercent suas operationes, si modo bene agitati sint & quieti, quoniam si essent in continuo motu, non pos= set propter eum ullo modo iudicium fieri, et propterea sedendo, & quiescendo anima fit sciens, & prudens (ut inquit Philosophus septimo physicorum decimo octa= uo) sedatis tamē ipsius paßionibus, per quas spiritus ip si animales patiuntur, unde homines prudentiores sunt iuuenibus, quoniam spiritus hominum animales quie= tiores sunt, ex quo colligatis aureum fuiße dictum Ari stotelis, q, cerebrum sit à natura cōstitutum frigidū ut cor ipsum refrigeraret, q, dictum intelligitur ab impe ritis qui non nouerunt diuinum illud Philosophi inge= nium, hoc pacto, q, cerebrum sit factum ad refrigeran= dam caliditatem cordis, sed decipiuntur miseri, nam ita dicēdum, q, per cerebri frigiditatem spiritus illi anima les cōtemperantur, simul & uitales, quibus contempe= ratis fit postea, ut homo recte iudicet, recteq; omnes ope rationes intellectus exerceat, uidemus enim in eis qui satis calidum habent cerebrum, spiritus animales, & ui tales non poße ad temperamentum redigi, qui uero fri gidum habent, sunt bonorum morum, quia spiritus sedā tur, & contemperantur à cerebri frigiditate. unde fiūt stabiles tales homines in spiritu animali, & bene iudi cant, & propterea diuinus ille uir dicebat. Magnam ce rebri copiam homini respectu cœterorum animalium

datam esse, ut prudens fieret, & discurrere, ac iudicare posset hoc enim modo fit illa proportio, et harmonia spi rituum per cerebri frigiditatem, quoniam uitales ascẽ dentes ad retiforme illic depurantur, & fiunt anima- les per talem purificationem, postea uero à cerebri fri- giditate contemperantur, stabiliunturq́;. Hoc est, quod dicebat Aristoteles primo, & secundo De partibus ani malium, q animalia frigidiora sunt prudentiora, quem admodum sunt apes, & alia his similia, & ita cum iste spiritus animalis depuratus est, & ad temperaturã re dactus, tunc optimus fit, & recipit diuinum illum intel lectum, qui in hominibus uarius est pro ut spiritus illi magis & minus dispositi sunt, & hic erat ille Dæmon Socratis, quem dicebat in diuersis partibus omnium ho minum eße, sic igitur iste intellectus dum est magis pu rus & stabilis, fit agens in actu, & ueluti diuinum quoddam.

X V.


Entres hyeme, & uere natura ca- lidißimi sunt, & somni longißi- mi, quare per ea tempora alimen ta copiosiora sunt exhibenda. Et enim tunc calor innatus plurimus est, unde & pluribus egent alimẽ tis, indicio sunt ætates, & athletæ.

VT semper ordo eorũ, quæ ab Hippocrate dicun tur, seruetur, debetis reminisci eorum quæ supe rius

rius à nobis diffusius sunt explicata. Diximus supra, q, si uirtutem expurgare uolumus triplici utimur instrumento, potione, dieta, & pharmatia, q, si ad expurgandam uirtutem dieta utimur, habemus indicationes q, talis dieta debite administretur, quæ sumũtur à uirtute, & à morbo, aut à constitutione morbi, & tunc ab ista indicationes uniuersales sumuntur, aut à paroxismo, & tunc sumuntur indicationes particulares. Indicationes autem quæ à uirtute sumuntur non indicãt quid sit agendum, quia hæc indicatio semper sumitur à morbo, nam cum morbus adest statim nascitur talis indicatio, quid agendum, uidelicet excitandam esse uirtutem, sed à uirtute sumitur, an sit agendum, & si an sit agendũ habetur, tunc inquirimus quantum sit agendũ, hæc duo à uirtute habentur, & cum Hippocrates uellet pertractare de indicationibus, quæ à uirtute sumuntur, docuit in duobus præcedentibus Aphorismis, quomodo mediante calore innato cognoscitur fortitudo, & debilitas uirtutis, ut hoc habito consequenter sciamus indicationes, an sit agendum, nam si calor innatus, seu calor naturalis (q, idem est) magnus est, uirtus etiam magna erit, et ẽ conuerso, cum calor naturalis sit signum uirtutis siue eius instrumentum, siue ipsamet uirtus, uel animæ substantia, ut placuit Hippocrati, quare obseruandum est in quibus corporibus iste calor naturalis sit multus, uel paucus, quoniam ex hoc scietis fortitudinem, & debilitatem uirtutis, & ex consequenti an sit agendum, & quantum, talis autem calor innatus fit paruus, & magnus, uel ab intrinseco, uel ab extrinseco, ab intrinseco

quidem, à temperatura, secundum enim q; temperatura est, ita plus, & minus istius caloris innati existit, nam si illa fuerit temperies moderata, tunc calor erit plurimus, & ex consequenti uirtus ualida, si temperies immoderata, calor innatus paucus, et ex consequẽti uirtus erit parua. Sumitur etiam ab intrinseco ab ætatibus, nam quemadmodũ ætates sunt, ita iste calor existit si enim est ætas pueritiæ, plus est illius caloris, similiter de aliis dicatur, & ita temperatura, & ætas inuicem conspirant, de his autem intrinsecis egit Hippocrates in præcedentibus Aphorismis, conseruatur etiam iste calor non solum ab istis extrinsecis, sed etiã ab extrinsecis, aere, consuetudine, regione, & reliquis. Ideo incipit Hipp. à tẽpore anni docens quomodo à tẽporibus anni calor iste cognoscatur, et eius copia siue paucitas, nam hoc cognito sciemus etiam quando plus cibi dandum sit, et quãdo parũ, et hoc in isto Aphoris. concludit Hipp. quod etiam comprobat, dicit itaque.

Ventres hyeme, & uere natura calidissimi sunt, & somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Quantum attinet ad uim istius consequentiæ audiuistis superius, q; ubi est calor magnus, statim sequitur necessitas multum de cibo exhibendo, quoniam existente multo calore plurima fit resolutio, & consequenter maior necessitas restaurationis, quare si uerum est, q; uentres hyeme, & uere plus habeant caloris, necessario sequitur q; debẽt habere plus cibi, oportet autem ut antecedens comprobemus, & quia antecedens duas habet partes, alteram,

quæ

quæ dicit. Ventres hyeme & uere natura calidiſsimi ſunt,& ſomni longiſsimi, quare per ea tempora &c. *alteram quæ dicit.* Et ſomni longiſsimi. *In primis primam probemus partem antecedentis,cur hyeme,& uere uentres dicantur eſſe calidiſsimi, deinde alteram aggrediemur. Antequam autem ipſam probemus,debetis circa hoc quatuor annotare,quæ in uirtute ſupra fuere declarata, iſta enim omnia dicta,& dicenda maximam connexionem ad inuicem habent, ut alterum explicet alterum,quemadmodum in mathematicis. In primis notandum eſt,q̃ calor habet hoc, & non ſolum ipſe,ſed omnes reliquæ qualitates, q̃ ubi collectus eſt, ualidior,& fortior efficitur ſe ipſo diuulſo, ubi uero diſpergitur debilior, & imbecillior redditur. Secundum ſuppoſitum eſt, & hoc uidetur proprium calori, q̃ ubi aduenit ipſi contrarium,utputa frigus,ſi tale frigus fuerit moderatum, tunc efficit calorem illum fortiorem,hoc autem oſtenditur ex ſigno,et natura ignis, natura enim eius eſt, ut ſemper conſumat, & à medio moueatur & niſi aliquod habeat frenum,tunc talis calor diſsipatur,& diſsoluitur,eſt enim ut indomitus equus,cum autem ipſi occurrit frigus,tunc refrenatur, & tunc ex illo freno per antipariſtaſim uigoratur, & moderatur, quemadmodum uidemus in ipſo anhelitu,calor enim exiſtẽs in corde,niſi occurrat ipſi aer frigidus,diſsiparetur, & diſſolueretur,ſed ex occurſu aeris frigidi recreatur, & moderatur, & nutritur,quod dicebat Galenus in libro illo de uſu reſpirationis,quam rem cognoſcentes fabri in ſuis carboni-*

bus accensis, ubi ferrum ignitur, aspergunt aquam frigidam, moderate tamen, ut ille calor moderetur, & nutriatur, & hoc est, quod dicebat Aristoteles in secunda particula problematum secundo. Unde est, q, in caldariis magnis homines existente aere frigido sudant, q̃ existente aere calido, dicebat Philosophus hoc ideo euenire, quia frigiditas exterius adueniēte corroborat ipsum calorem innatum, qui postea corroboratus, tunc exprimit facile superfluitates omnes in corpore existentes, q, aer extrinsecus calidus sit, corpus non ita sudorem emittit, quia talis calor dißipatur, neque ab aliquo refrenatur, & ob id illas non efficit operationes, & hic unum notate quia in Conciliatore reperietis totum oppositum eius q, diximus, dicit enim. Quare in caldariis sudamus cum aer est calidus. *Debet dicere* Cum aer est frigidus. *Ideo, ne uos decipiat, quoniam contextus græcus Aristotelis non ita iacet, sicut & recte transtulit Theodorus Gaza, & propterea Galenus asserens hoc idem in cōmento, quod nos diximus, inquit, reddens rationem, quare calor innatus in hieme augeatur, quia ad intra refugit, quod & Aristoteles (ut inquit Galenus) putauit, & ita uidetis quomodo aere existente frigido si quis reperiatur in caldariis magnis sudat, quia calor uigoratur. Tertium suppositum est, q, calor, uel suffocatur, uel dissoluitur quidem à suo simili excedente, quemadmodum contingit lucernæ, quæ cum sub sole ponatur, extinguitur quodammodo, & eius lumen dißipatur, ideo supra dicebam calorem destruere calorem, & etiam se ipsum, ab alio enim*

calore

calore ingenti dißipatur,& absumitur,quod cognoscẽs Philosophus in 25.particula problematum problemate 20.quæsiuit,cur est q̃ caliditas in mẽbra non resoluatur,sicut quando est in sole,hoc(inquit)nõ ob aliud est, nisi quia caliditas potius resoluit, q̃ adaugeat, et sic à sibi simili excedẽte(intelligatis calido) dissoluitur p̃ resolutionem, suffocatur autem ab ipso frigore,nam cũ frigus est ingens(nõ enim paruum hoc efficere potest) tunc ille calor per suffocationem extinguitur,siue tale frigus in potentia esse dicatur,(quemadmodum est medicina frigida,quæ intus aßumpta & à calore naturali ad actum deducta calorem ipsum per suffocationem extinguit)siue in actu. Quartum suppositum est, q̃ calor conseruatur à suo simili cum illud simile non est uehemens,sed moderatum.simile enim à simili conseruatur,dummodo moderatũ existat,Ista sunt quatuor supposita,quibus recte intellectis omnia clara,& manifesta reddentur,& ueritas Aphorismi,dicit itaque Hippocrates. Ventres hyeme,& uere natura calidisſimi Dixit natura. Quoniam(ut dicebat philosophus 6. æthicorum)si quis rem considerare intendat, oportet, ut eam consideret prout se habet secundum naturam, ut pomum non est contemplandum,ut est corruptum, quia tunc consideraretur extra naturam propriam. Ideo opus est rem secundum naturam suam considerare,sicuti in proposito iubet Hippoc.considerandam eße hyemem,non ut est frigidißima,quia tunc considerare tur extra naturã propriam,non enim natura propria ipsius est,ut sit frigidißima, similiter de uere dicendũ

est, q considеretur iuxta propriam naturam, q.s. frigidum sit tantum, quantum natura sua expostulat, similiter de calore in homine, considerandus.n. est ille non debilis, & defessus, & ægrotans, sed in sua natura constitutus, stante igitur hoc, tunc uerus erit discursus noster, q.s. calor in uere augetur, quia colligitur, & condensatur neque tale frigus corrumpit ipsum per suffocationem, quia ponitur tẽperatum, ita etiam si hyems sit secundum propriam naturam, & non habeat uehementia illa frigora, quia non esset, tunc in propria natura, colliget, & intendet calorem naturalem per antiparistasim, quemadmodum dicebamus de aqua à fabro supra ignem inspersa: & ita iam audiuistis, quomodo, hyeme, & uere uentres calidissimi sint supponendo, ut dixi in 4. notando, q omnia moderata sint, quemadmodum supponit ipse Galenus 1. & 2. De temperamẽtis de ipso uere, q.s. temperatissimum sit, & propterea melius degunt homines in uere, quia calor in tali tempore cõseruatur, similiter in hyeme sani uiuunt homines, quia in tali tempore calor augetur, & nutritur. Est modo difficultas ob Auicennam in 2. primi ubi dicit, q in uere sunt cibi diminuendi. Dico q eius dictum debet sano modo intelligi, nam ut dicebat Gal. in cõmento, uer tripliciter considerari potest, uel in principio, uel in medio, uel in fine, si in principio consideretur, naturam obtinet hyemis, quia ab hyeme non longe elõgantur & cum hyeme uentres calidissimi sint, etiam in principio ueris erunt calidissimi, si in medio consideretur, tunc est in sua natura temperatus, ideo calor

tali

tali tempore temperatus est, si uero in fine considere-
tur, tunc sapit naturam æstatis, quoniam ab ipsa non
elongantur, & cum in æstate uẽtres imbecilliores sint,
in fine etiã ueris calor imbecillior erit, ideo tũc parũ
cibi est exhibendũ, & sic dictum Auic. si hoc modo cõ
sideretur, ueritatem habet. si uero alio modo, minime.
Aut dicatis excusando Auicen. ꝙ ipse erat in regione
Persica, ubi non est tanta in uere temperies, sicut apud
nos, & ideo in uere uentres non sunt ita calidi, in æsta
te uero quia aer ille extrinsecus occurrit calori natu
rali cum caliditate excedente calorem innatam resol-
uit, & ideo ex multo calore in æstate multi propter
maximam resolutionem mortui sunt, hyems uero pror
sus oppositum facit, ꝙ si dicat quis, sunt aliquæ æstates
frigidæ, in quibus non fit ista resolutio, ergo nõ semper
uerum est, ꝙ calor in æstate resoluatur. Dico ꝙ hic in-
telligimus de æstate, posita in suo naturali esse, modo si
contingat ꝙ sit æstas frigida, tunc non est in suo natu-
rali esse, sed potius extra, in Autumno autem calor ma
le se habet propter inæqualitates repertas in ipso, ideo
dicebat Hipp. cum in meridie modo calor, modo frigus
apparuerit autumnales morbi expectandi sunt, ideo
autũnus est pessimus hominũ naturæ, quoniã in tali tẽ
pore homines plurimũ ægrotant, quoniam resoluti in
æstate, & debiliores facti, cum sunt in autumno, magis
debilitantur ob eius inæqualitatem, nam in ipso modo
frigus apparet, modo calor, & quandoque corpora fri
gefacit, aliquando calefacit autumnus, quo fit, ut pori
eorum aperiantur in tẽpore caloris, deinde aduenie

te frigore, & intrinsecus ingrediente calor naturalis suffocatur, & ita autumnus calorẽ resoluit ob eius caliditatem, suffocat autem ob eius frigiditatem, cum igitur duobus his modis lædat, uerum est quod ipse sit penitus naturæ humanæ inimicus, & ita iam constat, quomodo antecedens, quantum nam primam partem uerissimum dicatur, seruatis seruandis, remanet 2. pars.

Somni longissimi, quare per ea tempora alimenta copiosa sunt exhibenda. consequentia nota est, quia ubi longus est somnus, calor naturalis augetur, ergo pfectiores celebrantur concoctiones, & ex consequenti plurimum dandum est alimenti, nunquid autem somni in hyeme longißimi sint, hoc inquirendum est. Galenus hæc sicco pede pertransit, & cito se expedit, dicit enim somnos longißimos esse, quoniam noctes sunt longæ. Hoc (ut mihi uidetur) totam rem non explicat, quia si essemus, ut sunt boues, qui per totam noctem dormiunt, & ut sunt miseri, & inertes, sequeretur, q somni eßent longißimi, nos autem loquimur, non de miseris, sed de illis, qui quantum opus est, dormiunt, propterea alia inuestiganda est causa. Alexander Aphrodisiensis in primo suo libro quæstionum naturalium quæstione 2. dicebat, q longiores fiunt somni æstate, q̃ in hyeme, quia in æstate refrigeratur thorax, ex cuius refrigeratione sequitur cordis refrigeratio, quod cum sit secundum Aristotelem principium sensus, & ipsi in eo existẽtes refrigerẽtur, somnus causatur, sed in æstate hoc fit, quia in ea calor naturalis dissoluitur ab aere calido extrinseco, qui calor dissolutus deprimit partes thoracis,

cuius

cuius partes destitutæ refrigerantur, ex cuius refrigeratione sequitur corporis refrigeratio, & spirituum in ipso existentium, & deniq; sequitur somnus longior in æstate, cuius oppositum prorsus contingit (inquit Alexander) in hyeme. Sed hæc ratio Alexandri licet sit secundum principia philosophi, tamẽ nulla est, quia homines in æstate sunt somnolenti, non q̃ fiãt naturales somni, & quare sunt somnolenti? Dico id esse quia eleuantur plurimi uapores ad caput propter malas factas digestiones ob caloris debilitatem, & sic replet cerebrũ, & faciunt somnum secundum medicos & ita fit somnolentia illa ob plurimum potum tali tempore assumptũ, nam licet uerum sit, q̃ refrigeretur thorax in æstate, & cor, quod est sensuum principiũ, ut dicit philosophus in libro de somno, & uigilia, tamen hoc nihil est, quoniam in æstate non fiunt somni longi, q̃ si fiant ob id contingit, quia homines multas comedunt herbas & frigidas, & quia in æstate dies sunt lõgissimi, ob quod homines coguntur in nocte, & in die, & maxime in meridie dormire, nam post cibi assumptionem fit illa exhalatio uaporum ad caput, & somnus efficitur, sed isti non sunt ueri somni (ut dicebat Gal. in libris porriticorum,) quoniam sunt interrupti, uapores enim illi ob caliditatem æstatis sunt aliqualiter adusti, & accensi, in hyeme autem somni sunt longissimi, & naturales, quia homines tunc plus comedunt, & sic fit maior euaporatio, & uapores illi suaues sunt, et benigni, et propterea fiunt ẽt somni naturales longiores, natura autem præuidit, q̃ homines, cum tali tempore plus comedant maius

tem-

tempus ad cibos concoquendos requirunt, & tunc cerebrum refrigeratur, & somnus generatur, ut illos concoquat uapores, & propterea in hyeme debetis tenere caput tectum, (quod animaduertentes isti ultramontani cooperiunt capita sua pellibus) ut uapores illi in cerebro existentes facilius concoquantur, & ita somni longißimi sunt non propter longas noctes, sed ob rationes à nobis superius adductas, & sic uera est sententia Hippoc. lego uerba. Ventres hyeme &c. Declarat, quare uentres hyeme, & uere calidi sunt, quia magnus calor innatus in tali tempore existit, & infert, propterea plus indigemus alimento, inditium autem huius est sumptum à iuuenibus, & athletis, qui plus in tali tempore comedunt. Quantum attinet ad uocem illam, quando dicit Ventres &c. De quo nam uentre intelligit? Dico q̃ intelligit de thorace, uentriculo, & etiam intestinis, ubi sunt uenæ illæ meseraicæ. Quod autem thorax in hyeme calidus sit, palàm est ex pulsu, pulsus enim tunc uehementes sunt, & magni, uehementia nanq; & tarditas, magnitudo, & paruitas sunt pulsuum differentiæ, quæ indicat fortitudinem caloris innati, & uirtutis, non autem uelocitas, & frequentia. Reliquum modo est ut soluamus nonnullas dubitationes, quæ insurgunt contra Aphorismum, inter quas una est, quam opportune mouet Galenus in commento, cum enim dixisset Hippoc. uentres hyeme, & uere natura calidißimi sunt, & ideo in his temporibus plurimo egent alimento corpora, contra hoc dictum arguit Galenus tali argumento. Nemini dubium est, q̃ restauratio, & assumptio ali-

alimenti fit ratione eius, quod resolutum est, in corpore.n.est necessitas alimenti extrinseci ob dissolutionẽ, quæ à calore fit, sed in hyeme minus corpora resoluuntur, q̃ in æstate ob frigiditatem circunstantem, ergo minori alimento opus est, contra Hippoc. sententiam. Galen. more suo acutissime soluit, & dicit, q̃ si dogma Hippocr. non haberemus nulla alia uia possemus huic respondere argumento, ideo ex dogmate ab Hippo. nobis tradito argumẽtũ facile tollitur, quale ãt est istud dogma? (putetis autem, ubi optime hoc intellexeritis, optime etiam omnes dubitationes, quæ à modernis istis fiunt, solutas esse.) Dico, q̃ Hippoc. uoluit facultatem illam naturalem, q̃ uegetabilem appellarunt Philosophi quatuor habere faculta tes particulares, attractricem, retentricem, concoctricem, expultricem, & omnium istarum facultatum actiones à calore confici naturali, & ubi copiosus est calor naturalis, omnes istæ actiones optime fiunt, quo supposito uidebitis, quomodo omnia facile consequuntur. Nam ubi plurimum caloris naturalis, habueritis certum est, q̃ omnia fient secundum quòd oportet, & optima erit attractio, retentio, concoctio, expulsio, primo autem in corpore præcedit uis appetendi, ad quam sequitur attractio, qui appetitus, ubi plurimum extiterit caloris in corpore, optimus erit, & si hyems etiam fuerit secundum naturam, (Nam in tali hyeme uentres natura calidissimi sunt) optima fiet concoctio ciborum, quantum oportet, quando, & quomodo, postquàm autem uentriculus attraxit quantum oportet, retinet etiam quantum, & quomodo oportet,

tet, retinet etiam quantum, & quomodo oportet, (ſicut declarabat Gal.. 3. De ſymptomatum cauſis) & hoc fit cum uentriculus optime cibum complectitur, ita ut nihil cadat medium inter ipſum, & cibum, tertio optime fient concoctiones ſecundum q, oportet, & factis concoctionibus excrementa ſecundum qualitatē debita hora expellentur, ita q, ex primo ſuppoſito q, plurimus ſit calor naturalis in hyeme, ſequitur, et q, uirtus naturalis optime ſe habeat in ſuis actionibus, quæ omnia ſi uera ſunt facile ſoluitur dubium à Galeno propoſitum, nam ubi omnes actiones illæ perfectæ ſunt, & ut oportet, & præcipue excrementorum expulſio, apparet dicti ab Hippo. ueritas. Sunt autem tria loca, per quæ excrementa expurgantur, prima expurgatio per aluum fit fœcuum terreſtrium ſecunda per urinam, tertia per meatus cutis, prima illa expulſio correſpondet illi primæ concoctioni, adeo q, in hyeme uidemus excretiones ſecundum, q, oportet, nam excernuntur hæc optime cōpacta, & hora debita, ita etiam ſecundæ concoctionis excretio, quæ per urinam, fit optima apparet, nam & in urinis tempore hyemis plus eſt ſedimenti, præter id, q, etiam tota urinarum multitudo hyeme multum augetur, tertia etiam excretio, quæ inſenſibilem habet diflationem, fit optima, & in hyeme contingit, q, fiat ſecundum q, oportet, ut notauit Galenus ex Dyocle, qui fuit optimus medicus, cuius tamen ſcripta non habemus, ſed uel maxime deſideramus cum nunquàm Galenus ex ipſo dicat niſi ſit admirandum. uolebat enim Dyocles ſudorem præter naturam eſſe, nam quando corpus optime

me dispositum est,& cibum accipit, & concoqui secundũ, q; oportet,& nihil plusquàm oportet corpus exercetur, nullus fit sudor, nam prouenit in corpore sudor ex nimia repletione, aut uirtutis imbecillitate, aut aliqua uiolenta causa, sed cum corpus recte dispositũ est, et alimentum à natura recte concoquitur, fit quidẽ tertiæ concoctionis superfluitatem excretio, sed per insensibilem diflationem, ideo in hyeme non sudant homines quia beneficio caloris innati multi omnia, quæ ad corpus attinent, recte administrantur, & inde corpora insensibiliter, secundum q; oportet, diflantur, & ideo nõ est uerum, quod supponebatur in illo argumento, nisi, et parum dissolueretur à corporibus in hyeme, immo diflantur quantum oportet, & secundum quod oportet nihil autem utile dißoluitur, sed tãtum id, quod excrementosum est,& corpora in hyeme augentur (nõ intelligatis autẽ de uero augumento, sed quia plus carnis, & pinguedinis acquirũt eo tẽpore, quàm æstate) ideo ex Galeni sententia argumentum nullũ est quia,& si à corpore non appareat sensibiliter dißolutio, fit tamẽ dissolutio insensibilis, secundũ q; oportet, sed quia alimentum cõuertitur in substantiam nutriti ferè totum inde corpora craßiora reddũtur in hyeme, et ita solutum est Galeni argumentum. Soluitur etiam aliud argumentum modernorum dicentium, q; plurimum pituitæ abundat in hyeme,& minimum bilis, ergo uẽtres in hyeme natura calidißimi non sunt quia pituita in uentriculo generatur ratione diminuti caloris. Hoc argumentum nullum est quia caliditas naturalis huiusmodi

est caliditas elixans, non adurens, & ubi cibus elixatio ne concoquitur, non aduritur, non generatur bilis, quæ ex adustione fit, cum ergo plurimum alimẽti in hyeme sit, plurima fit elixatio, & ex consequenti necesse est, ꝙ plurima aggregetur pituita conuertibilis per ulteriorem decoctionem in chylum, & sanguinem, nam (ut anno elapso, dum legerem Auic. ostendi) semper in quocũque uentre optime disposito necesse est, ꝙ plurimum pituitæ generetur, tum ratione finis, tum ratione consequentiæ materiæ, multitudo itaque pituitæ in hyeme caloris paucitatem non arguit. Est autem alia ratio, cur in hyeme pituita multiplicatur in uentriculo, nempè ob catharri descensum, nam uentres inferiores hyeme calidissimi sunt, secus est de uentre superiori cerebro scilicet, quia à frigiditate extrinseca ob caloris paruitatẽ multam post modum generat pituitã, quæ ad uentriculum deinde transmittitur, quid etiam? non ne multa pinguedo in hyeme multiplicatur, q̃ à frigido generari uoluit Galenus, & si aliàs contra ipsum disputauerim, ostendens, ꝙ ex sententia Aristotelis à calido generatur, & propter hoc non sequitur in hyeme caloris paucitatem esse, etiam si admittatur Galeni sententia de pinguedinis generatione, generatur enim pinguedo ex Galeni sententia ex uapore sanguinis oleoso, et ubi plurimum est sanguinis, ibi etiam plurimum uaporis huiusmodi reperitur, qui membranis occurrens, & adhærens, cum membranæ frigidæ sint, crescit, & inde corpus illud redditur pingue, Ex hoc etiam fundamẽto optime intellecto omnes consimiles dubitationes soluentur,

ur, & sic non oportet in his consistere, sed ad alia progredi artis medicinalis principia ad modum neceßaria & cognitu difficilia, ad sequentem igitur Aphorismũ transibimus.

XVI.



Victus humidus febricitantibus omnibus conuenit, maxime uero pueris, & aliis, qui tali uictu uti consueuerunt.

PRo huius cõtinuatione (omnes enim isti Aphorismi miro quodã artificio annexi sunt) ex superioribus dictis debetis scire, quemadmodum Hipp. sumpta indicatione, tum à morbo, tum à uirtute ostendebat, quomodo cibum secundum qualitatem, tam in uniuersali, q̃ in particulari ægris circũscribere, & limitare deberemus, sed quia quis statim dubitare posset inquiens, Hipp. tu bene docuisti quantus cibus ægrotantibus exhibendus sit, & utrum multum, aut paucum, an nihil cibi dare debeamus sed ego, qui uolo artem medicinæ exercere, nescio, qđ genus ciborum ægrotantibus sit exhibendum, quod maxime cognitu neceßarium est. Ideo Hippocrates opportunè in præsenti Aphorismo nobis tradit indicationẽ, qualis nam cibus in singulis morbis sit exhibendus, & quia ex tabellis à nobis traditis de cibo, alimentum, uel ad corpus refertur, uel in seipsum consideratur, poterat autem cibus iste considerari, aut secundum substan

iam, aut quantitatem, aut qualitatem. Hippocr. hoc in loco non loquitur de cibo ratione substantiæ, utrum scilicet boni, an mali nutrimenti sit, & an facile, aut difficile concoquatur, nam ex sententia Galeni supponere debetis, quod Hippoc. hoc habuit proprium, ut ea, quæ uidentur nota etiam medicis parum expertis, non doceat, sed tantum, quæ obscura sunt, & aliquam habent difficultatem. Cum autem non esset Hippoc. dignum, ut de cibo secundum substantiam consideraret, noluit aliquem de huiusmodi habere sermonem, uir nanque doctus, qualis fuit Hippoc. si uellet manifesta docere, profectò nõ seruaret grauitatem, nullus enim quantumuis inexercitatus ignorabit, quod sit eligendus cibus boni succi, & facilis concoctionis. Quapropter hoc prætermittens Hippoc. meminit tantum de alimento considerato secundũ eius qualitatem. Et ut clara omnia habeatis, quæ de qualitatibus ciborum dicentur, duo sunt supponenda, quæ superius à nobis longo sermone declarata fuere, et non temerè, antequàm ad contextum Hippoc. accedamus. In primis supponendum est, quod idea, & caracter doctrine Hippoc. habebat duo principia, alterum quidem, quod contraria contrariis curantur, alterum uerò, quod similia similibus conseruantur, quæ fuerunt assumpta ab Hippoc. tã quàm concessa, & manifesta, quæ, & uos, si uultis doctrinam eius insequi, præsupponere debetis. Secundum suppositum est, quod ea, quæ præter naturam insunt alicui corpori, remoueri debent, quæ uero secundum naturã, conseruari. His duobus suppositis facile totum Aphoris. intelligere poteritis, quẽ in duas diuido partes, prima

pars

pars incipit ibi Victus humidus &c. Secunda pars est ibi Maxime uero pueris. Declaremus primam partē postea ad secundam accedemus. Duo sunt supposita à nobis, primum est, q contraria contrariis curantur, & similia similibus conseruantur, secūdum est, q quandocunque existit quippiam præter naturale alicui corpori, tale est remouendum, quando uerò adest aliquod secundum naturam, illud est conseruandum, addomodo huic supposito minorem hanc, sed febris est quid præter naturam, ergo remouenda est, & quia ex primo supposito contrariis contraria curantur, addo etiam huic aliam minorem, sed febris est calida, & sicca, ergo cū frigidis, & humidis remouenda est. Sed cur Hipp. non meminerit de frigidis, inferius nunc uobis declarabo, ex quo quantum artificium sit Hippo. in hoc Aphoris. patebit. Quid ex hoc sequitur discursu? nēpè, q uictus frigidus, & humidus omnibus febricitantibus conuenit, & ita uidetis, quomodo in præsenti Aphoris. cibi sint secundum qualitatem ægri exhibendi, diuinißime pertractet Hipp. nam duobus illis suppositis, de quibus nuper dixi, si habemus præ manibus dispositionem calidam tantum, cum frigidis duntaxat eam remouebimus si uero siccam tantum, cum humidis solum, similiter de aliis simplicibus, & compositis qualitatibus dicendum est, ut si adsit ægritudo calida, & sicca talis cum frigidis, & humidis remouenda erit. Quod autem hæc febricitantibus conueniant, ex sufficienti partium enumeratione confirmari potest, nam calida, & sicca non cōueniunt, quia tunc dispositio illa febris calida, & sicca

augebitur, nõ tollitur etiam cum frigidis, et siccis, quia licet hæc tardæ inflammentur, tamen cum inflammata sunt, fortius calefaciunt, neque calidis, & humidis indiget, quoniam ista facile putrescunt, & ex consequenti facile inflammantur, ergo sequitur, q; in hac dispositione cum frigidis, & humidis erit procedendum, & hoc habetis à Gal. 7. therapeutices, ubi docet curare istas intemperies, tam simplices, quam compositas, & ex his paucis uerbis poteritis elicere, quid nam in aliis omnibus morbis agendum sit, siue sint frigidi, & humidi, siue frigidi, & sicci, & huiusmodi, quæ ab Hipp. omnia derelinquuntur, habito.n. uno oppositorum facile habetur & reliquum, & ex his qualitatibus primis recte administratis poterimus etiam colligere, quomodo qualitates secundæ, quæ naturales potentiæ, uel impotentiæ dicuntur, administrandæ sint, nam clarum est, q; cõtraria contrariis curantur, ideo si sit quædam res mollis cum dura curabitur. similiter & è conuerso, si uero ampla, cum adstringentibus occurremus, & sic de aliis dicatis ne in hoc morosus sim. Et quia morbi quãdoque compositi sunt, non simplices, ideo circa hoc aduertatis, nam quandoque duo copulantur morbi, quorum unus frigida requirit, alter uerò calidis contentatur, sicut uerbi gratia si hydrops cũ febre copuletur, febri frigidis, et humidis occurrimus, hydrops uerò illa despicit, sed calida, & sicca requirit, quare uidetur Hipp. dictum non esse uerum, q; semper contrariis sit occurrendum. Ad hoc dico, q; Hipp. discursus uerus est in morbis simplicibus, sed in copulatis animaduertẽdum

est

est ad unum, q. in ipsis non poßumus simul, & semel calefacere, & infrigidare, ideo Gal. nobis modũ tradidit, quid hoc in casu agere debeamus, & dicebat ipse, q. cũ duo morbi inuicem contrarii copulantur, quorũ unus frigida, alter calida requirat, perpendendum est, qualis nam habeat rationem causæ, & sit ueluti radix alterius morbi, ut si febris cum hydrope iuncta sit, cum febris magis uideatur rationẽ habere causæ respectu hydropis, quàm è contra, tunc incipiendum est ab ipsa febre, quia ex eius alleuiatione hydrops alleuabitur, & in hoc oportet habere iudicium illud unicuique à natura insitum, quod neque à me, neque ab alio edoceri potest, & tunc si aderunt duo morbi, considerandum erit, qualis nam dicatur esse maior, & magis formidandus, & qualis alterum foueat, cui quidem erit maxime attendendum. Hactenus scitis quid in contrariis morbis complicatis agendum, dicit ergo Hippocrates.

Victus humidus febricitãtibus omnibus conuenit.

quasi dicat, quoniam contrarii cibi contrariis morbis conueniunt, & hæc de prima parte Aphor. dicta sint. Reliquum modo est, ut eius uerba perpendamus. In primis cadit hic dubitatio, quomodo uictus humidus omnibus febricitantibus conueniat, cum Gal. primo De differentiis febrium, & tertio Epidemiarum oppositum prorsus asserat, definiens. n. febrem dicit, q. calor est essentia febris, neque in eius essentia ponit aliquomodo siccum, cum ergo febris eßentia sit calor male dixit Hippoc. uictu humido esse occurrendum, quia humiditas non contrariatur calido in extremo, sed frigidũ, &

ſic loco humidi debebat ponere frigidum, nam humiditas contrariatur ſiccitati, quæ in febris eſſentia non reperitur. Circa hoc notate mirum artificium Hippocra. nam cibi, qui in febribus adhibentur, uel ſunt frigidi tantum, uel humidi, uel ſicci, aut calidi tantum, aut calidi & ſicci, aut frigidi, & humidi, aut frigidi, & ſicci, aut calidi, & humidi, in febribus cibi calidi, & ſicci (ut ſupra dixi) non conueniunt, quia tunc augeretur febris, non frigidi, & ſicci, quia licet tarde inflammentur: tamen cum ſunt inflammati, magis tunc calefaciunt, neq; calidi, & humidi, quia cito putreſcunt, & cito inflammantur, cum ſint aereæ ſubſtantiæ, ergo reliquitur, q. conueniunt frigidi, & humidi, ſimiliter dicatis de qualitatibus ſimplicibus, cibus frigidus tantum non conuenit, quia, cum natura caloris ſit (ut ſuperius dixi) qualitas ad agendũ prõpta, ratione ſubiecti magis, uel minus acriter agit, ideo oportet, q. calor innatus cibum ſuperet, ut concoquat ipſum, ut autem ſuperet eũ oportet adhibere non frigida tantum, quia iſta magis ipſi reſiſterent, neque humida tantum alimenta, quia ſtatim inflammarentur, quare relinquitur, ut frigida, & humida inuicem copulata conueniant. Audiatis modo rationem, cur Hippoc. non poſuit illud frigidum, nam cũ humidum aereum, & ſubtile non conueniat, quia cito inflammatur, & uolens ipſe, q. ex humido aqueò calor refrigeretur, & cum in iſto humido frigiditas ipſa cõplectatur, breuitati ſtudens, per ly humidum, quod frigidum etiam explicauit, quandoquidem ſecundum eius ſententiam illud, quod calorem refrigerat, craſſum, &

aqueum, non aereum existit, non enim per aereum caloris refrigeratio fit, & ob id contempsit explanare nobis hoc, quoniam ex se satis erat manifestum. Hoc declarato restat unum aliud annotare, q; humidum duplex est actu, & potestate, humidum quidē actu est, quod terminatur termino alieno, quemadmodum definit Aristoteles quarto meteororum, & etiam secundo de generat. & corrup. siccum uero est illud, quod proprio termino clauditur, humidum in actu duplex est, quoddã est actu humidum, & potentia humidum, sicuti est aqua, & ptisana ordeacea, aliud est potentia humidum, actu uero siccum, sicuti lactuca, & portulaca, & ex his humidis illud humidum in febribus maxime conuenit, quod quidem actu, & potestate dicitur, humida uero potestate, & actu sicca, ut lactuca, non sunt ita bona, sed de hoc infra dicemus. Remanet aliud dubitãdum, quia dicit Hippocrates Febricitantib us omnibus: Contra dicet quis uidetur frigida, & humida non conuenire omnibus febribus, nam in febribus à pituita pendentibus ista non sunt bona, quia tantum frigidæ sunt, similiter in febribrus pestilentialibus humida admodum euitanda sunt, quoniam maxime lædunt, & propterea dicebat Auicenna in prima quarti capite De febre pestilentiali, et Galenus x. De simplicibus medicamentis, loquens de bolo armeno inquit, q; summa cura febrium pestilentialium dicitur esse exsiccatio, nō ergo uidetur uerũ Hippocratis dictum. Dico, (ut dicebat Galenus in 3.4.5.6. therapeutices,) q; aliquæ indicationes sumuntur à morbo, & tunc quecunque sit illa febris, indiget frigidis, et

humidis, si uero materiam consideramus facientē morbum, tunc aliæ sumuntur indicationes secundū q̄ materia mutatur. Febris igitur quotidiana dupliciter considerari potest, uno modo, ut febris est, & sic ratione febris semper conueniunt cibaria, frigida, & humida, & ita quoad hoc Aphoris. sempiternam habet ueritatem, quippe cū febris sit calor igneus, cui si uolumus occurrere, contrariis oportet uti auxiliis, si uero febris consideretur copulata cum eius causa, tunc indicatio coniuncta exoritur, quia causa febri prorsus cōtrariatur, quæ causa est frigida, & humida, quæ cum putrescit, eleuantur uapores ad cor, & ponunt ipsum in calefacto esse, et sic illā causant intemperiem calidā, et siccā, quæ febris dicitur, & sic indicatio erit coniuncta, & ubi ista coniunguntur, (sicuti 9.10. & 11. therapeutices dicebat Gal.) oportet uidere quæ nam magis urgent, nā quandoque febris ita urget, (loquor .n. nūc de febre prout dicit calorem igneum) ut causam contemnamus, accidunt .n. quādoque febres colliquatiuæ de genere illarum febrium, quas græci appellant καύσονας idest ardentes, ut remota intētione nostra ab ipsa causa penitus febribus istis attendamus, quæ, (ut dicebat Pollibus, siue Hipp. in 4. acutorum in principio) quandoque ex phlegmate salso generantur. Neque miremini, si ista in præsentia uobis explico, quia nunc uolo uos esse practicos, non theoricos, iuxta enim subiectam materiam talis debet eße sermo, quare parcant mihi iuniores isti. Vbi autem febres non sunt ardētes, sed causæ periculosiores adsunt, tunc relicta febre causæ occur-

currimus, sicut contingit in febribus ab ipsa pituita pendentibus, nullus .n. ferè percipitur calor, sed sunt quasi sepultæ, & causa dũtaxat urget, q̃uis ille humor crassus faciens febrem impedit operationes et reddit eas quasi sepultas, proiicit.n.appetitum, & facit ægros somnolentos, ideo neglecta febre, causæ occurrimus dã do calida, & sicca, nã Gal.xi.therap.et primo ad glauconem inquit, ꝙ aliquãdo causa ita urget, ꝙ exhibemus diarium pipereum, & ita si quandoque curamus febrẽ quotidianam cum calidis, et siccis, id facimus non habẽ do respectum ad febrẽ, sed ad causam, neque hoc tollit ueritatẽ Aphor. In febre autem pestilentiali ferè semꝑ utimur siccis, circa quod obsecro attẽdatis, quia nos fuimus, qui ex Gal. diximus essentiã, & causam huius febris pestiferæ. sit.n.febris pestilentialis ex nimia putredine, & non à qualitate mala occulta, quemadmodũ prius dicebant isti in collegiis, quos semper hunc in modum loquentes audiebatis, sed cum postea quærebatur ab illis, quæ nam esset ista qualitas occulta, nesciebant respondere, eamq; asignare, & sic eam febrem casu curabant, quia ipsius essentiam, et causam nesciebant, qui quidem si animaduertissent, quid nam dixerit Gal. secundo De prognosticatione ex pulsibus hoc non dixissent. Dico igitur, ꝙ febris pestilentialis est de genere febrium putridarum, et fit à maxima putredine, non à qualitate occulta, conuenit .n. ista febris cum putridis eo quia à putredine generatur, uerum hoc habet proprii (ut dicebat Gal. loco citato) ꝙ tanta est in ipsis putredo, ut non solum uapores eleuati ex tali putredine

ad-

admisceantur cũ humoribus bonis,(ut contingit in reliquis febribus putridis)sed etiam bonos humores putrescere faciant,qui uapores delati ad cor permiscẽtur cum sanguine existente in corde,& faciunt putrescere talem sanguinem,ita ut tota sanguinis maßa sit putrefacta,q; ualde differt ab illa putrefactione,quæ fit quãdo uapores tantum putridi cum humoribus bonis commiscentur,tales uerò humores non putrescunt,sicut cõtingit in putridis febribus.Iste igitur est suus caractterismus.s.maxima putredo in corde genita,ad quod animaduertens Auicenna,(qui quandoque loquitur sicuti quoddam oraculum obscure admodum,& dubie, ut non paruam legentibus afferat confusionem)dicit in capite De febribus pestilentialibus in prima quarti , q; cum talis putredo est confirmata, summa curatio in febribus istis pestilentialibus dicitur eße summa exiccatio, & hoc idem Galenus confirmans secundo illo De prognosticatione ex pulsibus dixit,q, in talibus febribus pestiferis non solum maßa sanguinis uaporibus putridis participat,sed etiam totus sanguis putrescit , qui tam in corpore,q̃ in corde reperitur,& tunc non est mirum,si homines affecti tali ægritudine statim concidãt & eorum uirtus statim debilitetur. In hac igitur febre quia putredo illa est,quæ facit nobis maximum negotium,quoniam hinc pendent leges,& prophetæ, derelicta febre,statim occurrimus causæ,quæ est putredo,nam si uellemus occurrere febri despecta putredinis cura,tunc cresceret in tantum illa putredo,ut homo statim periret,ideo ei cum exiccãtibus statim occurrimus

ob putredinem illã maximã, & propterea(ut dixi)clamabat uir ille Auicenna summam exiccationem esse ueram curam in talibus febribus, & hoc fuit dictum etiã Aristotelis quarto metheororum, q; exiccatio prohibet putredinem, & hoc est, quod legitur apud Hippocratẽ in epidemiis, q; in bello Pelopõnesiaco fuit tam ingens pestilentia, ut omnes homines perirent. Hippocrat. autem seruauit populum illum iubens ibi syluas omnes (quemadmodum Thucydides refert) cõburi, quæ erãt circa regionem Thessaliæ, unde ex tali igne simul cum aliis rebus odoratis seruatus est populus ille, ex quo Hippocrates fuit tanquàm numen diuinum cultus. Cũ igitur causa in hac febre pestilentiali magis urgeat, contempta febre accedimus ad ipsam causam cum frigidis, & siccis quia putredo fit ex calido, & humido, & sic in tali febre frigidis utimur, quæ caliditati opponuntur, siccis uerò, quæ humiditati aduersantur. Et hinc est, q; mulieres ab experientia edoctæ rationem nescientes, cum carnem ferè putrescibilem habent, ne putredo illa uigoretur, & carnem corrumpat, exponunt eam Boreæ, qui est uentus frigidus, & siccus. Quare uos imitantes hũc morẽ mulierum in talibus febribus utimini frigidis, & siccis, neq; credatis hanc febrẽ fieri à mala qualitate, ut uoluerunt medici isti, qui coacti postea nescientes essentiam morbi, neque causam exhibent frigida, & sicca, scilicet syrupum de acetositate citri, syrupum acetosum, & bolum armenum. Sed notate unum, ne cum uultis curare hanc febrẽ, sumatis illa frigida ualde adstingentia, sed debetis eligere illa, quæ nõ

ad-

adstringunt, & ita iam habetis totam ueritatem Aphorismi, quoad primam partem. Restat secunda pars exponenda, ubi incipit Maxime uero pueris, & aliis, qui tali uictu uti consueuerunt. circa quàm partem maxime aduertatis. Diximus, q. progressus morbi, idest constitutio morbi, & similiter uirtus, & ætates indicant quantum agendum, & quomodo, modo si morbus consideretur non quoad constitutionem, sed quoad suas qualitates, frigidus ne sit, an calidus, siccus ne, an humidus, & de aliis huiusmodi, similiter, an sit constipans, uel relaxans, ex hac consideratione cibi qualitatem eligere scietis, uidelicet qui nam sit cibus secundum qualitates suas bonus, & morbo conueniens, uerum non solum debemus hoc animaduertere, sed etiam illa tria à Galeno declarata nono Therapeutices, scilicet temperaturam, aerem, & morbum, ab his enim tribus sumuntur curatiuæ indicationes, quia aer quandoque curationem commutat, ut uerbi gratia si aliquis sit temperaturæ calidæ, & siccæ, aer uerò calidus, & humidus, aer talis cōmutat hunc. Similiter & tēperatura, quare circunstantiæ istæ ueniunt considerandæ, quarum nonnullæ sunt extrinsecæ, aliæ uerò intrinsecæ, intrinsecæ sunt temperatura, consuetudo, exercitium, proprietas indiuidualis, & huiusmodi multa, extrinsecæ uerò sunt, aer, regio, anni constitutio, & similia. Sed primo dicamus de intrinsecis, deinde uerò dicemus de extrinsecis, pro quo debetis scire, q. cum uolumus curare aliquem morbum aduenientem temperaturæ discrasiatæ, siue distemperatæ quæ calida, & sicca sit, semper debemus attende-

re

re morbo,& conseruare illam temperiem discrasiatã, quæcunque fuerit, aut bona, aut mala, neque conari eã ad æqualitatem redigere, & hoc clamabat millies Galenus in libris Therapeutices, do exemplum, sit exempli gratia quis temperaturæ calidæ, & siccæ secundum naturam, & febre laboret, certum est, q̃ illa temperies mala est, tamen non uolentes remouere febrem, non debemus redigere temperiem illam ad æqualitatem, sed conseruare, nam si eam amouere uoluerimus, tunc duæ subitæ mutationes fient, prima quidem mutatio illius temperaturæ calidæ, & siccæ ad æqualitatem, secunda uerò dum uolumus morbum remouere, quas quidem mutationes natura non poterit tolerare, sequetur etiam aliud, q̃ corpus tunc nutriri non poterit, quia si uis reducere illam temperiem calidam, & siccam ad temperamentum, utendum est frigidis, & humidis, quæ corpus non nutrient, quia unumquodq; à suo simili alitur, & si nutrient, peßimè id fiet. Quamobrem sequitur, q̃ debemus temperaturam conseruare naturalem, quantũ possumus, ipsiq; semper aliquid exhibere proficuum, nã licet habeamus morbum calidum, & siccum, tamen ratione temperaturæ calidæ, & siccæ deberemus uti cibis sibi similibus, quemadmodũ inferius dicemus. Considerandа est etiam consuetudo, nam si quis laboret morbo frigido, & humido, & consueuerit uti frigidis, & humidis rebus, debemus nos semper dare aliquid simile tali consuetudini. Similiter aduertenda est proprietas indiuidualis, sunt enim aliqui, qui ita habent aliquam proprietatem infixam, ut calidis, & siccis nullo modo

uti poßint, si horum aliquis laboret morbo frigido, et humido, debemus in hac ægritudine curanda respicere ipsam naturam indiuidualem semper ei aliquid simile tribuendo, et q; dixi de his idẽ intelligatis de reliquis intrinsecis, & ita quando possetis uno cibo occurrere morbo & satisfacere temperaturæ, tunc habebitis iter rectum ad faciendum quod intenditis, & q; dixi de itinere recto in temperatura idem dicatis de consuetudine, & proprietate indiuidualis, ut si aliquis adsit, qui ex natura habet hoc propriũ, ut si gustaret humida statim læderetur, si laboret morbo frigido, & humido, hic utendum est contrariis morbo, et habetis etiam iter rectum satisfaciendi naturæ indiuiduali illius, quia non estis coacti dare ratione morbi, quæ naturæ propriæ cõtrarientur. Redeamus modo ad dictũ Hip. qui dicit Maxime uero pueris, idest si pueri laborauerint febre, conuenit tunc uictus (ut dictum est) frigidus, & humidus, tali enim uictu occurrimus morbo, & simul conseruamus temperaturam illius pueri, quæ cum calida sit, et humida, illo humido contentatur, quia unumquodque simili delectatur, confert etiam, si consuetudo sit uti uictu humido, et quod diximus de hoc idem dicatis de suo contrario scilicet si iuuenis laborauerit morbo frigido, & humido, & eius temperatura calida, & sicca, tunc calidis & siccis occurremus morbo, & satisfaciemus temperaturæ. Hippo. autem de uno tantum affert exemplum, quoniam ex sententia Galeni in commento, iste est eius mos. Et sic iam expediuimus totũ Aphorismum, & diximus de itinere recto, quomodo ꝑ

ipsum

ipsum sit incidendum sed quid de itinere obliquo? quo modo in hoc erit agendum? nam puer etiam sciet nauigare, cum uentum habet in puppi, timonemq; facilè gubernare, et regere, sed cum uentus est cõtrarius, nesciet clauo se ab undis, & uentis tueri. Quid modo faciendũ est? si iuuenem habebitis calidæ, & siccæ temperaturæ, qui laboret febre ardenti, quomodo regetis hunc ægrũ? Nulli dubium est, q̃ contrariis debetis febrem amouere cum autem febris calida, & sicca sit, ideo frigidis et humidis uti debetis, rursus temperatura eius calida, et sicca est, quæ (ut dixi supra) uenit conseruãda, conseruatio autem fit per similia, ergo calidis, & siccis pro conseruatione temperaturæ utemini, attamen cum his morbo noxam inferetis, qui calidus, & siccus est sic nescietis, quorsum urgendnm sit, quid ergo agendum erit in tali casu? quæ uictus ratio erit instruenda? Ad hoc male possumus respondere, quia cogimur prius examinare unam quæstionem huic proposito maxime deseruientem, tamen pro nunc dicatis (clarius enim inferius audietis) q̃ in corpore cholerico debemus dare frigida, et humida ratione febris, ut febris, est nulla habita consideratione ad suam causam. O quomodo conseruabo hominis temperaturam? Dico (ut à me superius dictum est,) q̃ cum humida quædam sint actu, et potestate quædam uerò actu sicca, & potentia humida, debemus dare humida, quæ actu sicca sint, potentia uerò humida, & ita satisfaciemus utrique, febri quidẽ cum humiditate illa in potentia, temperaturæ uerò calidæ, & siccæ cum illa siccitate in actu, & hunc in modum pro nunc

t hoc

hoc habeatis,& quod dixi de isto casu idem dicatis facile de temparaturis contrariis,& de consuetudine,& proprietate indiuiduali,nam si sit quis, qui delectetur siccis,ut abhorreat mirum immodum humida,& febre ardenti laboret,debetis dare humida in potentia, quæ actu sint sicca,nam in talibus semper aliquid sicci, & terrei reperitur,quibus poteritis illi naturæ opitulari,sicut est in raphano,in quo sunt aliquæ partes subtiles,& tenues urinam prouocantes,& aliquæ craßæ,et terreæ,pariter in coriandro,& in braßica, & sic poteritis complicare hæc cũ aliis casibus,obseruando semper istas circunstantias intrinsecas,de quibus diximus. Ad sunt modo circunstantiæ extrinsecæ,quæ sunt obseruandæ,nam si sit aer,qui morbo similis sit, ita ut morbus sit calidus,& siccus,& sit talis morbus in temperatura calida,& sicca,tunc ratione morbi debemus uergere aerem ad contrariam qualitatem,ratione autem temperaturæ non,quia temperatura calida,& sicca cõseruatur ab aere calido,& sicco sibi simili,quomodo ergo conseruabimus temperaturã illius,ut iubet Gal. Hic stat ingẽtissima dubitatio,si enim uerbi gratia sit quis laborans morbo frigido,& humido, & temperaturæ frigidæ,& tempore hyemis,nemo est,qui non in hoc casu applicet calida,& sicca cõuenientia ratione morbi, alterando etiã ad calidum,& siccum,sed quomodo conseruabimus temperaturam,& similia? quomodo poterimus aßequi dogma Galeni,& sequi eius principia? Galenus enim tertio artis paruæ, & sexto De tuenda sanitate capite tertio, & octauo methodi capite ultimo,

mo, Auicenna quoq; tertia primi doct. quarta cap. primo, & quarta primi cap. primo, similiter, & Hippocr. asserunt, quod semper conseruanda est temperatura, & quod ista conseruatio fit per similia, quod si uolumus obseruare eorum principia, ægrum utiq; interficiemus. Fuerunt ne isti adeo rudes, ut nõ cognoscerent hoc esse falsum? præterea homines cholericos uidemus semper rectius se habere in hyeme, quã in æstate, in æstate enim percipiunt ingentissimos calores, & non possunt uiuere, similiter phlegmatici melius degunt in æstate, quã in hyeme, & propterea Auerroes in libro colliget millies deridebat Galenum, & alios, & dicebat, quod libenter intelligeret, quomodo isti protulerint hoc dictum, nam cũ fuerint magni uiri, non nisi aliquo cum magno arcano ita dixere. Conciliator in differentia 114. & 116. (si bene recolo) facit quædam annotãda de hac similitudine, & inquit, quod corpus æquales debet ista similitudine regi, inæquale autem minime. Hoc uidetur clarum, neq; habet difficultatem de corpore æquali, & temperato, sed de inæquali, & discrasiato est maxima illa difficultas, quam prætermisit Conciliator in illa quæstione, & adhuc non audiui firmam solutionem, sed tantum quædam, quæ ab istis sparsim circunferuntur ad rẽ minime conferentia, Ideo circa hoc dicam meam sententiam, quam ab Auerroe tertio colliget accepi, ubi ipse obscura quædã ponit, quæ possunt soluere dictas instantias, & ut omnia clara habeatis, nonnulla prius sunt annotanda. In primis, quod quando dicimus, simile conseruari à simili, istud simile duplex est, quoddã in actu, quod

dam uerò in potentia, ſimile quidem in actu eſt, quotieſ cunque ſumitur illud, ut actu, & non potentia tale eſt, uerbi gratia, eſt calor innatus exiſtens in corpore humano, uolo aſſumere eius ſimile in actu, tunc aſſumam uerbi gratia aquã, quæ ſit actu calida, aut aerem actu calidũ, hic reperitur ſimilitudo ratione qualitatis, quoniam de hac loquimur, alio modo intelligitur iſta ſimilitudo in potentia, ut calamentum exiſtens calidum in tertio, habet ſimilitudinẽ cum corpore calido in tertio gradu, & iſta ſimilitudo eſt in potentia, quia calamentum in potẽtia dicitur eſſe calidum in tertio, licet ſi cõſideretur, prout eſt actu tale, diſsimile eſſe dicatur, quoniam habet frigiditatem, ſimiliter dicendum eſt de pipere, qui in actu eſt frigidum, cum uero actuatur à calore naturali eſt calidum, & ſimile, & quemadmodum dixi de medicinis, idem dicatis de cibo, nam cibus dicitur ſimile dupliciter actu, ſcilicet & poteſtate, habet quidẽ ſimilitudinem cum corpore noſtro actualem, quãdo eſt ita redactum à calore, ut ſtatim actu nutrire poſsit, in potentia uero eſt quãdo non actu poteſt nutrire, ſed eſt in potentia, ut conficiatur, & nutriat, ſicut eſt de pane, panis enim dicitur cibus in potentia, quoniã concoctus poteſt effici cibus, & actu nutrire. Hoc habito, & ſuppoſito ſupponatur etiam, ꝙ ſupra diximus, ꝙ quanto caliditas fundatur in humido, tanto mitior exiſtit, & quanto in ſiccior i ſubiecto, tanto acrior efficitur, ſupponatis adhuc unum aliud ꝙ unumquodq; agẽs agit ſecundum propriam uirtutem, hoc enim notiſsimum eſt, quia agens non ſe extẽdit ultra gradus propriæ uirtu

tis

tis,ut si est aliquod calidum,ut quatuor, ita agit tantũ quantum se extendit talis gradus in tali caliditate fundatus.Supponatis,& quartum,q aliqua medicina dicitur potentia calida(ut dicit Gal.tertio de temperamentis,& quarto de simplicibus medicamentis)quæ ubi calori innato applicatur,statim potest reduci ad actũ, et corpus totum calefacere,pariter aliqua dicuntur frigida,quia actuata à calore naturali agunt in eum obtundendo,ita ut reddatur calor innatus imbecillis,ad hoc, ut poßit talem medicinam immutare,ut lactuca,q si calor naturalis poterit aliquod facile immutare in sui substantiam,tunc non dicetur frigidum, sed potius calidum,& propterea dicebat Gal.q talia medicamẽta dicuntur frigida esse quandiu calor naturalis non immutauerit,& superauerit ipsa,ut est de opio,opium enim respectu corporis humani dicitur esse uenenum,quia calor naturalis non potest illud uincere,q si redigeretur ad actum,non essent uenenum,at nutrimẽtum ut in turdis cicuta est,quia à calore ipsorum uincitur, & superatur,uobis uerò uenenum,& hoc est,q dicebat Auicẽna in 6.primi cap.primo De muliere illa,quæ comedebat cicutam,& ab ipsa nutriebatur, & hoc non ob aliud,nisi,quia calor ipsius immutabat cicutam & tunc respectu illius mulieris cicuta non erat frigida,sed respectu alterius caloris non potentis ipsam uincere, & sic habetis,quare dicatur medicina frigida in potẽtia, quæ ideo dicitur,quia à calore non potest immutari,neque superari,& quousque non superatur semper dicetur frigida,cum uerò fuerit superata,tunc non amplius

dicetur frigida sed calida, et nutriet calorem ipsum naturalem. His suppositis dico respondendo ad quæstionem, q; simile conseruatur à simili, nam illa medicina, quæ ponitur frigida in potentia donec intra corpus assumpta non superetur à calore naturali, et fiat similis illi destruet calorem naturalem, non autem conseruabit, quando uerò superata est à calore naturali tũc efficitur illi similis, & tunc calor naturalis ab ea medicina nutritur, & illa redditur calida quemadmodũ, et naturalis est calor, et sic sequitur, q; à primo ad ultimũ simile conseruatur à simili, quod expresse patet ex supposito illo in quo dicebatur, q; tandiu medicina dicitur frigida, quandiu non superatur à calore naturali cum uerò superata est, non amplius frigida dicitur, sed calida, & similis calori, ergo simile cõseruatur à simili in eodem gradu quia ponatur calamentum calidũ in tertio, in potentia, q; nõ reducatur talis calor in eodẽ præcise gradu, in quo est uidelicet in tertio à calore naturali debili (quod patet ex tertio supposito quando dicebamus, q; agens agit secundũ proprios uirtutis gradus et tandiu agit, quandiu suus gradus se extendit) modo gradus medicinæ se extendit usque ad tertium in potẽtia. gradus uerò caloris naturalis debilis se extẽdit usque, exempli gratia ad secundum, ergo calor naturalis nõ poterit reducere illud calidum calamentum ad illũ tertium gradum, et illud superare, q; si erit calor naturalis præcise calidum iu tertio, ut calamentum, tũc cũ medicamentum superatur à calore naturali, efficitur ipsi cibus, & cõseruabit, ergo sequitur, q; simile in gra

du

du conseruabit, & calor existens in tertio gradu conseruabitur ab ipso medicamento redacto ad calidum in tertio, ut si tale medicamentum detur corpori cholerico, tunc quia agens tam diu agit, quàm diu sua uirtus propria durat, inflammabit ipsum calorem magis quã faciebat calor ille in secũdo, & sic reducit ipsum ad maiorem caliditatis gradũ, ita ut efficiatur simile in gradu isti corpori cholerico, & sic habetis, quomodo simile in gradu nutriatur à simili, Idem dicatis de lactuca, nam ipsa licet respectu corporis temperati dicatur esse frigida, & à tali calore non possit superari, nisi per multum temporis spacium, tamen si detur corpori cholerico calido in quarto, respectu ipsius lactuca dicetur calida, quia statim primo occursu calor naturalis cholerici sibi eam actuando assimilabit, & reddetur tali calori cibus temperatissimus, quod non contingebat corpori temperato, illud enim non poterat ipsam uincere, & assimilare, quinimmo potius retundebatur eius calor, q̃ conseruabatur, & hoc est, quia lactuca, q̃ diu non uincitur à calore, tam diu dicitur frigida, q, si talis calor ipsam posset superare, tunc (ut dicit Galenus) ex ipsa sanguis admodum laudabile generabitur, & quemadmodum diximus de cibo, ita dicatur de medicina, nam piper, prout in potentia dicitur calidum, non conseruabit calorem, sed quando erit factum simile in actu scilicet à calore naturali actuatum. Et hæc de his, quæ agunt non primo occursu, & per contactum, sed quæ nõ sunt redacta ad actum à caldre, dicta sint. Dicamus modo de alia similitudine, quæ dicitur esse, quãdo

ſunt actu aliqua talia, uerbi gratia eſt corpus choleri cum, quod uerſatur in aere calido, iſte aer dicitur eſſe ei ſimilis in actu non in potentia, quia ſtatim primo oc curſu aer ille immutat, & calefacit, & non fit ulla mo ra, ſicut in medicina in potẽtia ſimili. Quæritur modo de iſto ſimili in actu, ut aere, nunquid calore exiſtente calido in quarto, & aere calido in quarto, calor conſer uetur à tali aere, & uidetur, ꝙ non, quoniam experien tia hoc docet, ꝙ ſi ſit aliquis, qui calidæ ſit temperatu ræ, & ponatur in aere calido, tunc potius lædetur, q̃ cõ ſeruabitur. Ad hoc non reſpondeo, quemadmodum Gale nus in tertio De ſimplicibus medicamentis, ꝙ hunc in modum fit conſeruatio, (& docet nos hoc experiri) ſi ponatur corpus calidum, ùt duo in aqua calida, ut duo, tunc tale corpus nullam percipiet caliditatẽ, immò con ſeruabitur in tali aqua Quando quidem dicetis uos, ꝙ uidetis oppoſitum ex experientia, ꝙ ſcilicet corpus ca lidum, ut duo poſitum in aere calido, ut duo, potius lædi tur, q̃ conſeruatur. Sed dico, ꝙ uerum eſt, quod tale cor pus læditur, ſed non ratione aeris, neque enim dete rius ſe habent talia corpora ratione aeris calidi, ut duo ſed quia aer de foris ueniens, cum primo occurſu ape rit poros quibus apertis, tunc reſoluuntur ſpiritus, quo fit, ut calor ille magis debilitetur, & diſcraſietur, ſed hoc eſt per accidens, & non per ſe, per ſe enim aer ille ſimilis in gradu conſeruat calorẽ illum, ſed per accidẽs ratione apertionis pororum dicitur lædere. Et hinc eſt ꝙ in hyeme melius ſe habet homines ob conſtrictionem, quia tunc in tali corpore non fit illa apertio poro-

rum,

rum,ob quam ſpiritus non reſoluuntur,ſed hoc per accidens contingit,per ſe uerò ratione ſui, quia frigidus eſt,& calori contrarius aer, in hyeme corporibus nocet. Aut dico,ꝙ ſi aer conſeruetur in eodem gradu, tūc conſeruabit tale corpus,quia autem non poteſt conſeruari propter motus continuos,ideo non poteſt etiam tale corpus conſeruare,nam ſi ille aer manebit calidus,ut duo,corpus calidum ut duo conſeruabitur in tali aere, ſed cum non poßit diu idem permanere,ſed ſemper uarietur,ideo corpus iſtud lædit,& tunc iſta læſio non fit à ſimili in gradu,ſed à ſimili in gradu inæquali . Iſta ſunt,quæ erant dicenda in hac quæſtione,quam rogo, ut habeatis,quia res eſt multi momenti.

X V I I.



T quibus ſemel,aut bis,& quibus plura,uel pauciora particulatim oporteat afferre,conſiderandum. Condonandum autem aliquid tempori ætati & conſuetudini.

HActenus fruſtra uidebatur ab Hipp. poſitam eſſe regulam illam inueniendi quantitatē,& qualitatem cibi,quæ duo ſumebantur , qualitas quidem à morbo,quantitas autem à uirtute,paroxiſmo,& conſtitutione morbi , niſi etiam docuiſſet quot uicibus cibus ſit exhibendus,an ſemel in die, aut bis , & nunquid ſit plurimum,aut parum cibi exhibendum,non enim ſuffi-

cit ſcire, an ſit exhibendum bis, aut ſemel nutrimentum ſed oportet ſcire, at multum pro uice, aut parum, nam multi ſunt homines, quibus conuenit dare cibũ bis, ter, & quandoque quater, & bis, aut parum pro uice, aut multum Hippoc. igitur perſpiciẽs nondum exactam cibi exhibendi cognitionem docuiſſe, tum ſecundum quãtitatem, tum etiam qualitatem illum qui operari uoluerit, ſubiunxit hoc ſpeciatim, nã ſi hæc non habuerimus, neſciemus recte circa particularia diſcurrere, & uerſari, & hoc eſt, quod tradit in hoc Aphoriſmo, ultimam ſcilicet formam rei, unde ſumamus indicationes, utrum ſemel, aut bis ſit dandus cibus, & ſi ſemel, an parũ, aut multum, iſta enim non ſumuntur à progreſſu morbi, et paroxiſmo, ſicut quantitas, & qualitas ſumebatur, ſed ab ipſis humoribas, & cauſis morbum efficientibus, nã poſſumus indicatione ſumpta à conſtitutione morbi, quandoque multum dare, ſed ſumpta indicatione à cauſa faciente morbum, damus quandoque parum, & ſæpe, quandoq; multum, & ſæpe, & ſic de reliquis, & hoc ualde refert determinate cognoſcere, & ob id Hippoc. copulans Aphoriſmum cum præcedentibus intendit illud, quod diximus in præſenti Aphoriſmo per agere, qui in duas partes diuiditur, in prima parte abſolute agit, in quibus conuenit ſemel, aut bis cibum capere, in ſecunda magis particulatim idem explicat, & ita habemus Aphoriſmi continuationem, intentionem, & rationem intentionis. Quo ad primam partem (ſi bene notetis) Hippo. ponit prius quid agendum ſit, ꝙ doceat, docere enim eſt, cum rei cauſam apponimus, quinimmo

nec

nec uere eius rationem, protulit, quod est contra ipsius consuetudinem, & maxima dignum animaduersione. Circa quod debetis scire (quemadmodum in superioribus ex sententia Galeni diximus) Hippoc. hoc habuisse proprium, ut quod uidetur notũ, illud absque causa ponat, & de eo tantum admoneat, non enim docet id quod ex principiis suis notum esse uidetur, nã qui in illis optime instructi sunt ex eius admonitione quadam, de eo quod agendum sit, causam inueniunt. Sed quæ sunt ista principia? Dico esse ea, quæ nos diximus in exordiis nostrarum lectionum istud præuidentes, cũ totius Hippoc. doctrinæ caracterisum proposuimus, ex quo fundamenta eorum, quæ ab ipso dicta sunt, elicere poßetis. Vnde si memoria tenetis, ea quæ diximus, et præcipue circa curatiuam partẽ, scietis elicere indicationes, quibus semel, aut bis cibus sit dãdus. Dicebamus nanque ꝙ omnis cura à natura morbi indicatur, & quemadmodum, cum natura morbi plures habeat differentias, facit etiam plures differentes indicationes, morbum enim unam tantum confusam indicationem efficit, ꝙ scilicet tollendus sit, quod & Asini nouere (ut tertio methodi dicebat Gal.) qui cum immodice exudarunt ob motum aliquem, aut laborem deccurrunt ad alueos fluuiorum, in quibus se extendentes refrigerantur. Circa hæc igitur principia nemo potest errare quoniam clara sunt, et ideo dicebat philosophus in metaphysicis, In foribus quis errabit (Contingit tamen quandoque (neque hoc negauerim) errorem committi in principiis, cum non bene cognita sunt. Quamobrem cũ indicationes à mor

bi

bi natura ſumantur, docet Hippocrates conſideranda eſſe principia ſuperius tradita, dixit enim Hippocr. ſupra, q, neceßitas alimenti ſumitur à tolerantia uirtutis, q̃ contemplantes, ſcimus quantitatem, uel qualitatē, & uices cibi exhibendi, ſimiliter etiam ſi conſiderabimus naturam morbi eadem ſciemus. Cū igitur hæc principia antea fuerint explicata, non erat dignum Hippo. iſtud repetere, quare Gal. introducens hanc partem docet, q, cum Hipp. ſupra tractauerit de quantitate, & qualitate alimenti, nunc modo intendit de uicibus agere, & has (inquit Gal.) ſciemus, poſtquā naturam morbi, & uirtutis tolerātiam cognouerimus, hæc enim duo principia docēt, quoties cibū dare debeamus, ſed prius morbum nouiſſe par eſt, ille enim dirigit medicum ad operationes obeundas circa illa tria inſtrumenta, cibū, pharmaciam, & operationem manualem. Et quia ſumus nunc in parte illa de cibo, ideo nunc partem illam conſideremus, morbus enim docet medicum, quomodo cibum adminiſtrare debeat, ſed quia morbus eſt in ſubiecto & indiuiduo, quod habet illas circūſtantias (de quibus ſupra dixi) ſtatu, conſuetudinem, temperaturā, proprietatem indiuidualem, aerem, & reliqua, quæ ad curationem ueniūt, propterea conſiderāda ſunt, ut rectius morbus expelli poßit, et ſanitas introduci, & præcipue aduertenda eſt uictus ratio, quam oēs iſtæ circunſtantiæ demonſtrāt, & ita diſcemus omnia in ſua principia reſoluendo hunc in modum. In quolibet ſubiecto eſt alimenti indigentia & defectus, uel eiuſdem exuperātia, iſta eſt prima diuiſio, quæ magis generi inhæret. Accipia-

piamus primũ membrũ quando in corpore fuerit indigentia alimenti & defectus, et id ulterius diuidamus. Ista indigentia aut est in corpore, quod morbũ non patiatur, aut in corpore, quod morbo laborat. Si ista indigẽtia erit in corpore absoluto sine aliquo morbo, et re aliqua præter naturã, sed tãtum illa indigentia sit, quæ fames appellatur, de qua loquitur Hip. 2. Aph. 16 tũc uirtus non erit ualida (dicat quicquid uelit Gal.) quia uirtus fundatur in spiritibus & bonis humoribus, & hic resoluti sunt spiritus quibus resolutis uirtus debilitata est, et propterea ibi dicebat Hip. Vbi fames, labo borandum non est quia semper uirtus debilis est, & tũc etiam refectiones periculosæ sunt iuxta illum secũdum Aph. à nobis expositum, uirtus. n. propter sui imbecillitatem à nimia cibi copia opprimitur, & ideo dicebat Hipp. in 1. prognosticorum, ꝙ debemus contẽplari faciem illam ab ipso descriptam, & uidere, nunquid uirtus stet, quoniam cum est debilitata, facile opprimitur, Ideo in 1. De ratione uictus in morbis acutis præcipiebat ipse ꝙ non multum cibi esset dandum, nã ratione corporis multo cibo, ratione aũt uirtutis, non multo cibo statim indigemus, quia ipsa opprimeretur, & suffocaretur. Quid hoc in casu agẽdum est? Dico, ꝙ debetis dare parũ, & sepæ atq; pluribus uicibus parũ quidẽ ne suffocetur uirtus, sæpe uerò, ut corpus reficiatur et ita habetis quid dicendũ sit ubi indigentia fuerit in corpore sano non affecto aliqua re præter naturã. Sumamus aliud mẽbrũ, ubi indigentia aderit copori affecto aliqua re præter naturã: hic ratione indigentiæ ha

bemus

bemus uirtutem resolutam, ratione autem rei præter naturalis similiter uirtus resoluitur, cum igitur à duobus uirtus sit debilitata, ideo maior indiget restauratione, nam si uerũ est (quod supra diximus) q̃ ubi adest mala dispositio ibi mala tẽperatura, ubi uero mala tẽperatura, ibi mala operatio, & debilitas uirtutis, tum ratione huius tum etiam ratione indigentiæ alimenti, ex quibus indicatio sumitur ut uirtus reficiatur, debemus tribus uicibus, quatuor, aut quinquies in hora dare cibum, quoniam hic multo egemus alimẽto, quod unica uice non possumus exhibere. Quam rem cognoscẽtes Empirici quotidiana experiẽtia, cum habẽt corpus aliquo modo affectum, in quo sit cibi indigentia, dando pluribus uicibus cibum, nesciẽtes tamẽ huius causam & rationem. Ideo habent tantum unum crus, quia ambulant duntaxat cum experientia, & causam contemnunt. Expedito primo mẽbro primæ diuisionis, remanet secundum explicandũ, ubi scilicet fuerit cibi super abundantia, quod membrũ adhuc subdiuiditur, quoniam aut ista superabundantia est bonorum humorum, aut malorum si bonorum humorum erit excessus, tum erit in corpore plethorico, et plethoria talis appellabitur, non oportet nos huius membri ulteriorem facere diuisionem, quia uirtus in tali casu fortis est, & tunc tale corpus possumus dimittere sine cibo per diem integrũ maxime si uirtus fuerit ita suffocata ut propè extinguatur, si enim daremus cibum, tunc ipsam penitus extingueremus, quemadmodum contingit lucernæ oppressæ à nimia olei quantitate, & ita poterimus tolle-

re

re alimentum,quoniam uirtus non opprimetur, nec extinguetur,cum habeat alimentum in uenis, nam(ut diximus supra ex Gal.in secundo De temperamentis) si corpus habet in uenis plurimum sanguinis, tunc facile ieiunium tolerat,& uirtus non debilitabitur, cum habeat thesaurum in uenis.sicuti est in casu proposito,et tunc damus cibum huic rarò,& parum,non sæpe & parum,& quandoque semel tantum in die, uel semel alternis diebus. Quòd si ista superabundantia fuerit humorum malorum,tunc tale corpus indiget dieta tenui uirtutem expurgante,dicebamus enim supra alimentũ tripliciter considerari,aut ut expurgat & expiat uirtutem,aut ut ipsam reficit,aut ut conseruat,hic cum sit repletio quo ad uires,si uolumus uirtutem expiare, debemus uti tenui,non autem abundanti alimento,quoniã talia corpora cacochimia referta sunt, dicebat nanque Hippocrat. Corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædes. Ideo non sunt cibanda, quicquid dicat Galen.in hoc commento. Et quia hic excessus malorum humorum multiplex esse potest, aut scilicet crudorum, aut adustorum malorum humorum, ideo debetis eum distinguere, ac distinctum considerare. Si fuerint humores crudi superbundantes, hoc dupliciter continget,aut enim poterunt concoqui,aut non. Si primo modo,tales humores erunt dulces,ut in animalibus degentibus in cauernis,& tunc talia corpora habentia hos humores malos crudos dulces egent alimento exiguo,& pauco quemadmodum plethorici,quoniam habent similiter thesaurum in uenis,ideo dicebat Galenus

in quarto De tuenda *ſanitate, ꝙ ubi humores crudi in corpore fuerint, tale corpus non uenit alendum, & intelligebat de illis dulcibus, qui concoqui poßunt. Quòd ſi humores illi crudi fuerint, ita ut calorem extinguãt: & non poßint nutrire corpora, tunc ex quo talia corpora non habent alimentum, propterea nos alimus ſæpe, & parum, nam (ut dicebamus ſupra ex ſententia Galeni) quando interpretabamur uerba illa:* Senes facillime ferunt ieiunium. *ſenes in ultima ætate constituti indigent refocillatione dando ipſis cibi parum, & ſæpe, parum, quia ſi multum datur, uirtus ſuffocaretur, & calor eius, cum debilis ſit, ſæpe, quia ſi dabimus parum & raro, reſoluetur eorum calor, cum non habeant theſaurum intrinſecum, ſed tantum illam pituitã acidam, & crudam omnino ineptam concoctioni.* Videamus *modo ſecundum membrum, ubi fuerint adusti humores à calore igneo. Iſta adustio duplex eſſe poteſt, uel in materia ſubtili, ut in ſeroſitate ſanguinis, uel in parte ſubtili chyli, ex tali.n. adustione multiplicatur humor, qui bilis appellatur. Quid agendum tunc? nam in praxi ut plurimum inuenietis homines bilioſos, qui uenas habent bile refertas.* Debetis *ne cibare iſtos ſæpe & parum. an raro?* Dico, *ꝙ cum occurritis hiſce bilioſis, tunc debetis dare ſæpe, & parum. Sed quare ſæpe? quia hic eſt indigentia bonorum humorum, & malorũ abundantia, ex quibus illud corpus nõ nutritur. Sæpe autem quia cum habent illum calorem igneum, & à natura ſua recedentem, maxime reſoluuntur, ob quod calor innatus debilis redditur, indigent etiam ſæpe, quoniam*

niam isti facillime cadunt in syncopen, ut dicebat Gal. 2. De differentiis febrium & Auicenna in prima quarti cap. de febribus syncopalibus, bilis enim cum subtilis sit, mouetur de loco ad locum, & facit syncopen, fiunt nam omnes motus oppositi, si quidem uẽtriculus attrahitur à uenis meseraicis excrementum, nam ut dicebat Galenus. 2. De facultatibus naturalibus, membrum uicinum quando cogitur dare aliquod nutrimentum alteri mẽbro uicino, non dat, nisi quod ipsi superfluum est, similiter mesaraicæ uenæ attrahentes ab hepate, nõ recipiunt nisi excrementum, hepar attrahens similiter excrementum à uenis recipit, pariter uenæ attrahentes à membris suscipiunt excrementa, & ita uidetis, quomodo fiant motus diuersi & contrarii, qui fieri solent in fame naturali. Cum igitur ad uentriculum attrahentem non trãsmittatur nisi malus humor, ideo ex tali humore malo attracto cor agitatur, & fit syncope, & hoc est, quod dicebat Auic. 13. primi, Qui tolerat famem, stomachum replet malis humoribus, & ipse tantum proposuit hoc, non autem declarauit, sicut sui moris est. Scitis autẽ uos nunc causam, quam dixi, quia in fame fiunt motus oppositi. Cum igitur isti biliosi facile cadant in syncopen, ideo non possunt perpeti famem, quare dandum est sæpe & parum, & hoc est, quod dicit Galenus in 12. methodi, ubi loquitur de his, qui syncopen patiũtur in febribus (& inquit) q̃, cogimur quandoque cibare istos in principio paroxismi, & idem repetit Auicẽna in prima quarti. Et sic propter tres causas his hominibus colericis, qui habent adustam partem illam san-

guinis subtilem, damus alimentum sæpe tum ratione indigentiæ bonorum humorum, tum ratione caloris ignei resoluentis, tum etiam ratione syncopis, quæ ipsos tempore famis molestat. Sed quare damus parum? quia uirtus est debilis, & hoc indicat debilitas caloris innati, quia calor innatus est, siue uirtus, ut uoluit Hippoc. siue instrumentum proximum ipsius, quod hoc loco discutere non intendimus; ex quorum imbecillitate omnes ẽt operationes debilitantur. Quòd autem in his calor sit debilis patet, quia (ut supra dixi) calor stat in ipso humido, & quãto recedit à subiecto humido, tanto amittit de nomine caloris innati, cum autem in corpore isto colerico sit calor mordax, et acris, ideo magis recedit à natura caloris innati, & magis efficitur debilis uirtus cũ ipso utatur tanquam instrumento. Stante igitur uirtute debili, si multum damus ipsam opprimimus, & suffocamus, & ita hoc ex natura rei relinquitur clarißimũ, q; scilicet sit parum dandum, quare semper exerceamini in ea, quia tunc eritis domini artis et arcanorũ naturæ, et non credetis Galeno aliquid dicenti quia Galen. est, sed quia hoc rei natura exigit. Quòd si fiat adustio in huumoribus terrestribus, cum iste humor sit alterius naturæ ab humore adusto subtili, inuenietis enim corpora complura melãcolica, quibus oportet, ut instituatur alimentũ. Quid erit agẽdum à nobis? Dabitis ne rarò, an multum, an sæpe, an parum? Dico, q; debetis uti alimento parum & sæpe, sicut in colericis, cum in his non adsint humores boni, quibus nutriri poßint, præterea cũ sint exsiccati, indigent humectatione, alioqui cor-

corpus resolueretur, et propterea datis sæpe et parum quia uirtus est debilior, quàm in colericis, cuius ratio est in promptu, quia qualitates existentes in his hominibus melancolicis ambæ opponuntur calori innato, habent enim siccitatem, in qua non conseruatur calor, sed in humido, et frigiditatem, quæ caloris est destructiua. In colericis autem ambæ istæ qualitates non sunt oppositæ, sed una tantū scilicet, siccitas, & ideo respectu melancolici colericus fortior existit. Differentia autē est in administrando cibum colerico, et melancolico ratione qualitatis, licet conueniant in hoc q utriq; cibū exhibemus parū et sæpe quoniam qualitas cibi est in melancolicis calida, et humida, ut illi humori terrestri opponatur, in colericis uerò frigda, & humida. Et sic habetis indicationes omnes, unde sumūtur uices exhibendi cibum, feci autem discursum, quoniam sine ipso non poteram manifeste declarare Aphorismū. Percurramus modo Galeni commentum, quoniam in ipso multa sunt, tum superflua, tum errata. Videatis primo, quo modo introducit, Aphorismum Quoniam de quantitate & qualitate &c. recte introducit, deinde dicit: Necessarium est considerare, & ad hæc ipsa &c. dimittatur hæc pars, quoniam est expositio secundæ partis Aphorismi. Sequitur Nam & ad hæc primæ erant intentiones, & morbi ipsi, & uires ægrotantis. hic ponitur illud Vires sciebat enim Galenus, quòd indicatio sumitur à substantia corporis affecti, & quòd humorum naturæ trahunt secum uirtutem, siue uires, nam (ut dixi) secundū q humores sunt

crassi: aut adusti, aut crudi aut colerici, aut melancholici, ita nos damus plus cibi aut minus, sufficit enim scire naturã humoris (ut dixi) quia habito hoc, scimus uires ægrotantis ideo superfluit, cum dixit. Nam si sæpius aut raro &c. postea subiungit sic Si enim uires laborantis debiles fuerint &c. Hic cõfuse procedit Galenus quia non distinguit, quales humores sint corrupti, ideo implicauit duas diuisiones simul, ut apparet ex nostra distinctione superius facta, cum diximus corruptorum humorum quidam sunt acidi, quidam adusti, & ideo non dico, quod non dicat uerum, sed confuse docet, & subiungit Corruptio uero contemperamentum ἐπίκρασις dicitur apud græcos contemperatio humorum, nam augemus ipsam uirtutem, quando retundimus ipsos humores, ut puta si humores fuerint calidi, & acres cum frigidis cõtemperamus ipsos & talis contemperatio dicitur κρᾶσις, quemadmodum & qui uinum diluunt, crasim eos facere dicunt, & ista contemperatione indigemus in dysenteria, cum frigidis enim & humidis humores acres retundimus, & ideo Galenus hic intellexit de bili subtili. Videatis quã obscure loquatur, ipse enim est commentator tamen indiget alio commentatore. Et ubi Galenus non satisfacit, non credatis ipsum nescire, sed hoc est quia multa scripsit, quæ tamen non reuidit, & sic dicebat ille. In multiloquio stultitia deprehenditur, & quando scripsit hoc fortasse aliud cogitabat, quia dicit multa, quæ contradicunt dictis ab ipso alibi, & quod sit uerum subiũgit. Si uero cum uirium debilitate &c. hic dicit

dicit eſſe poſſe in corpore humores bonos,& tamen uirtus exiſtat debilis,hoc autem repugnat his, quæ dixit libro De phlobotomia,& 8.methodi,nam ibi expreſſe dicit oppoſitum ly Modice dicit contextus græcus συμμετρίᾳ ideſt temperantia,& ideo deberet uerti Moderate ſubdit His raro,& pauca afferemus Hoc, quod ſequitur eſt uerum,ſed ſuppoſitum eſt falſum & ſubiungit. Si uero cum humorum defectu uel corruptione &c.hoc eſt falſum,quia in 12.methodi dicit, q. ubi humores iſti ſunt mali,& ſubtiles, tunc uirtus debilis exiſtit,ideo expreſſa eſt contradictio,& ſubdit: Si uero acceſſiones &c.hoc ſuperuacaneum eſt, quia indicatio ſumpta à paroxiſmo diuerſa eſt ab indicatione, qua indicant,an bis,aut ter ſit dandum,ut ſupra dixi. Reliquum commenti diſcurratis per uos,ſi tempus haberem multa dicerem ſuper hoc,ſed quia abutor ueſtra patientia,ideo non poſſum,ſequitur ſecunda pars Aphoriſmi Condonandum autem aliquid &c.Nam(ut ſupra dixi)alia ætas alios mores poſtulat,dicebat ille,reſpicienda eſt conſuetudo,de qua dixit Hip. 2.de ratione uictus ca.de cõſuetudine,ſed quoniã non uultis me ulterius procedere, tranſibo ad alterũ Aphoriſmum.

XVIII.



Estate, & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime. Secundum locum uer habet.

INtentio Hippocratis in hoc libro (ut aliàs diximus) erat agere de inanitione, & repletione, qua .s. arte corpus repletum inaniatur, & inanitam repleatur, quæ duo tribus instrumentis perficiuntur .s. uictus ratione, potione, sanguinis missione, tractauit autē prius de dieta usq; ad uigesimum Aphoris. Et quia sumebantur indicationes de quantitate cibi exhibendi & de uicibus à tolerantia, & ab indigentia, secundario ab annexis uidelicet ab ætate, tēpore, dispositione, & aliis, de quibus satis obscure in altero Aphorismo fecit mentionē, ideo in hoc Aphoris. uult illā secundam partem explicare, & quia illa, tēpus .s. ætas, consuetudo, & reliqua habēt aliquam similitudinē inter se, propterea Hipp. seruans solitam breuitatem tantum exēplo declarat de tēpore, ut nacti notitiam illius de reliquis similibus cognitionem aßequamur. Cum igitur dictum sit in præcedenti Aphoris. q; indicatio cibi exhibendi sumitur potissimū ab indigentia & tolerantia uirtutis hoc stante, inquit, q; æstate, & autumno indigemus cibo propter paucitatem sanguinis, quia in illis tēporibus habemus malā uirtutis tolerantiā, et ob id debemus sæpe & parum cibū

exhi-

exhibere, sæpe propter indigentiam alimenti, parũ ob malam tolerantiam uirtutis, è conuerso autem in hyeme & uere, quia reperitur bona uirtutis tolerantia, quoniam in illis tẽporibus est plurimum caloris innati iuxta illum Aphoris. expositũ, cibus etiã facile fertur, fiunt.n. ob caloris innati fortitudinem bonæ concoctiones, ergo bona alimenti distributio, quẽadmodum optime Galen. in illius Aphorismi commento, qui incipit. Ventres hyeme & uere &c. *Declarabat, & similiter cum calor sit plurimus, sequitur optima uirtutis tolerantia, quod ualet, quia Gale. dicebat, q̃ calor innatus, aut est uirtus ipsa, aut proximum eius instrumentum, ideo ubicunque est caloris innati fortitudo, ibi est fortitudo uirtutis, ergo optima tolerantia ipsius erit, præterea plurimũ corpus resoluitur ab intrinseco, et ideo magna fit cibi indigentia, ob id multum dãdum est alimenti, non tamen sæpe, quia sufficit unica uice, aut bis, si ita sunt soliti cibum sumere, nostra autem ætate damus cibum bis in die in hyeme, & uere ob consuetudinem, & sic habetis, quare in his temporibus contrariũ facimus, q̃ in æstate, & autumno, damus.n. multum ob indigentiam, damus autem non sæpe sed aut semel aut bis in die, quoniam uirtus, cum fortis sit, potest tolerare illam quantitatem unica uice, & addit Hippocra.* Secundum locum uer habet. *Hæc pars ita exponitur à Gale. si bene considerentur eius uerba, q̃ in facilitate tolerantiæ uirtutis, ita ut uirtus facile toleret cibum, est primo hyems, in secundo uero gradu facilitatis est uer, nam in uere facile feruntur cibi, facilius*

autem hyeme, similiter è conuerso dicatis de æstate & autumno, in autumno difficile feruntur cibi, difficilius autem in æstate, & sicut in difficili tolerantia cibi primum locum obtinet æstas secundum uero autumnus, sic in facili tolerantia primo est hyems, secundo uero uer. Reddebat autem Galenus rationem cur minus difficile toleretur cibus in autumno q̃ in æstate, inquiens, quia in autumno propter aerem extrinsecum frigidiorem corpora refrigerantur, quo fit ut calor uniatur, & non resoluatur, quod non contingit in æstate, in qua ob aeris extrinseci calorem difflantur, & eorum pori aperiuntur, & sic calor innatus ferè est propè cutim, similiter in uere minus facile toleratur cibus, q̃ in hyeme ob caliditatem aeris extrinseci quæ relaxat poros, ita ut calor innatus diffundatur per totum, & ob id in uere homines sunt magis cholerici, quia sanguis petit extimas corporis partes, quod non contingit in hyeme, quia calor est magis profundus, hactenus habetis totum Aphorismum explicatum quantum attinet ad literæ expositionem, & continuationem ipsius cum præcedenti. Reliquum modo est pro maiori declaratione, & ut omnia dubia circa ipsum contingentia soluere poßitis, ut audiatis nonnulla proposito nostro deseruientia. Dixi in characterismo, quem in primis nostris lectionibus hoc anno tradidimus, quemadmodum Hippo. in primo De natura humana circa finem fuit huius sententiæ, q̧ corpora humana alterentur ab extrinseco secundum qualitatem aeris ambientis, & humores augeantur secundum proportionem quatuor temporum,
nam

nam cum uer ſit calidum & humidum apud Hippocr. in tali tempore ſanguis abundat. Quòd ſi quis dicat, cur Hippoc. poſuit uer eſſe calidum & humidum, cum Gal. 2. De temperamentis aſſerat uer eſſe temperatum, ita ut neq; excedat in caliditate & humiditate. Gal. in lib. De natura humana uidens Hippoc. fuiſſe huius ſententiæ nititur eum ſaluare, & dicit, q̧ eſt in temporibus ſicut in animalibus, quæ reſpectu plantarum dicuntur eſſe temperata, uer enim reſpectu aliorum temporum eſt calidum, & humidum, q̧ ſi in ſe, & in ſui natura conſideretur eſt temperatum, nec in ipſo eſt aliquis exceſſus, & ita ſoluit Galenus. Cum igitur corpora noſtra alterentur iuxta Hippoc. ſententiam per qualitatem repertam in aere, cumq́; in uere aer ſit calidus & humidus, ſequitur, q̧ corpora noſtra erunt calida & humida, & cum unicuiq; tempori correſpondeat humor, qui in tali tempore dominetur, in uere abundabit ſanguis, qui eſt calidus & humidus, & morbi etiam uigebunt pendentes à ſanguine mixto cum pituita, ſicut ſunt epilepſiæ, podagræ, & aliæ ægritudines, de quibus Hippoc. in primo De natura humana circa finem meminit. ſequitur deinde ipſa æſtas, quæ cum calida ſit, & ſicca, corpora ſimiliter erunt calida & ſicca, & tali tempore dominabitur bilis ruffa, æſtati correſpondens. ſtãte tamen ſanguine, qui multiplicatus fuit tempore ueris, quoniam non eſt aliqua cauſa reſoluens ſanguinẽ. Sequitur autumnus, qui cum frigidus ſit & ſiccus infrigidat, & exſiccat corpora noſtra, & tunc melancholicus humor dominatur, ſtãte tamen bile ruffa, quia non

est aliqua causa, quæ potuerit ipsam consumere, licet etiam in æstate multiplicetur atra bilis propter nimiã caliditatem bilem ruffam adurentem, & sic abundat tum ratione extrinseci, tũ intrinseci. Sequitur deinde hyems, in qua ipsa pituita dominatur, quæ cum frigida sit & humida infrigidat & humectat corpora nostra, stas tamen humor melancolicus, quia non est causa resoluens ipsum. Istæ sunt anni dispositiones, in quibus secundum Hipp. augentur quatuor humores, & corpora nostra diuersimode alterantur. Sed hic cadit dubiũ motum à Gal. in primo de natura humana, qui inquit, dixisti ò Hipp. in hyeme multiplicari pituitam, quæ multiplicatur ob caloris debilitatem quomodo hoc dictum stare poterit, cum in illo tempore uentres natura calidissimi sint? si ergo sunt calidissimi, nõ generatur plurima pituita, quia cum frigida sit, generatur à calore debili, qui cibum conficere non potest, Galenus respondet inquiens ibi Hipp. per uentres intelligere uentriculum cum suis annexis. s. intestinis, hepar tamen est frigidum cum suis annexis. idest cum toto ambitu uenarum, & propterea licet bene concoquat uentriculus, tamen hepar male coquit, quo fit, ut multa generetur in hyeme pituita ratione frigiditatis hyemis, respectu uero uentriculi (cum sit calidus) non generetur. Secunda ratio Galeni, cur in hyeme plurima pituita aggregetur, est, quia aer extrinsecus est frigidus, qui refrigerans corpus facit ipsum redundare plurima pituita. Tertia ratio est, quia in tali tempore comeduntur cibi frigidi, olera fructus, bibuntur musta, omnia ista

cum

cum frigida ſint,in cauſa ſunt, ut in còrporibus tali tẽ pore plurima colligatur pituita. Iſta eſt Galeni ſolutio,quæ mihi non ſatisfacit,primo,quia cum dicit Galenus Hipp.*per* uentres *non intelligere de omni uentre uidelicet hepate & aliis,ſed de uentriculo,hoc non uidetur uerum, quia cum infert* Hippo. *poſtea* Plurimo egent alìmento. *hæc conſequentia illata nulla eſſet,quia cum ſit multa pituita in tali tempore,ergo nõ egent plurimo alimento,propterea quia aut illa pituita eſt naturalis,aut præter naturam,ſi eſt præter naturalis,ergo corpora illa non erunt ſana,ſed ægra, & de corporibus ægris non loquitur* Hipp.*ſed de ſanis,ergo erit naturalis,quæ nutriet, & ſic non indigebunt plurimo alimento.* Neque *etiam rationes* Galeni *cogunt, in quibus probat in hyeme generari plurimum pituitæ,& primo,quando dicit,ꝙ in hyeme comedũtur plurima cibaria humida ut olera et reliqua, hoc nihil eſt,nam ſi uolumus comparare cibaria frigida,quæ in æſtate comeduntur,illis quæ in hyeme,certe ſi propter hanc rationem in hyeme generatur plus pituitæ,tunc multo plus generatur in æſtate, omnes enim appetunt in æſtiuo tempore frigida & humida cibaria, quod habetis in ſecundo* De *natura humana, qui inſcribuntur* De *ratione uictus.*Et *ita ratione illæ potius cõcludũt, ꝙ pituita magis generetur in æſtate q̃ hyeme.* Quid *dicendum?* Quæſtio *difficilis eſt,&* Galenus *eam ſoluere uolẽs dixit,dicam quod ſentio utẽs iſta modeſtia.* Sic *& ego(cum* Galenus *non ſatiſfaciat) dicam quod ſentio,et extraho ſolutionem ex* Hippocratis *uerbis,di*

cit

cit ipse Ventres hyeme &uere natura calidisſimi &c. dixit natura non abſolute calidiſsimi ſunt, ideo conſideremus uentres quomodo ſe habent naturaliter, nam ut dicebat Ariſtoteles primo æthicorum non ſunt conſiderandæ eſſentiæ in corporibus corruptis, ſed ſanis, ut ſi uolumus conſiderare uentris eſſentiam, debemus conſiderare eam: ſicut eſt ſecundum propriam naturã, & ideo dico, q uentres in propria natura conſtituti dicuntur eſse calidiores in hyeme (loquor de omnibus uẽtribus) calore ſcilicet innato, non igneo. Quod patet, quia quando calor naturalis non eſt diminutus, ſi occurrat illi aer hyemalis, ita ut hyems ſit in propria natura, uon fit frigidior, quod animaduertit Galenus in illo commento illius Aphoriſmi, ſimiliter dicendum eſt de cibariis quæ ſi bona erunt & non præter naturam aſſumpta, & poſitio uentris naturalis, & conſtitutio hyemis naturalis, ſemper uentres erunt natura calidiſſimi, quia in uentribus per antipariſtaſim, quæ fit mediante aere frigido, calor augetur, quantum autem faciat antipariſtaſis ad auctionẽ caliditatis, habetis hoc declaratũ in 4. metheororum ab Ariſtotele, aer enim ille frigidus colligit calorem & facit ipſum uigere, non autem reſoluit, immo reſoluit excrementa omnia, quoniam in hyeme fiunt optimæ concoctiones, ergo plurima excrementa excernuntur, quo fit, ut calor reſoluat in hyeme & non reſoluatur, in æſtate autem oppoſitum contingit, nam tunc propter caliditatem extrinſecam naturalis calor reſoluitur, & educitur ad extimas partes. Hactenus habetis, q ſi uentres ſint in propria na-

natura, et hyems in naturali constitutione, cibaria etiã naturalia, semper uentres sunt calidißimi, q̃ si quis fuerit senex, & in hyeme, tunc eius uentres non erunt calidißimi, quia deest una conditio, uidelicet q̃ uenter non est in sua naturali dispositione, & debita proportione, si calor fuerit calidus in hyeme, & quis comedat cibaria mala, tunc si uentres nõ erunt calidißimi, hoc erit uitio cibariorum, non autem caloris. Sed uellem scire, cũ uentres hyeme calidißimi sint, cur plus pituitæ hyeme generetur, cum deberet eße totum oppositum, cum ipsa generetur à calore diminuto. Dico, q̃ debemus considerare omnia in propria natura sua, nam (ut dicebat Galen. in primo epidemiarum, & primo De differentiis febrium) aeris constitutio imprimit uarias affectiones secũdum uariam dispositionem paßi, uerbi gratia si constitutio aeris sit calida, & humida ita ut sit pestilens & imprimat pestem in corporibus humanis, non in omnibus, sed aliquibus ego faciens hanc regulam dico, Constitutione aeris calida & humida pestilenti existente pestilentes febres in corpore humano generantur. Hæc regula licet sit uniuersaliter prolata, non tamen est intelligenda de omnibus corporibus, ita ut omnia corpora habeant febres pestilentes, & in ipsas incidant, à pari dico in proposito, q̃ cum Hippocr. dixit, q̃ pituita in hyeme multiplicatur in corporibus, non intelligit de omnibus corporibus, sed de his, quæ nõ naturaliter se habent, q̃ si corpora naturaliter se habuerint, nõ pituita, sed sanguis multiplicabitur si uerò calor in aliquo corpore nõ naturaliter se habeat sed sit

debi-

debilis,ita ut non poßit resistere aeri extrinseco,tunc generatur pituita,& sic in Aphorismo loquitur de corporibus naturaliter se habentibus,in quibus in hyeme, non multiplicatur pituita,sed sanguis in libr.uero De natura humana cum dicit q, in hyme multiplicatur pituita intelligit de corporibus non naturaliter se habẽtibus,quæ habent calorem debiliorem . Ita ego dicerẽ, si uobis non placet hæc responsio,sumatis illam Galen. quã uobis fideliter recitaui . Est ista alia dubitatio in dictis Hippoc.dicebat enim æstate cibos difficillime ferũt,facilius uero hyeme, cõtra in principio æstatis est multum sanguinis ergo dictum Hippo.falsum,consequẽtia nota est,antecedens deducitur , nam si uerum est Hippoc.fundamentum,q, in tempore æstatis multiplicetur bilis stante sanguine genito in uere,cum non habeat adhuc causam consumentẽ ipsum , remanet ille, licet non ad eandem mensuram, cum autẽ sumus in ultimo æstatis,tũc minimum est sanguinis,quia resolutus est,tunc generatur bilis atra stante bile ruffa,cũ uero sumus in fine autumni,generatur pituita stante atra bile genita in ipso autumno . Hoc supposito tunc facilius fuerunt in æstate,quàm in hyeme,deduco,quia in æstate(ut apparet p discursum factũ) est plus sanguinis,quia diximus abundare bilem,& remanere ipsum sanguinẽ,et si est plus sanguinis,ergo plus caloris,cõsequentia uera secundum Gal.ubi plus caloris,ibi maior tolerantia,ubi maior tolerantia,ibi facilius feruntur cibi,ergo sequitur, q, in æstate cibi facilius feruntur.Dico ad hoc argumetum,q, si consideremus dispositio-

ſitionem humanarum corporum,quæ eſt in æſtate,et il lam,quæ eſt in hyeme,tunc melius ſe habent corpora in æſtate,quam hyeme;quia in æſtate plus eſt ſanguinis, ut ratio concludit,ſed hoc modo non conſiderantur cor pora, ſed reſpectu aeris immutantis ipſa, nam propter diſpoſitionem aeris calidiſsimi trahentis calorem inna tum ad exteriores partes, difficulter feruntur cibi in tẽpore æſtatis,in hyeme uero calor non ita diſsipatur, & ideo ob hanc rationem ſequitur,ꝙ cibi melius in hye me feruntur, quàm in eſtate, & ita dictum Hippocra. habet ueritatem, & argumentum nullum eſt. Eodem modo remouetur dubitatio altera mota à recẽtioribus de uere probans difficile potius in eo tolerari cibum, quàm facile,quia Gal.dicit,ꝙ tempus ueris eſt ſicuti di ſpoſitio plethorica,& tunc debemus exhibere parum ci bi,& raro,& hoc ſumpta indicatione à tolerantia,& indigentia uirtutis, & quia hic eſt multum ſanguinis, ergo uirtus non indiget alimento, quia id non poterit tolerare,ſed ſuffocabitur,ideo ſequitur,ꝙ erit parum, & raro dandum,& tamen corpora tempore ueris faci le tolerant cibos,quod confirmabat Galen. in commen to præcedentis Aphoriſmi.Dicatis,ꝙ cibus non ſimpli-citer in uere facile toleratur,ſed reſpectu æſtatis et au tumni,reſpectu uero hyemis difficile, quia in uere hu-mores incipiunt colliquari,quo fit ut minori indigeãt alimento reſpectu hyemis, non reſpectu aliorum tempo rum,quod facile poterunt oſtendere iſti,qui in præſen ti quadrageſima ieiunant, nam ſi uolunt aſſumare uni ca uice multitudinem cibi,ualde grauantur,et læſionẽ

per-

percipiunt,& non ita facile concoquunt, ut in hyeme, in qua poterunt assumere illam quantitatē cibi, & maiorem unica uice absq; læsione.

XIX.



Is, qui per circuitus accesiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante indicationes.

HIppocrates in xi. Aph. idē prorsus dicit, quod hic, dicebat.n. nam cibum dare nocuum est his quibus per circuitum fiunt accesiones. Quare uidetur Galenus fuisse præuaricator, quia uti præuaricatione est tacere dicenda, hic.n. deberet declarare hunc Aphorismum non esse superfluum, cum magis uideatur esse superfluus, q̃ præcedens, & tamen in præcedenti laborat in probando illum Aphorismum non esse superfluum, quid igitur iste doceat plus, q̃ Aphorismus xi. non dicit Galenus. Quod autem hoc uerum sit, notate eius expositionem, qui uolens exponere præsentem Aphorismum, primo nititur eum continuare cum præcedenti (& ex hoc colligitur contra multos negantes Aphorismos esse continuatos, & habere inuicem ordinem) & inquit. Cum tres sint scopi circa cibi exhibitionem secundum rectā & exquisitā rationem, primus sumitur à qualitate cibi, secundus à quantitate, tertius à modo exhibendi, cumq; supra tractauerit de quantitate, & qualitate cibi, nunc

bi, nunc in his duobus ultimis Aphorismis uult agere de modo exhibendi, & postquã de eo in præcedenti admonuit, intendit in præsenti nos admonere, ut in morborũ accessionibus, qui per certas periodos inuadũt, à cibo abstineamus, & ex hoc (inquit Galenus) apparet, quomodo sumpta indicatione ab accessionibus habemus modũ administrandi cibum, et subdit exponẽdo illud uerbum Ante iudicationes dicens hoc tripliciter sumi uel pro accessionibus quibusq; simpliciter, uel pro uigore morbi, uel pro crisi, proprie hic sumitur pro accessione, non pro uigore morbi, neque pro crisi, quoniã de hoc supra dictum est. Hæc est tota Gale. expositio, uidelicet, ꝙ hic intẽdit Hippocrates tradere indicationes de modo exhibendi, atque administrandi cibũ quæ ab accessionibus sumuntur. Stante hac declaratione & expositione Galeni, quæso, quæ differentia erit inter hunc, & undecimum Aphorismum? nulla prorsus, & propterea non possum nisi admirari, cur Galenus non declarauit hunc Aphorismum non esse superfluum, & maxime, quia eius expositio facit Hippoc. superfluum, præter ꝙ etiam est admodum extorta. Dicimus enim esse expositionem extortam, quando quis exponens non seruat proprium sensum, & non utitur propriis uocabulis, sed aliis, Quod modo id faciat Galenus, manifeste patet, ipse enim per iudicationes exponit accessiones uideatis in libris De crisi ubiq; ubi ponit Galenus significata huius nominis crisis, & nunquàm inuenietis ipsum dicentem eas sumi pro crisi, quod si ibi dixisset, forsan propter obseruantiam tanti uiri assentirer,

ſed cum hic modo ſolum uoluerit, hæc ſignificata expla nare, non poßũ eius expoſitionẽ non explodere. Quid igitur? Dico, ꝙ Hippocr. dat hic unum documentum, qđ eſt admodum neceßarium. Dixit enim ſupra, quomodo eſſet ſecundum rationem cibus adminiſtrandus tum in ſanis, tum etiam in ægris à 3. Aphoriſmo uſque ad 20. cum igitur iam ſit in fine & compleuerit tractatum, uult hic per modum epilogi tradere documentum ſum me neceſſarium inquiens admoneo te, ut in quocunque morbo ſiue quo ad quantitatem cibi ſiue qualitatem, ſi ue modum exhibendi eum, ſemper conſideres morbi iu dicationem, cum enim morbi iudicatio adeſt, & propin qua eſt, ſemper ſubtrahe cibum, nã ut ſcitis quidã ſunt morbi longi, & cronici quidam acuti, & notate, ut di xi aliàs ex Hippocr. in primo De uictus ratione circa principium, ꝙ morbi uere acuti ſunt cum febre conti nua, nam neque apoplexia, neque epilepſia uere mor bus acutus eſt, niſi ratione loci. Quum igitur dixiſſet Hippoc. ꝙ in morbis acutis, cum ſumus in uigore, debe mus abſtinere penitus à cibo, operæpreciũ erat dicere, quid eſſet agendum in morbis cronicis, & hoc facit in præſenti parte, in qua uniuerſaliter concludit, ꝙ in om nibus morbis cũ ſumus prope ipſam criſim, debemus ci bum ſubtrahere. Hoc autem eſt præceptum uniuerſale Hippocratis. Lego modo uerba eius, qui dicit Nihil dare oportet neque cogere. Ideſt ſiue petenti ægro, ſiue non petenti, nihil eſt dandum quum ſumus prope criſim, inquit. Sed ſubtrahere adiectioni. ideſt ſi prius dediſti cibum, aut caute, aut nõ caute, in criſi pro

pinqua

pinqua debes in quocũque morbo cibum ſubtrahere. Declaremus modo uocabula propter iuniores. Dixi ſuperius in illo Aphoriſmo. Acceſsiones &c. ꝙ tria contingunt in morbis habentibus exacerbationes, typus, periodus, & paroxiſmus. Typus eſt uocabulum græcũ qui dicitur forma, caracteriſmus, & idea ipſius morbi. Verbi gratia tertiana inuadit de tertio in tertium, quartana de quarto in quartum, quotidiana ſingulis diebus, iſtud inuadere de tertio in tertium, de quarto in quartum, & ſingulis diebus, ſunt diuerſæ formæ diſtinctæ, nã quotidie inuadere eſt forma diuerſa ab ea, quæ de tertio in tertium inuadit, ſimiliter etiam dicendũ eſt de aliis quæ impreßiones, et formæ diuerſæ appellãtur Typi. Circuitus etiam dicitur totum illud tẽpus, ſiue ſpatium temporis, quod eſt ab uno paroxiſmo ad alium paroxiſmum, quod græce dicitur περίοδος uerbi gratia tertiana affligit de tertio in tertium, intercipitur enim dies, totum iſtud ſpatium dicitur periodus includendo etiã diem paroxiſmi, & ſic paroxiſmus nihil aliud eſt, quàm pars deterior periodi, et dicit Galenus in libro de Typo, ꝙ paroxiſmus perdurat à principio acceßionis uſque ad declinationem, ut ſi quis febriat febre tertiana, illa inuaſio, quæ durat per duodecim horas, aut 15. à principio ipſius uſque ad finem dicitur paroxiſmus. Habetis hactenus omnia illa tria uocabula, quæ erant declaranda, ut Apho. intelligeretur, ſupereſt alia uox declaranda, dum dicit Hippocrates. Ante iudicationes Videndũ ergo eſt, quid ſit iudicatio apud latinos, quæ nil aliud eſt, quàm apud græcos

crisis idest subita morbi immutatio, licet in primo De crisi circa principium posuerit Gal. quinque significata huius uocis, quibus antiquiores græci utebantur, accipiebant enim quandoq; crisim, & hoc modo proprie loquendo, pro subita salute, quandoque pro inclinatione morbi ad melius, & quum sæua sunt accidentia in morbo, & remittuntur ita, q̃ æger tendit ad salutem. In eo significato appellabant crisim motionem præcedentem terminationem motus quæ motio fit ante mutationē morbi, quando enim morbus subito mutatur uel ad salutem, uel ad mortem, præcedit talē mutationem turbatio quædam, quandoq; accipiebatur pro integra morbi solutione, quando scilicet morbus integre, & perfecte solutus, est conualescētia scilicet ægroti. Proprie tamen nomen crisis pro subita morbi mutatione præcedēte solutionem morbi accipi solet, ista enim sunt significata propria huius nominis crisis, licet etiam quandoque, ut in 2. De crisi testatur Gal. capiatur pro omni morbi solutione siue fiat subito, siue non, siue sit ad salutem, siue ad mortem, His ita uisis, audiatis modo sensum ipsius Aphorismi. Iis qui per circuitus accessiones habent nihil dare oportet. Præceptum tale est quòd in his morbis, qui accessiones per circuitus habent nihil dare oportet ante crisim, uel perturbationē præcedentem crisim, sed semper (inquit Hippocr.) subtrahere adiectioni uel nihil dare si uirtus tolerat, nam si non tolerat uirtus, subtrahere aliquid oportet uel ex qualitate cibi, quam exhibemus, uel ex uicibus, in quibus exhibemus cibaria, tutius tunc erit tolerante uirtu

te,nihil dare,semper autem uirtus ipsa tanquam regina requirenda est ex rationibus à nobis declaratis.Nũquid autem si morbi acceßiones per circuitus non habuerint præceptum hoc Hippoc.uerum sit? Nam uidetur hoc seruandum non eße,quum dicat, His qui per circuitus acceßiones habent,nihil dare oportet,sed subtrahere adiectioni,quasi dicat in cæteris,qui ita accesßiones non habuerint,hoc faciendum non est, quum tamen longe magis præceptum Hippocratis seruandum sit in his,quorum acceßiones per circuitus non fiunt, q̃ in his,in quibus fiunt. Dico q̃ hoc in utrisq; uerum est,sed cur tantum dixit Hippoc. Iis qui per circuitus &c. Scitis quare? quia Hippoc.noluit idem hic repetere,nam in morbis,qui acceßionem per circuitus non habent,qui acuti sunt rationem sui,non locorum quum in febribus fiunt continuis, quæ nullam habent periodum,terminantur aut ex Hippoc.& Gal. in 2.particula Aphorismorum in quarta,& septima, & decima quarta,quod semper in his nihil detur,sed abstineatur à cibo,aut subtrahatur adiectioni, præceptũ erat Hippocrat.à 6.Aphorismo usque ad 10.& ita non oportebat illud idem repetere,sed quia in morbis habentibus acceßiones per circuitus,qui acuti non sunt,sed leues, cronici,cronici quidem,ut quartana,leues autem,ut febris tertiana,quæ & si terminetur intra 7.periodos, acutus tamen non est morbus, quum uacet periculo, & cum in his morbis satis abundanti cibo utamur, & bis in die quandoque reiteremus, nos admonet Hippocrat.dicens, quamuis in febribus,quæ per circuitus in-

certos inuadunt, satis conueniens quantitas cibi exhibeatur, & uices reiterentur, admoneo tamen, q; circa iudicationes, quando scilicet instatur uel cadunt perturbationes ut uel nihil des, uel si uirtus nō tolerat, subtrahas adiectioni, & hoc est præceptum Hipp. ab ipso non amplius traditum hucusq;, quod posuit in calce tractatus, in quo de recta uictus ratione egit, quæ tribus capitibus ex sententia Galeni completur, quantitate, qualitate, & modo usus. His ergo in quibus accessiones per circuitus fiunt, dare non oportet, sed abstinere, & subtrahere adiectioni, nec cogere ægrotantes cibum accipere, sicuti perperā putant medici nostrorū temporū, qui ægrotantes à natura cibum fastidientes cogunt ad assumptionem cibi. Aphorismus itaque optimè positus est & explicatus ab Hipp. sola superest Aphorismi ratio, neque enim philosopho, & medico satis est habere præceptū, sed oportet q; medici rationales quales sunt, qui doctrinam Hippocratis, Galeni, & Auicennæ sequuntur, rationes præceptorum habeant, quærēda ergo nobis est ratio, cur non liceat dare cibum ante iudicationem neq; cogere, sed subtrahere adiectioni, ista autem ratio apparebit in sequenti Aphorismo, et ideo ne eiusdem inutilis fiat repetitio, aggrediemur sequentē Aph. in quo dicit Hippoc.

Quæ

X X.



Væ iudicantur, & iudicata sunt integre, neq; mouere, neque noua re aliquid siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

Iste est Aphorismus uigesimus, in quo Hippocrates miro quodam artificio duo facit, primo rationẽ affert præcedentis Aphorismi, secundo præparat se ad secundam summam, siue tractatum istius primi libri, in quo docebit quomodo corpora purgare oporteat, & a quibus indicationes sumãtur, nam hucusq; egit de indicationibus dirigentibus nos ad rectam uictus rationem, in hoc uero secundo tractatu, agit Hippocrates, qua arte per medicamentum corpora euacuanda sint, cum ergo hoc facturus eßet Hippocrates, proponit præsentem Aphorismum, qui continuat dicenda cum dictis, neque hoc potestis animaduertere, nisi prius Aphorismum intellexeritis. Pro declaratione igitur Aphorismi primo uoces intelligendæ sunt, dicit itaque Hippocrates: Quæ iudicantur &c. Quantum attinet ad primum illud Iudicantur & iudicata sunt nõ oportet amplius repetere quid sit iudicatio, audiuistis enim quemadmodum crisis siue iudicatio proprie est subita mutatio morbi, siue perturbatio. Quæ iudicantur & iudicata sunt integre. Notetis, quòd integre aliquid iudicatum esse duobus modis contingit, nã

dicere aliquid iudicatum fuiße, est quum ad debitum finem, & terminum deuenerit, sicuti cum lectio ista deuenerit ad terminũ unius horæ, dicitur iudicata integre secundum primum significatum iam dictum, potest tamen eße q, etsi lectio ista quo ad istum sensum integra sit, tamen uituperanda ueniat ratione alterius sensus. Secundo modo integre iudicatum fuiße dicitur, cũ res suam habet perfectionem, & bonitatem, quã debet habere, & omnes alias conditiones, quas sua natura requirit, quod apud Græcos dicitur τελίφορον. Iudicatio autem integra primo modo dicetur, cum ad terminum deuenerit euacuationis, in qua scilicet quod peccabat euacuatum est, & nihil derelictum est, iudicationes autem integræ, & perfectæ secundo modo sex ponuntur habere conditiones à Gal. in 1. De diebus creticis circa principium, nã illa dicetur perfecta crisis, quæ primo absoluta est, absolutam aũt illam esse uoco, quæ ad proprium terminum deuenerit, ita q inceperit sic, quod desiuerit, quando desinere debuerat, secunda conditio est, ut sit certa & fidelis, ea autem talis est, sicuti exponebat Galenus, quæ non facit recidiuam, ubi ergo crisis soluit morbum, sed iterum redit morbus, fidelis non dicitur, & certa, quia & ægrotantem, & medicum fefellit. Tertia conditio est, ut sit tuta, tuta autem ea dicitur, quæ sæua non habet accidentia, fiunt enim multæ crises cũ accidentibus sæuißimis, quæ prosternunt uirtutem, & sunt in causa mortis, & appellatur crisis cũ uictoria cadmia, uincit enim morbus uictoria cadmia, sicuti habetis in prouerbio ab Erasmo, nam simul & mor-

morbus & uictor concidit & ita habemus hucusq; tres conditiones pfectæ crisis. Quarta cõditio est, q̃ sit manifesta, dicitur autem manifesta quãdo non est occulta morbi mutatio et materiæ cõmotio, qui.n. occulte operãtur maligni sunt qui uerò manifeste, boni habẽtur quãdo ergo in crisi non est manifesta euacuatio, & mutatio sicut cum nec per inferius neq; per sudores, uel per absceßus materia euacuatur, crisis non dicitur manifesta, dubium.n.est, quo tendat natura. Quinta conditio est, ut sit prænuntiata à suis debitis signis, quæ sunt ista signa? sunt & dies, & cõcoctioues. si ergo apparuerint signa concoctiones in die critica, talis iudicatio uera postmodũ fit, & prænuntiata dicetur, & optima erit, quãdo uerò ui debitis subitas in morbis mutationes, non præcedẽtibus signis concoctionis in die critica, talis iudicatio mala est, nam aut mortem, aut morbi diuturnitatem prænuntiat, Debent ergo apparere signa concoctionis in die critica siue iudicatoria, sunt enim quidã dies indicatorii, ut quarta & quidam iudicatorii ut septima, sicuti dicebat Gal. in primo De diebus decretoriis & in 2. Aph. unà cum Hip. & Auicenna in secunda quarti circa finem. Aliud enim est dies indicatoria, et dies iudicatoria. Iudicatoria.n. dies est septima, quarta uerò indicatiua septimæ. Sexta conditio est, ut terminetur ad bonum, quæ tamen conditio, q̃ apponeretur neceßarium non erat, nam ubi crisis omnes alias conditiones habuerit, sequitur neceßariò quòd sit bona et ad salutem terminetur. Istæ sunt conditiones perfectæ crisis enarratæ à Galeno in primo De diebus de-

cretoriis, in commento tamen ipsius Aphorismi alias ponit, sed ferè eadē sunt, dixit enim ibi q̃, melior est crisis, quæ manifesta est, & reducitur ad eam, quæ per secessum fit, q̃ quæ per abscesum, nam abscessus quandoque in intrinsecis partibus est, & ipsius natura cum loco etiã effecto interim ignoratur, secundo per quã humor noxius euacuatur, q̃ per quam alius euacuatur et ista conditio, ad eam reducitur, quæ certa est, & fidelis, nã ubi materia peccans non euacuatur, sed id, quod non debet euacuari, fit recidiua, nam quæ sine ratione iudicantur (dicebat Hipp.) confidere non oportet, quia recidiuas facere consueuerunt, tertia conditio est, ut fiat, rectè tramite & progreßu, quem appellat Hippo. κατ' ἴξιν quid autem sit iste progreßus, oportet ut de hoc integram faciamus lectionem. Quantum autem attinet ad præsentem locum (nam in Aphorismo sequenti de hoc diffusius agemus) dico, q̃, crisis debet fieri, per conuenientem progreßum, in qua est proportio inter locum a quo fit, & locum per quem fit euacuatio, quã proportionem rectè intelligit Hipp. ita ut sint ductus proportionati, ut si humor collectus eßet in concauo hepatis, conuenientius est ut materia ducatur per secessum, q̃ per urinam, postmodum est illa conditio, quæ facile toleratur, quæ ad eam reducitur, quæ tuta est, et demũ ea, quæ cum concoctione fit, eadē est cum illa, quæ prænuntiata fuit, & ita nõ sunt aliæ conditiones, quæ positæ sunt in hoc commento ab illis positis a Gal. in primo De dieb. decretoriis. Quid igitur sit integra iudicatio secundo modo sumpta, quæ habet oẽs has conditiones

tiones satis patet, de qua integritate loquitur Hip.(ut uidebitis) ex sententia Gal. in commento Neque moue re neque nouare aliquid. Declaramus nunc omnes ter minos & primo quid intelligat per mouere. scitis. n. triplicem esse motum localem alterationis, & augumẽ ti & diminutionis, de quo nam motu intelligit Hippo. Dico q̃ de omni motu, nam neque mouere oportet mo- tu locali ægrotantem, cum sit uel facta est integra iudi catio, neque motu alterationis, neq; motu augumenti, aut decremeuti. Neque nouare, magis quidem est no- uare, quam mouere, nam nouare est aliquid circa ægro tum facere, & si ipsum non moueamus, nisi hactenus de tentus esset in tenebris, & uoluerimus aperire fenestras dicemus in eo, aliquid nouare, aut cum aliquid noui af fectetur ægrotantibus, siue medicamentis siue alio pa- cto. Medicamenta aũt apud græcos, dicũtur ea, quæ ali quid corpori faciunt, ita ut non uertantur in substan- tiam corporis. In hoc. n. ut dicebat Gal. in tertio De tẽ- peraturis distinguitur cibus à medicamento, cibus. n. conuertitur in substantiam nutriti, medicamentum aũt nequaquã. Medicamentorum autẽ quædam alterant tã tum, ut piper, & cinnamomum, & syrupi isti, quædam cum hoc, q̃ alterant, etiam euacuant, ut Agaricus sca- moneum & consimilia. De utrisq; hic intelligit Hippo. siue aliter irritando sed sinere. aliud enim est irrita- re, aliud excitare, irritare dicimus aliquid quum iam est præparatum ad aliquem affectum, ut quum quis ira tus alicui, ipsum dicimus irritare, cum persuademus ad odium, & consueuimus quidem nos in prouerbio dice-

re,

re, Noli irritare crabrones, excitare autem segnes dicimus. At Hip. usus est proprietate uocabuli, in præsenti parte sicuti consueuit, nam quæ iudicantur parata sunt ad motum, ideo irritare, non excitare dixit. Præceptum itaq; Hip. est, ut quæ iudicantur, aut quæ iudicata sunt (& intelligit de humoribus, nam morbi qui ab humoribus non pendent, sed sine materia sunt, per crisim non terminantur sed paulatine, fiunt autem subitæ mutationes, quum humor confertim mouetur) idest ea quæ subito expellũtur, idest illi humores (et locutus est in genere neutro, dicens ea quæ iudicantur, aut iudicata sunt idest humores) qui per crisim expelluntur, & expulsi sunt integre neq; mouere, neq; in his aliquid nouare oportet, nec aliter irritare, sed totum naturæ dimittere oportet, nam motu locali humores non sunt mouendi, cum natura moueat nec motu alterationis, quia cum sit integra iudicatio, est ẽt concocta materia, nã si secus, non est integra iudicatio, minus etiam naturam oportet cibariis aggrauare, neq; aliquid innouare, sed totũ ipsi permittere, sed de quo genere innouationis intelligit? Nempè de quoq; siue hoc faciatis medicamẽtis, siue alterantibus, siue euacuantibus, siue aliter irritando, siue nimio somno, siue nimia uigilia. siue permutãdo aliquid, & ita iam explicatæ sunt omnes dictiones Aph. Circa quem anteq̃ rationem adducamus, remouendum est unum dubium. Videbitis enim quotidie cum natura incipit aliquẽ motum, ut uerbi gratia si tentat euacuare materiã per sudorem, q̄ medici nostri tẽporis iubẽt, ut æger pãnis cooperiatur, et dicũt se uelle adiu-

uare naturam, pariter si per loca inceperit natura eua cuare humorem noxium, ipsi diuretica exhibent, Dico, q̃ qui ita faciunt, peccant, & sæpe ducunt homines ad pernitiem, quia irritãt naturam in eductione materiæ, quæ mature & in tempore à natura educi debet, natura enim non confertim sed mature operatur. Vnde Virgilius dum mare uentis agiteretur, & Neptunũ Troianorum naues saluaturum cum uentis loquẽtem induceret, inquit, Maturate fugam, non dixit accelerate fugam, quia ex acceleratione naues submersæ fuissent, & ita etiam in rerum noxiarum expulsione maturatio esse debet, non irritatio. Quare non estote cum istis medicis, qui naturam irritãt, cum integre iudicationẽ facit, nam cum integre non iudicat, quid in hoc casu agẽdum sit, inferius dicemus. Aliud dubium est, quod oritur ex dictis Galeni. Galenus enim in cõmento expresse innuit, quòd nos oportet, quandoq; aliquid operari, & non naturæ totum permittere, quomodo ergo uerũ est quod dixit Hippocrates, nihil nos mouere, nihil nouare, nec aliter irritare, sed sinere oportere? uidetur enim discordia in dictis Galeni, & Hippo. Dico q̃ operari apud medicos dupliciter intelligitur, uno modo cũ naturaliter quid faciunt, ut quum medicinam, aut syrupos exhibent, aut linimentis, aut frictionibus utuntur. Secundo modo operari medicum dicimus, con ægrotanti suo præsidet, sicuti gubernator naui, qui nihil aliud facit nisi q̃ prouidet, ne quid perperam fiat, & in puppi manens, uidensq; uela inflata uento, ut debent esse, nihil aliud facit, quàm q̃ animaduertit, nequid præter sen-

ſententiam adueniat, unde medici noſtri temporis dicunt, q; debent procurare nequid præter ſententiã fiat, & Montagnana ſenior, cum quo practicabam, dicebat, in non facere conſiſtit facere & iſtud operari ſecundo modo ſemper neceſſarium eſt medico, non naturæ, nam medici nunquàm ægrotantem debent derelinquere ut uideant quid agendum, & ſi, nihil agant, & ſic ſoluta eſt dubitatio. Reſtat, ut aßignemus ipſius Aphoriſmi rationem, deinde deueniamus ad dubitationes magis eſſentiales, & quæ maxime ad praxin attinent. Ratio talis eſt ſciuiſtis, ut in tertio Artis paruæ teſtatus eſt Galenus, & in libro De coſtitutione artis medicæ quẽadmodum medicus eſt miniſter naturæ, nihil enim medicus ex ſe ipſo operatur, ſed tantum naturæ præſtat inſtrumenta, ubi ipſa deficit, uel ob multitudinem materiæ aggrauata, uel ob magnitudinem morbi deterrita, cum ergo medicus ſit naturæ miniſter, & nihil ex ſe operetur, niſi natura ad actum deducat, ſequitur q; cum natura perfecte operatur, non egeat auxilio, immo ſuperfluum eſt, quòd à medico iuuetur inſtrumentis ſuis, quæ præter hoc q; non iuuant, maximum quandoq; naturæ afferunt incommodum, nam ſi per ſingula remedia, quibus medici naturam iuuare ſolẽt, diſcurramus, quæ & cibaria, et medicinæ ſunt, ſiue purgantia, ſiue alterantia, nocumentum ex his naturæ inferri uidebimus, quemadmodum ſi cum perfecte operatur, uel operata eſt, ut in perfecta criſi contingit, cibus per id temporis exhibeatur, difficilime à natura feretur, nam aut à natura concoquetur, aut non, ſi ipſa concoxerit cibum,

bum, diuertetur ab humoris expulsione, & ab opere ne cessario diuertetur ad non necessarium, si uero natura ad concoctionem cibi non diuertatur, permanebit ille non alteratus, & inconcoctus, & in uentriculo corrumpetur, corrupto autem cibo in uentriculo, sæuissima sequentur accidentia, ob quæ natura à materiæ expulsione diuertetur, siue afferamus medicamentum aliquod siue alterans, siue purgans. Audiatis quàm importune hoc factum erit, nam si medicina alterans exhibebitur, quum integram natura fecerit concoctionem, & uiæ sint apertæ (nam secus perfecta non esset crisis, sicuti supponitur) aut humores adiuuandi magis quàm oportet incrassabuntur, aut attenuabuntur, aut alia quadã qualitate à medicina alterante afficientur, ratione cuius non ita apti erunt, sicut prius ad expulsionem, si uero euacuare uoluerimus medicina purgãte per locum oppositum loco, per quem natura euacuat, manifestissimo nocumento eritis ægrotanti, quia materiam ad locum oppositum inclinationis suæ ducetis, & inde maxime turbabitur æger, sicuti in sequenti Aphorismo dicemus, si uerò per eandem partem; per quam natura, euacuaueritis, excitabitis naturam ad nimis citam expulsionem, & ita semper ægrotanti nocebitis, siue medicinam, siue cibum exhibeatis in tempore, in quo perfecta uel fit, uel facta est indicatio ex ratione iam dicta. Vnde habetis iam quomodo Aphoris. intelligendus sit. Quæ igitur iudicantur, & quæ iudicata sunt integre, neq; mouere oportet, neq; nouare aliquid siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere, licet hoc nõ

sem

ſemper ſit faciendũ, quandoq; enim, uel iudicantur, uel cum iudicata ſunt: aliquid noui debet realiter facere medicus ut uel medicinam exhibeat, uel cibum quẽadmodum in multis caſibus contingit, ideo oportet recte animaduertere, q̃ dixit, quæ iudicantur, et quæ iudicata ſunt non abſolute, ſed integre, quoniam, ut ex dictis iam ſatis manifeſtum eſt, ſi integra eſt iudicatio, medicus nihil debet operari. Sed remoueatis illud integre, quæritur num liceat medico aliquid operari, quũ ſit, aut factum eſt iudicium? Dico quòd ne dum licet, ſed neceßarium eſt, & primo accipiamus oppoſitum integre iudicationis primo modo ſumptæ quæ erat quãdo ſcilicet euacuatum eſt quicquid euacuari debet, ut nihil ſuperſit, cuius oppoſitum eſt, quando ſcilicet non eſt euacuatum, quicquid oportebat, ſed reliquiæ aliquæ ſuperfluunt materiæ facientis morbum, nemini dubium eſt q̃ iudicato morbo ſi reliquiæ ſuperſunt materiæ, q̃ eas medicus euacuare debet. Ad hoc primo eſt ſentẽtia Hippocra. in ſecunda particula Aphor. 12. Quæ relinquuntur in morbis recidiuas facere cõſueuerunt *ubi dicebat Gale. quòd niſi tales reliquiæ euacuentur, morbus redit & in ſequenti huius particulæ Aphoriſmo inquit.* Quæ ducere oportet, quo maxime natura uergit, &c. *ubi dicit Galenus quòd quæ ducere oportet, id eſt ea quæ relinquuntur in morbis (& hoc eſt manifeſtum) medicus naturam adiuuare debet, cum perfecta criſis facta non eſt in tempore etiam præſenti, quando ſcilicet morbi iudicantur. Sed quis dicet quando morbi iudicantur, quomodo ſciam ego, utrum*

ſit integre iudicatio,nec ne?nam dum fit & non eſt ad huc facta,non poſſum ſcire adhuc utrũ finita ſit ad debitum terminum.Dico quòd prudens medicus etiã dum iudicantur morbi, cognoſcet optime, nunquid integra ſit talis iudicatio, antequam perficiatur, nam dum uidet,quod non habet conditiones prædictas, præſertim quòd iudicationem non præceſſit concoctio,et ſi præceſſit obſcura fuit, ſit etiam motus humoris, qui expellitur non iudicatus in aliqua iudicatoria die iudicat talẽ perfectam non fore iudicationem,nam nec iudicata fuit,præterea ſigna perfectæ concoctionis nõ preceſſerũt,ideo nec perfectã faciet expulſionẽ, quia materia cõcocta nõ eſt,et ſi perfecta fiat expulſio,itaq;tota materia euacuetur, uiolenta erit,non autem naturalis,nã concocta medicari oportet &c.Sicut ergo medicus qui naturæ miniſter eſt,nõ euacuat,niſi concocta materia, ita nec natura, quæ ſi antea euacuerit, ſymptomatica eſt talis euacuatio,quæ quãtũ noceat,inferius dicemus. Et ita in propoſito debet medicus naturam iuuare,ſi materiam uiderit concoctam non eſſe, & ſyrupos dare quibus concoctio celebrari poſſit, & ſecundum ꝙ oportet uel magis, uel minus eam concoquere,quare ſi nimia acrimonia peccauerint humores, ſicuti flaua bilis, debet ἐπικράσιν,id eſt contemperantiam moliri medicus ſicuti interpretabatur Galenus in libris methodi, ſi uero tenuior quàm par ſit, fuerit materia, eam incraſſare debet,ſi incraſſata,attenuare, & ſic in omnibus per oppoſita naturam iuuare ut his habitis perfecta poſſit fieri iudicatio.Si uero integritas iudi

cationis secundo modo sumatur, debemus, omnes illas conditiones integre iudicationis considerare, & uidere, in quo deficit, ut si integra non sit, quia per debita loca non fiat, debemus tẽtare, ut per conuenientem locum fiat eductio, ut si per uentrem inferiorem educatur bilis, & per istam eductionem fiat dysenteria, debemus tale uitium emendare, et quandoq; per aliã partem illam bilem educere, & ideo sæpe ubi natura non inclinat, quò oporteret, & materia concocta non est; debet medicus concoctionem adiuuare, & per oppositum eductionem tentare, si uero pituita, quæ per inferius educi deberet, educatur per uomitum, & sit in causa sæuorum accidentium, debemus euacuationem per aluum tentare, dicebat etiam Galenus, quòd una conditio faciens integram non esse iudicationem est, cum euacuatio non est manifesta, in qua scilicet materia extra corpus non expellitur, sed fit crisis à natura euacuando materiam per abscessum, ut quandoq; in intrinsecis absceßus fiat cuius causa ignoratur, & locus quandoq; abscessum patiens. Vbicunque ergo crisis sic imperfecta est, debemus considerare abscessum, utrum in intrinsecis an extrinsecis sit partibus, & si in intrinsecis fuerit, eniti debemus omni studio abscessum ab intrinsecis ad extrinsecas partes euocare. Maturationes enim horum abscessuum, in intrinsecis malæ sunt ex sententia Hippocratis. Medicus ergo his, quæ uim euocandi habent, uti debet sicuti sunt cucurbitulæ, & synapismi, ut educantur in principio materiæ ab intrinsecis ad extrinsecas partes, nam tunc

tunc longe minori periculo abſceßus maturari & cu rari poterit, etiam ſi abſceſſus extrinſecus appa ruerit à materia uenenoſa, ut in febribus peſtilentibus acci-dit, in quibus, & carbones, & maculæ per corpus ap-parent Althoin dictæ ab Auicēna. Et ideo medicus ra tionalis (ſicuti optime empyrici faciunt ducti, uel ab experientia, uel communi ratione) ſtatim quo ad poſ-ſe, debet euacuare talem materiam, & ante maturatio nem cogere, ut ad rupturam deueniat, cum rebus acer rimis, cuius materia ſunt ea, quæ cauſtica dicuntur.

Quæritur etiam utrum in febribus peſtilentialibus, cum maculæ per corpus apparent, quæ ſunt inter ge-nera abſceßuum, & non ſit euacuatio perfecta, quia materia extra corpus nõ educitur, & etiã in die creti ca medicus debet naturam adiuuare. Nõnulli nolũt, ꝙ per totũ corpus cucurbitulas applicemus, quod genus auxilii ego ſemper aliàs amplexus ſum, nũc uero uitu pero, eſt enim uiolentum auxilium, nam tunc materia, & multa quantitas ſpiritus & caloris educitur et ita natura auertitur à concoctione materiæ, & inde ſe-quitur putredo maxima, ex qua quandoq; caſus inſe quitur uirtutis. Aetius autem ex Oribaſio optime ap-parentibus talibus maculis ſuccurrit, uult enim quòd materia euocetur non cum cucurbitulis, ſed cum lini-mẽto quodam, quo ego ſæpe fœlicißime uſus ſum, quod tale eſt. Accipit nanq; oleum commune, ego tamen lo-co illius oleum amigdalarum amararum accipio, quod magis difflare facit, & tantundem aquæ & uitrum ap ponit ita cõficiens. Recipe oleum amigdalarum amara

rum, aquæ partes æquales, ut uncias duas, uitri dracmas duas, misce, & bulliant, quousque tota aqua consumatur, & deinde bis uel ter in die totum corpus ungatur, nam & inde rarefiet ipsum, & materia euacuabitur, & æqualiter, non autem uiolenter, sicuti per cucurbitulas. Alia conditio est faciens quod iudicatio per fecta non sit in eo, quia alius humor ab eo, qui euacuandus esset, euacuatur à natura, exempli gratia in corpore peccat uel bilis, uel pituita, utraque simul, nam ut plurimum ab his febres fiunt tempore autem indicationis humoris, qui deberet euacuari, irrumpit sanguis, uel per hæmorroidas, uel per menses, uel per fluxum sanguinis narium, humor, qui euacuatur, non est ille humor, qui peccabat, sed alius, euacuato itaque humore, qui non peccat, sed alio, debetis ne totum naturæ permittere, uel aliquid operari? Aphorismus enim est Hippocratis istius particulæ, si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & leuiter ferunt, in proposito autem nunc non euacuantur, quæ euacuari debent, certum ergo est quod natura non facile tolerat talem euacuationem: nec talis confert, debemus ne tolerare, quòd natura euacuet id, quod non debet euacuare. Istud certe est difficillimum, & ubi eritis in actu practico, sæpe nescietis quid agendum sit bastantes, quòd si fluẽte sanguine à naribus, uel ab alio loco, sanguinem supprimere uolueritis, suffocabitis patientem, sin totum naturæ permitteretis, ad tantum procedet euacuatio sanguinis, quòd ille morietur. Quid ergo faciendum? Hippocrates adeo perplexus fuit, ut dixerit, quòd quã
do

do homo propter niminm sanguinis fluxum è naribus debilitatur, adeo q; necesse est fluxum adstringere, non est ex toto sanguis supprimendus, & hoc est, quod dice bat Auicenna in tertio suo libro, de fluxu sanguinis, q; nullus reprimendus est, nisi qui ad manifestum casum uirtutis deducturus sit ægrotantem. Per sponte autem humorem educi à natura intelligo, idest non coacte, sicuti accidit, uel cum homo percussus est, uel ceciderit, uel applicitæ fuerint sanguisugæ, & postea sanguis supprimi nequeat. Et ut uniuersaliter dicam; si nulla fuerit uiolenta eductio in his, quid agendum sit, facile non est diiudicare, ubi uerò ex causis huiusmodi, sicuti in pharmacia uiolenta, fiat eductio materiæ, debetis omni conatu reprimere fluxum materiæ, nam non fuit talis motus à natura factus, sed uiolentia, & ita consueuerunt omnes medici facere, & ita faciebat Auicenna, & Mesues, Qui Auicenna fecit caput in prima quarti, quomodo debeant corpora astringi, quæ ui tio medicamenti purgantis nimium euacuantur, sed ubi natura hoc sponte facit (nam sponte fiunt, quæ aliqua rete extrinseca non fiunt) dico (& talis est sententia omnium medicorum) q; tales fluxus non debetis ad stringere, & si in quali, & quanto sit uitium, sed tantum corroborare uirtutem, nam si fiant propter debilitatem uirtutis, nihil tutius erit q̃ nutrire, & refocillare ægrum, & quibusdam frictionibus diuertere ad oppositam partem, si autem fluxus fuerit uitio acrimoniæ humorum, non debetis talem fluxum adstringere, sed contemperare ipsos humores, ut bilem, si bilis, si-

euti plurimum contingit, in causa fuerit, uidi enim sæpe defluente bile, & per uomitum, & per secessum, nõ ex adstrictione: sed ex repressione adiutum patientem, & nihil melius reperiri, q̃ exhibere ius pingue pulli, propterea non male antiquiores uocatam colericam passionem solo haustu iuris corroborant. Quòd si sanguis præter rationem euacuetur, credo q, cum sponte fluat, non sit sincerus, nam non stat uirtus bona cum sanguine corrupto, & sic quia uirtus expulsiua stimulata fuit à mala sanguinis qualitate, ideo humor ille expulsus est, uel quia aquosior, & hoc est in plenitudine quo ad uires, & quandoque in plenitudine quo ad uasa boni sanguinis, ita ut etiam quandoq; disrumpat uasa, sicuti quandoq; in pectore accidit ruptura uenæ, in qua nullus sapiens medicus primo astringentibus utitur, nam necessariò erit in causa, q, sanguis ille in pulmonibus detineatur & sequatur phtisis. Ideo uos facientes, sicuti optime & Aetius, & Paulus faciunt, primo mundificationem, & abstersionem aggredimini, postmodum consolidationem, irrationales autem medici oppositum efficiunt, in primis enim consolidare uolunt, secundo mundificare. Ante igitur omnia recte sanguis mittendus est, non est autem adstringendum, sed sanguis alterandus uenit, si sit multum acutus ipsum reprimendo, si sit serosus, serositas euacuanda est, ad propositum autem est turbith, & follicelis sænæ talem moliri euacuationem, cauere autem debemus, ne primo materiam restringamus, etsi multa fuerit materia peccans, adhibenda est euacuatio, & hoc est, quod dice-

bat Auicenna, q. uomitus uomitum curat, & fluxus fluxum bonæ iudicationis. Præterea altera conditio erat, ut recto tramite fieret. Declarauimus autem in præcedenti lectione quid esset recto tramite euacuare, & hæc maxima fuit difficultas antiquorum, & modernorum. Omnes enim per rectitudinem uacuationes fieri debere aßerunt, quando uerò interrogatur aliquis doctor, quæ sit ista rectitudo, num situs, an uiarum, an fibrarum, ne dum unum inueni, qui idem dixerit de sensu istius dictionis κατ' ἴξιν siue εὐθυωρίαν & fortaße in sequenti lectione, aliqua dicemus. Habui ego quandoque dubitationem, num recte interpretatus sit Hippoc. Ga. in hac dictione. Semper enim Hippoc. dicit κατ' ἴξιν non κατ' εὐθυωρίαν, mihi enim longe diuersum significant ista, nam per κατ' ἴξιν forte intelligit Hippoc. idest secundum aduentum, quando uenæ communicant, pro ut scilicet euacuatio commode parata est, per illud debemus euacuare, Galenus autem secundum rectitudinem interpretatur, quæ sit ista rectitudo nunquam declarauit, qui tamen solet ita eße lucidißimus in interpretationibus suis, ut quandoque etiam sit fastidio legentibus. Fuit quidam Petrus Gallus uir doctißimus, qui de mißione sanguinis scripsit, & ipse interpretatus est secundum rectitudinem fibrarum. Vtrum autem hoc uerum sit dicendum est aliàs nunc supponamus, quod Galenus intelligat, recto tramite euacuationem fieri, idest per debitas uenas secundum acceßiones scilicet uenarum, ut in concauo hepatis est materia, oportet per intestina, aut per uo-

mitum ipsam euacuare, commodius tamen fit per intestina, dummodo seruetur κατ' ἴξιν, nam concauum hepatis colligantiam habet cum uenis meseraicis, quæ postmodum per intestina disseminata sunt, & ideo talis euacuatio recto tramite fit. recto autem tramite non esset, si per urinas eam euacuare uellemus, nam oporteret, q ascenderet ad gibbum hepatis, talis autem transitus dißimilis esset, & noceret hepati. Si autem materia euacuanda in gibbo fuerit, non erit euacuatio per rectum tramitem, si per intestina euacuare uoluerimus sed bene per urinam, nam serositas sanguinis, & quæcunque in gibbo hepatis sunt, si non multa sit per quosdam ramos uenæ portæ transmissos, ad renes excolatur, & hoc est, quod uult Galenus. Dico ergo, quod si iudicatio non seruauerit istum tramitem non erit integra. supponatur autem q non seruetur rectus trames, dico etiam q tunc medicus naturam iuuare debet, ut materia per propria uasa educatur, dummodo seruentur conditiones integræ iudicationis, ut puta, q cum concoctione fiat, & huiuscemodi, quod si educatur materia sine concoctione, integra non est iudicatio, quid autem tunc agendum sit, etiam declaratum est Legemus modo alium Aphorismum, & complebimus, si quid huius superfuerit.

Qu

XXI.



QVAE ducere oportet, quo maxime natura uergit per loca conferentia, eo ducere.

ISte est uigesimus primus Aphorismus admodū opportune continuatus, & connexus cum praecedenti Aphor. Hipp. præceptum fuit, q̃ quæ iudicantur, & quæ iudicata sunt integrè neq; mouere oportet, neque nouare, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere, audiuistis præterea, quemadmodū in eo Aphorismo sub altero oppositorum (sicuti consueuit) dedit alterum intelligere præceptum oppositum q̃d quæ non iudicantur, nec iudicata sunt integre, euacuari debent à medicis, sicuti in commento Galenus præcipiebat, cū ergo istud præceptum in præcedenti Aphorismo implicite traditū sit, reliquum erat, ut modum nos doceret, quo euacuari deberent, nam quæ relinquuntur in morbis, post iudicationes recidiuas facere consueuerunt, frustra enim sciretis, q̃ quæ integre non iudicantur, uel non iudicata sunt, euacuanda essent, nisi & modum euacuationis sciretis. Ideo ualde opportune Hippocrates subiunxit istum Aphorismum dicens. Quæ ducere oportet quo maxime natura uergit per conferentia loca, eo ducere conuenit, Ex quo sequitur, quod si quæ integre non iudicantur, euacuare oportet, debetis euacuare huiusmodi reliquias materiæ, quo

natura uergit per loca conferentia. Duæ ergo sunt con ditiones, quas aduertere oportet in tali euacuatione, ut euacuatior fiat, quò natura uergit, & quæ loca cōferē tia sint, quæ ubi noueritis, illud, q; dicit Hipp. in Aphorismo primo siue intellectum Apho. facile percipietis: primo aūt oportet nos scire, quæ sint, quæ ducere oporteat, & declarat istud Gale. in commento dicens, q; ea euacuanda sunt quæ non sunt à natura euacuata, Medicus. n. ubi ægritudinem nactus est, materia non existēte furiosa, non debet materiā illam euacuare, sed prius ipsam præparare, & concoquere, & hoc est, quod dicebat Auicenna, in prima quarti cap. 5. cum materia con cocta sit beneficio artis, siue ab ipsa natura non mouet illam materiā, tunc medicus debet hora motus naturæ mouere, si uerò natura moueret & perfecte euacuaret tunc nihil à medico agendum eßet, si uerò aliquid à natura post iudicationem relictum sit, uos id euacuare debetis, ne iterum in causa sit, q; morbus redeat. Et ita tot sint dicta, ut hoc dictum Hippoc. intelligatis quomodo autem educenda sint, quæ educi debent audiatis quæ ducere oportet idest traducere per eum tramitem, quò natura uergit & per loca conferentia. Duæ igitur sunt conditiones in euacuando seruandæ, primo q; euacuemus per locum ad quem natura uergit, secundo q; ille locus conueniens sit euacuationi. Audiatis modo quò natura uergat, & quæ sunt loca conferentia, & quæ non. Galenus in commento admodum difficilis est optimè. n. exposuit præsentem Aphorismum, sed obscurißime, dicit enim q; particula illa quo natura uergit ad

ad duo reducitur, ut scilicet naturam consideremus, & humoris motum. Longe tamen plura q̃ ista duo uult Hippocr. Ideo distinguatis hoc pacto, q̧ tria intelligit per huiusmodi naturæ nomen, quæ sparsim à Galen. in commento dicta sunt Hippo. primo intellexit naturam pro natura humoris peccantis, ut sensus sit, q̧ eò ducere oportet, quò natura humoris noxii inclinat. Sed dicet quis, ego non intelligo hoc, uellem ut apertius hoc ageres. Hoc faciam. Credo uos didicisse à me, & prius ab Hippoc. & Galeno, q̧ humores propriam habent euacuationem, ut pituita cum frigido sit, & crassa, deorsum sui grauitate tendit, ideo melius est, eã ducere per secessum, q̃ per uomitum, item humor etiam melancholicus, cum terreus sit, bilis uero flaua oppositum habet motum, nam facilius per superiora, quum leuis sit, similiter, & sanguis cum acutus sit, & tenuis, melius per superiora educitur. Ideo quandoque uidemus naturam per eruptionem sanguinis narium, talem sanguinem euacuare, si uero crassius sit, commodius per inferius, aut per hæmorroidas educere oportet. Et hoc est, quod Hippoc. nos admonens dicebat. In hyeme uero cauendum à uomitu, in æstate uerò is maxime adhibẽdus est. In æstate enim multiplicatur bilis, quæ melius per uomitum educitur, cum leuis sit, q̃ per secessum. in hyeme uerò à uomitu cauendum est, quia eo tempore pituita in corpore abundat, quæ inclinationem naturalem sursum non habet. Scimus etiam serositatem sanguinis habere inclinationem, ut per urinas euacuetur. Natura præterea secundo modo intelligitur de facultate expul

trice

trice. Appellatur enim natura talis uirtus, ut declarat nobis ſapientiſsime Gal. capitur etiam natura quandoque pro operatione; nam quandoque naturam humoris talem dicimus, quia talem habet operationem. Si ergo naturam pro uirtute expellente intelligimus, debet medicus, cum uult euacuare, aduertere, quò uirtus expulſiua expellet humoris noxii naturam (miniſter. n. naturæ eſt medicus, ut dictum fuit) & ipſam irritare, præcipue cum recta operatur. Debemus ergo rectè uidere utrum uirtus expulſiua expellat materiam ad ſuperiora, an ad inferiora, an ad anteriora, an ad poſteriora, & ſi per conuenientia loca hoc facit, eò ducere oportet. Tertium, quod pro natura intelligendum eſt (quod potiſsimum debet à medico conſiderari) eſt conſenſus, ductus, & affinitas, quæ eſt inter locum affectum, in quo euacuatio fieri debet, & locum per quē euacuatio fit, ubi enim euacuatis, oportet q, conſenſum cognoſcatis partis euacuandæ cum parte, per quam fit euacuatio, uerbi gratia cum humor eſt in uenis meſeraicis uel in concauo hepatis euacuandus, & per inteſtina talem humorem euacuaueritis ſeruabitis tertiam iſtam conditionem, nam eſt maximus conſenſus concaui hepatis cū meſeraicis, & cum inteſtinis, & meſeraicarum cum inteſtinis, & ita cum ſeruatur conſenſus, quo natura uergit, & hoc eſt, quod in commento dicebat Galenus, q, conſenſus ſeruatur, dum fit recto tramite, ideſt per directum ad locum patientem. Iſta ſunt tria, quæ intelligi debent per illud dictum, quò natura uergit, & ubi iſta conuenerint, facillimam habebitis euacuationem,

ubi

ubi uero dissident, debetis animaduertere ad id, quod pluri mum urget, et est consensus uasorum, per quæ debet fie ri eductio, & si natura humoris inclinaret ad aliquam partem, & eò expelleretur à natura non esset tamen cõ sensus uasorum, per quæ debet fieri eductio, debẽs natu ra diuertere ad locum, ubi consensus sit partiũ, à qui bus et per quas fit euacuatio quod maxime oportet ani maduertere. Audiatis modo quæ sint loca conferentia, & quæ non. Illa dicuntur loca conferentia, quæ à na tura constituta sunt, per quæ fiat euacuatio ex singulis partibus corporis humani, sicuti, in omnibus concoctio nibus instrumenta molita, quibus excrementa unius cuiusque concoctionis expellerentur à corpore, & cum prima concoctio sit in uentriculo, dedit uasa, quibus cõ mode excremẽta primæ concoctionis extra corpus edu ci poßint, & sunt intestina, Secunda concoctio quæ fa cta est in hepate & in uenis, (nam non distinguitur concoctio uenarum, & hepatis, sed una & eadem est, apud Hippo. & Galenum, licet Arabes aliam esse po suerint) habet & ipsa propria loca per quæ fit euacua tio excrementorũ, et sunt renes, & uesica, per quæ edu citur serositas sanguinis. Tertia cõcoctio est, quæ fit in toto ambitu membrorum, et in ista multa etiam super sunt excrementa, quæ per cutim euacuari debebant, & ita natura instituit cutim, tum ad corporis ornatum tũ ut esset locus excremẽtorum omnium tertiæ concoctio nis, quæ expelluntur, uel per sudores, siue per difflatio nem insensibilem, quæ cõtinue in corpore nostro fiunt, ut patet ex sorditiis, quæ in pannis acquiruntur. Præ-

terea

tereasunt mẽbra particularia,quæ excretionibus par ticularibus egebant,ut caput in quo plurima aggregã tur excrementa,ideo natura prouidit, ut essent pluri- ma loca, per quæ possent talia excrementa euacuari, & sunt nares,palatum et ita uidebitis,quomodo natu- ra semper sollicita fuitut loca pararet, quibus excre- menta expurgari possent, sed quia nonnulla corpora, ut sunt mulieres propter excedentem frigiditatem,& humiditatem,& paucitatem exercitii pluribus redun dant excrementis,non solum dictis locis ad euacuanda excrementa contenta fuit natura,sed illis addidit loca per quæ quolibet mense excrementa sanguinis super- flui,tum quo ad quãtitatem,tum quo ad qualitatẽ eua cuarentur,& sic habetis loca,per quæ naturaliter ex- crementa expurgantur quandoq; natura etiam, ut cũ plurima excrementa multiplicantur in uẽtriculo quæ per inferius expurgari non poßunt, per uomitum eua cuat. Est & alia euacuatio,quæ media est inter natura lem,& eã quæ præter naturam dicitur,et est operatio hæmorroidarum,cũ scilicet sanguis craßior est,cũ ue- ro sanguis biliosus est,orificia etiam uenarũ à natura aperiũtur,ut talis sanguis educatur,& ideo bene dubi tant isti,num apertio hæmorroidarũ,si à natura facta est,sit ex toto genere ex euacuationibus præter natu- ram,& quo pacto naturales poßint dici euacuationes hæ,nam nonnulli ut fuit Dyocles, sudorem esse ex toto genere præter naturã uoluit, quoniam dicebat sudorẽ causari tantũ à causa præter naturam, existente.n.di spositione corporis,sicuti esse debet nunquã accidit su-

dor

dor sed excrementa illius tertiæ concoctionis, per halitum, digerũtur, sed quicquid sit, istæ sunt quæstiones alibi determinandæ, satis est, q̃ habebitis quæ sint loca, p quæ naturaliter fiunt euacuationes, siue simpliciter, et absolute naturales sint, siue quodã modo, sicuti cum natura nullo extrinsecus stimulãte euacuat per hæmorroidas, uel per fluxum sanguinis narium cũ ergo natura per conuenientia loca euacuauerit, & materiam impulerit, eò ducere uos conuenit, sed si loca conferentia nõ fuerint, etiã si reliqua omnia adessent, et q̃ natura humoris eò tenderet, & natura expelleret, non tantum nõ debemus eã adiuuare, sed diuertere. Iam autem audiuistis, quæ sint loca conferentia, ut intestina, uenter, uesica, uterus, cutis uniuersa, nares, & palatum respectu capitis, audiatis modo quæ sint loca non cõferentia. Duæ sunt conditiones quæ faciunt loca conferentia non esse, (dicit Gale.) primo si sint loca nobilia per quæ dum trãsit humor expellendus, longe magis nocumentum facit transitus per illas partes, quã ipsius euacuatio uerbi gratia circa conuexũ hepatis colligitur humor, qui euacuãdus sit, indicationes ferè æquales huius humoris habetis in euacuatione, nã & per sursum, & per deorsum euacuare possetis, eadẽ.n. ferè esset rectitudo, si sursum uel deorsum pelleretur, sed si sursum pellatur, non est locus conferens, ẽt si in eiusmodi casu natura humoris inclinaret sursum, & ea sursum expelleretur, stante.n. cõsensu nõ debet medicus pati, ut iste humor sursum uergat, sed uiolẽter deorsum trahẽdus est. Nã præter hoc q̃ petet partes supremas, sicuti cerebrum, quod pessimũ

est,

est, si postea euacuetur, maius tunc erit nocumentũ illatum ex transitu illius materiæ per membra principalia, quàm sit iuuamentũ, quod consequitur ex eius euacuatione, & hoc est, quod in quarta primi in capit. de euacuatione dicebat Auicenna, Caue cum euacues ne ꝑ membrum principale transeat humor, ista ergo est prima conditio. Secunda uero conditio est, quæ facit ꝙ locus conueniens non sit, est quando expelluntur excrementa, & ille effusionem non habet ubicunq; enim materia deuenit ad aliquem locum, ad quẽ cum deuenerit postmodum locus non reperitur, per quẽ euacuari possit talis materia, talis locus impetus est euacuationi, et hoc contingit, quando multa aquositas in hepate, uel intestinis aggregatur, expelliturq; in loco inter medio, inter peritoneum & intestina, & talis humor hidropem, & mala accidẽtia facit, quoniam materia illa expulsa fuit ad locum non conferentem, et quare? quia in tali loco, non est foramen, quo poßit materia illa educi. Istæ sunt duæ conditiones, quæ faciunt locũ nõ eße conferentem euacuationi. Si igitur omnia in unum conuenirent, facilem habebitis euacuationem, ubi uero omnia non conuenirent uidendum est, quòd locus sit conferens: secundo consensum habeant, et locus qui euacuaretur, & ille per quem fit euacuatio. Nam his duobus conuenientibus poteritis moliri euacuationem, quò natura uergit & ita iam apparet sententia Hippoccra. nam eò euacuandum est, quæ euacuare oportet, quò natura uergit per loca conferentia, & iam ratio ex dictis satis patet, nã ubi omnia quæ requiruntur adsunt,

facima

facillima est euacuatio, quam nos intẽdimus, & sic terminis intellectis ratio Aphorismi in promptu est. Sed quod in hoc considerandum est, una difficultas est utilissima ad praxin, & ad speculationem, et rectè animaduertite, ita enim explicite loqui intendo, ut nullum dubium in hac re uobis relinquatur. Galenus in cõmento inquit id, quod totiens alibi dixit, q maxime conferunt euacuationes eorum, quæ euacuari debent si fiant secũdum rectitudinem, superius hoc totiens repetiuit, nunquàm tamen declarauit, quæ sit ista rectitudo. Petrus Brissotus Gallus uir profectò doctissimus multa credit se fecisse in hac re, & se multum commendat, tanquàm quòd ueritatem inuenerit, & certe post ipsum uidi neminẽ, qui legi possit, ex recentioribus licet tot, tantasq; faciant distinctiones, ita ut se confundant, & minus de hac re intelligant, quàm Petrus ille intellexerit, qui & ipse nihil intellexit de eiusmodi re, sicuti clarissime ostẽdam. Videamus ergo quot modis rectitudo dicatur: nam ex hac distinctione unà cum natura rei deducam uos ad exactã istius quæstionis intelligentiam. Rectitudo quadrupliciter dicitur (uerum prius hoc uos scire oportet, q rectitudo est habitudo inter duos terminos) prima rectitudo est situs, quid autem per situm intelligendum sit? dico, quòd est quando unus terminus est in dextera parte, & alius terminus in eadem parte, alius modus rectitudinis est inter habitudinem, extremarum differentiarum localium, uerbi gratia, si unus terminus rectitudinis est in parte dextra quòd alius in parte sinistra, si unus sit sursum, alius sit deorsum, et

similiter de aliis differentiis, scilicet dextrorsum, & sinistrorsum, antrorsum, & retrorsum, tertius modus rectitudinis est qui per fibras est, & filamina, & iste fuit Achilles Petri, uerbi gratia accipiamus uenam magnam per quam fit euacuatio, rectitudo quæ accipitur per istam euacuationē, est quando ista procedit ab uno termino à quo scilicet ad alium ad quem sunt eadē stamina, & filamenta. Altera uero rectitudo est quæ dicitur consensus, & affinitas uasorum. ut dicimus quòd rectitudo est inter concauitatem hepatis, & intestina, quia ibi sunt uasa parata, et consentientia, ut euacuatio concaui fiat per talia uasa uenarum uidelicet meseraicarum. Est modo uidendum, de qua rectitudine intelligat Hippocrates dicit κατ' ἴξιν, & quando dicit Galenus secundum rectitudinem. Vt ergo ex Galeno elicimus (et si ipse hoc non dicat) si uolumus hoc considerare, oportet uidere per quas uias fiant euacuationes, & quot sint euacuationes. Euacuationis triplex est differentia, fit enim quando euacuatio materiæ educendæ à loco affecto, exempli gratia quando est apostema parte extrinseca et eam scarificamus, uel fomenta euaporantia apponimus, facimus euacuationem à loco affecto per ipsummet locum, & sic nullam aliam rectitudinem consideramus, cum ergo rectitudo sit, habitudo inter duos terminos, & hæc non sit habitudo, quia non sunt duo termini, ideo nec rectitudo quæritur, sed sola euacuatio, illud igitur κατ' ἴξιν, hic considerari nō potest. Duæ sunt aliæ species euacuationis, quæ est una quæ à propriis locis materiā deriuat & euacuatio

diriuans

diriuans dicitur, ut cum est affectus in parte aliqua, et quærimus propinquum locum, per quem materia peccans euacuetur, ut cum in meseraicis est materia euacuanda, eam educimus per intestina, quæ igitur est rectitudo in euacuatione deriuatiua? (nam quatuor modos rectitudinis posuimus) est ne prima rectitudo situs, quæ est, ut si locus affectus est in dextro latere, in eodem etiam euacuemus? Dico, q̃ semper eundem situm in deriuatione seruare debemus, nam si uolumus per deriuationem euacuare, ultimas loci differentias quærere non debemus, sed eundem situm, ut si in dextero latere est affectus, in eodem deriuemus, & ita secunda rectitudo quæ est per differentias loci oppositas non concurrit. Nunquid autem tertia rectitudo sit necessaria, quæ flaminum, et filamentorum est, uidetur eam prima facie necessariam esse quia dicebat Petrus ille, quod unaquæque euacuatio ex pulsu, & tractu fit, et ex principiis Galeni quilibet motus naturalis, ut est uentriculi, siue animalis, ut musculorum fit per uillos, & in naturalibus attractio fit per uillos rectos, & melior fit attractio, si eadem semper sint filamenta, à principio à quo, ad terminum ad quem, et ita uidetur necessariò cõcurrere ad deriuationem rectitudo fibrarum, et uillorum. Non dixerim ego hanc propositionem uniuersaliter prolatam ueram esse, sed indefinite tantum, nã in aliqua euacuatione sunt ista duo, et aliqua non ut postmodum patebit, concedatur tamen pro nunc, quod uniuersaliter sit pulsus, & tractus. Quantum autem attinet ad terminũ, à quo fit euacuatio, qui quidem est mẽ

brum affectum, uerũ est, ꝙ in tali loco est pulsus, quod proponitur à Galeno sæpissime, & præsertim in sequẽtis Aphorismi cõmento, dicit enim quòd euacuatio fit ex pulsu membri, à quo fit euacuatio. Certum ergo est, quod in membro, quod euacuatur, est uirtus expulsiua, & sic materiæ noxiæ à naturæ illius membri expulsio fit, non cum uillis longitodinalibus, sed circularibus, nã per uillos longitudinales fit attractio, distinguuntur enim adinuicem attractio et expulsio hunc in modum, quia scilicet attractio fit uillis longitudinalibus, expulsio uero circularibus, sicuti retentio obliquis efficitur mo do uilli circulares cum longitudinariis continuatio nem non habent, nec ita conuenire possunt, ut cum fit attractio, & expulsio, inuicem continuentur, cum sola linea recta talem continuationem recipiat ex eo quòd secari potest: circuli uero non, cum ex se ipsis perfecti sint, & ita non potest esse perfectus ductus, scilicet rectus fibrarum, quibus fit tractus & pulsio à membro à quo ad membrum ad quod terminatur. Sed loquamur modo (quod magis urget) de termino, per quẽ fit euacuatio. Nemini dubium est (dicebat Petrus ille) quòd tale membrum trahit. Debetis circa hoc scire, quẽadmodum dicebat Galenus, quòd euacuatio, quæ fit per pharmacum, componitur ex tractu, & pulsu, pellit enim mẽbrum affectum humorem noxium, & medicamentum trahit, sed non dixit Gale. ꝙ membrum attrahat, sed ꝙ medicamentum est illud, quod attrahit. Et ideo non uniuersaliter uerum est, ꝙ in omni euacuatione sit pulsus & attractus, sed tantum in illa, quæ per pharmacum

fit,

fit:nam membrum, cum recte se habet, non attrahit ad se excrementum alterius membri, sed ut habetur ex secundo De facultatibus naturalibus attractio est conuenientis secundum naturam in euacuatione autem supponitur, q; materia, quæ euacuatur, excrementosa sit, & ideo membrum, ad quod truditur excrementum ab alio membro non attrahit; sed medicamentum est, quod attractionem molitur, & quando unum membrum expellit suum excrementum (ut dicebat Gale.) membrum, ad quod expellitur illud non attrahit, sed statim ad expulsionem insurgit, & non cessat motus expulsionis, quousq; deueniat tale excrementum ad locum imbecillem, qui sui imbecillitate à se ipso expellere illud non poßit, aut deueniat ad locum, per quem extra corpus educitur. Et ideo non est dicendum, q; membrum attrahat excrementum, quod euacuatur, sed pharmacum est illud, q; ad se sui uirtute attrahit, ut tertio De tēperamentis, & quinto de simplici med. Vnde cum est in uētriculo medicamentum, uirtus attractiua eius superat, et obumbrat uirtutem attractiuam uentriculi, quæ tamen sibi conuenientia attrahit, ut secundo De facultatibus naturalibus declarabat Galenus, & est in causa q; excrementa ad uentriculum attrahantur, & in tali attractio ne fibræ rectæ non requiruntur, quia talis attractio non est motus naturæ, sed pharmaci. O melior fit attractio per lineam rectam, Dico uerū esse, sed nō fit per fibras rectas uasorum talis euacuatio, sed hoc contingit, quia natura in omni euacuatione breuiori, quo potest, compendio utitur. Tale autem compendiū

est per lineam rectam, nō circularem, ut alias ostendi. Quantum ergo ad attractionem, quæ fit per pharmacum, quod fit uirtute pharmaci, non fibrarum rectarū uerum dicebat, quod in omni euacuatione fit attractio, et id quod attrahit est membrum, nam dum fit euacuatio per missionem sanguinis, pars in qua uena secta est, attrahit primo ex necessitate, quia dū euacuatur, oportet quod in uacuo fiat repletio illius, quod euacuatum est, et sic semper in omni euacuatione fiet attractio, nā semper partes inaniuntur, partibus autem inanitis necessario in uacuo sequetur attractio ad illam partem. Notetis, quantum circa hoc decipiantur qui proferunt propositionem istam. Quòd à uacuo, dolore, & calore fiat attractio, nam ex his tribus solus Calor est, qui attrahit, nam q̄ uacuum attrahat falsum est, quia uacuū est priuatio, & non ens est priuatio, & non ens nihil attrahere potest cum non sit. Dicet quis, non dico quòd uacuum attrahat, sed quòd locus uacuus attrahit id, q̄ est sibi alimentum per suos uillos rectos, et ita huiusmodi attractio non est nisi alimenti, uult enim alimētū restaurari, quod destitutus fuit ex sanguinis missione. Dicendum itaque est, q̄ si membrum inanitum trahit, nō trahit excrementum, sed alimentum, & ut euitetur uacuum, nam hoc ordini naturæ repugnat & maximus est consensus partium trahendi inuicem. sicut etiam in mundo paruo contingit, ut una parte læsa, cæteræ etiā consentiant, et sicut cū aliqua particula in magno mūdo aufertur, ne detur uacuum, uidemus et grauia descēdere, & leuia ascendere, ita in corpore humano, ut euitetur

tetur uacuum tale, fit confluxus humorum ad partem inanitam, & ita dimittantur illi, qui dicunt, quod uacuum attrahit. Qui etiam dicunt dolorē attrahere decipiuntur, nam dolor non atrahit, nam actionis principium esse non potest, cum paßio, & symptoma sit consequens actionem agentis. Sed quid est, quod attrahit in dolore? Est sensatio tactus, quo stāte, necesse est, quòd calor & spiritus moueantur, & natura illius membri quod dolorem patitur, quærat alleuiationem, et sic trahat calorem innatum ad se, & per illum fortificetur, ut inimicum illud poßit expellere, ad quem calorem sequitur attractio sanguinis, & aliorum humorum, ex quo sæpißime contingunt apostemata. Et ita, ut redeamus ad rem nostrā, dico, ꝙ in euacuatione, quæ fit per mißionem sanguinis, non fit attractio à loco euacuato, sed confluit humor uicinus ad eam partē, ne detur uacuum, fit ergo attractio tantum excrementi, ut dicebat Galenus in commento sequenti, ubi pharmacum exhibetur, conueniunt enim in tali euacuatione motus humorum facti à medicamento, & expulsio naturæ, ita concocta materia facillima fit euacuatio, quia & medicamentum attrahit, & natura expellit. Non uideo itaque quomodo istæ fibræ rectæ immaginatæ à Petro ad euacuationem faciant siue rectitudo situs, & conuentus, et affinitas uasorum, ut scilicet à loco mandante terminentur ad locum, ad quem excrementa trahuntur. Tertia succedit euacuatio, quæ dicitur diuersiua, siue auersiua, quā, ut melius intelligatis, debetis animaduertere, ꝙ euacuationem diuersiuā uocamus quando est impetus

humoris ad unam partem, ut ibi plenitudinem faciat, uel abscessum, & medicus trahit ad partem oppositam, ut desinat fluxus illius humoris ad eam partẽ, ad quã inclinabat, quæ rectitudo requiritur in hac euacuatione, quia semper dicit Galenus quod oportet in euacuatione seruare κατ' ἴξιν. Nunquid autem illa eadem rectitudo seruetur in deriuatiua, quæ in altera euacuatione seruabatur, hoc optime annotare debetis, quia hinc dependent leges & Prophetæ. Dicebamus quod in deriuatiua euacuatione requirebatur rectitudo situs, ut si in parte dextra sit affectus euacuatio per eandem partem facienda erat, requirebatur quin etiam conuenientia siue aduentus uasorũ. Euacuatio autẽ auersiua est quæ ad oppositam partem fit, & ad longinquum, sed quæ rectitudo seruatur in huiusmodi euacuatione? manifestum est, quòd non seruatur rectitudo situs: requiritur ergo rectitudo, quæ est inter extremas differẽtias terminorũ localium ut si locus affectus sursum est trahatur materia deorsum, si ante retro, si dextrorsum, sinistrorsum, & semper integra diameter seruatur, non duæ, ut docebat Auicenna, & his differentiis nõ seruatis, euacuationem diuersiuam non facietis. Verum nunquid aliæ rectitudines requiruntur? nũquid rectitudo situs nequaquam, ut diximus, quia per hanc differentiam potißimum distinguitur deriuatio à diuersione. Deriuatio enim eundẽ situm seruat ut si affectio fit in dextro latere: euacuationẽ faciatis in eodem latere, diuersio autem (ut dixi) ob hoc potißimum à deriuatione distinguitur. De rectitudine fibrarum iam dictũ est, quòd

quòd non uideo, quomodo seruantur ista filamenta in euacuatione. De rectitudine autem, quæ est affinitas uasorum, dico, quòd in diuersione simplici non requiritur, cum scilicet trahamus materiã sursum in deorsum & à dextro in sinistrum, & ab ante ad retro, nã raro reperitur in tali euacuatione connexus uasorum, natura enim quantum potuit, corpora ipsa distinxit. O dicet quis uidetur hoc esse cõtra Hip. et Galenum, qui diuersiones faciunt in pleuritide, & apostematibus intrinsecis ab eodem latere. Dico, quòd sum et uolo esse cum Hippo. & Galeno, sed uolo, quòd illi intelligãtur sicut intelligi debent. Quotienscunq; Galenus simplici diuersione utitur (simplex autem diuersio est quæ nihil aliud habet, nisi quòd diuertat, & hoc etiam præseruatione maxime seruatur) differentias oppositas seruare intendit, & ob id dicebat in libello De mißione sanguinis, quòd cum quis est aptus ut in podagram incurrat, ineunte uere mißionem sanguinis adhibere debet. Aliquando autem copulãtur ista duo deriuatio scilicet & diuersio, & hoc est in morbis acutis, in quibus si tãtum diuertere uoluerimus, auxilium aut nullum, aut tardum erit ualde, & hoc dicebat Galenus, & Hippoc. in secundo De ratione uictus, quando dicebat Hippo. q; in pleuritide ab eodem latere mittendus est sanguis, nã si sectio uenæ ab opposito fieret, remedium uel tardũ, uel nullum fiet quoniam non est tempus diuersionis, nõ enim oportet assuefacere naturam ad locum oppositũ, quia morbus instat, et ideo simul diuertere oportet, ne morbus augeatur, & deriuare, quia periculum est in

mora ideo, in eo secundo libro præcipiebat Hippoc. ut in tantũ procederet mißio sanguinis, quod immutetur sanguis & rationem reddebat Galenus, quia locus, in quo est affectus, euacuatur, qui quidem locus repletus est sanguine corrupto, & ideo tantum debemus sinere ut sanguis exeat, quousque immutetur, quòd autẽ per talem sanguinis mißionem diuertere uelit, patet, quia inquit, quòd humor ad oppositam partem ducendus est & quòd etiam uelit deriuationem, manifestum est ex eo quòd dicit, quòd debemus intantum mittere sanguinem, quousque immutetur, oportet ergo quandocunque euacuamus aliquem morbo aliquo affectum locũ propinquum eligere, nam ex tali loco manifesta fit deriuatio, fit etiam ad oppositam partem diuersio quodã modo à dextro in sinistrum, uel à sinistro in dextrum, iã enim suppositum est, quòd in deriuatione seruatur rectitudo situs, & uasorum, magis autem rectitudo uasorum conueniet, stante eo, quòd Galenus cognouit quod uena sine pari à dextra ramificatur, & rami ipsius ueniunt, ut omnes costas præter quatuor superiores nutriant, & hic oritur, q̃ ut plurimum pleuresis fit in ferioribus ratione illius uenæ ad ipsas descendẽtis, sed quicquid sit, in hoc amplius me non intromitto. Audiuistis Vesalium, quomodo uoluerit uenam illa supra cor ramificari, et deinde mittere ramos ad omnes alias costas, uerum ista pro nunc dimittantur. In acutis ergo morbis, deriuamus, et diuertimus, in cronicis autem diuersione utimur, & uideatis Gal. pro ista diuersione facienda, nam cum affectio est in altero pede, uena alterius

terius secãda est, ut natura assuescat materiã cò trans mittere. Audiuistis itaq; quod in omnibus euacuationibus quæ rectitudines seruãdæ sint, et quæ nõ, et ex his distinctionibus uideatis quam uariæ sint istorum quæstiones de mißione sanguinis in pleuresi, alii enim uolunt, q; secetur uena eiusdem lateris, alii, q; oppositi lateris secetur, & qui ab opposita parte sanguinem mittunt, nesciunt distinguere inter deriuationem, & diuersionem, qui autem tenent, quòd ab eadem parte sanguis sit mittendus, & hi quoque nesciunt, quid dicant, ex mille tamen falsitatibus aliquam proferunt ueritatem ignorantes ueras rationes, in sequenti modo aggrediar Aphorismum. Sed unum prius uos admonitos eße uolo, quia dixi, quòd neque uacuum attrahit, neque labor. Nonnulli fuerunt, qui quasdam fabulas scolaribus persuadere quærunt suasq; afferunt authoritates, q; hoc præcipuum habent, quas tamen non intelligunt. Accedant ad me isti, qui suas authoritates habent & ipsis ostendam, q; nihil faciunt cõtra dicta à nobis, Dixi & repeto, q; est impoßibile à uacuo, uel dolore fieri attractionem tamen propter affinitatem quandã quia ubi uacuum, ibi fit attractio: & ubi est dolor, similiter ibi est attractio, consueuimus dicere dolorem, & uacuum attrahere, non quod reuera attrahant, sed hæc sufficiant, ut sitis admoniti, ne suis authoritatibus uos detineant.

Concocta

XXII.



Oncocta Medicari, atque moue-re, non cruda, neque in princi-piis, modo non turgeant, pluri-ma uero non turgent.

Iste Aphorismus cum præcedentibus sic optime con tinuatur. Audiuistis, quemadmodum in isto capite, q; incipit à 20. Aphorismo pertractat Hip. de euacua tione corporum, quæ medicamentis perficitur, cum in tractatu præcedenti egisset quemadmodũ recta uictus ratio tã in sanis, quàm ægris constituẽda eßet et quia circa corporis euacuationẽ quinq; debet obseruare, qui cunque recte euacuationẽ moliri uoluerit, quorũ pri mum est, ut humores, qui sunt euacuandi eligat, secũ-do, ut per quas uias hi euacuandi sint consideret, tertio tempus euacuationi commodum debet eligere, quarto quantitatem, quinto debet comtemplari, an uiæ para-tæ sint et apertæ, per quas attractio à medicamento fie ri debet, nam et si sint omnia alia recte disposita, præ-terquàm quòd uiæ apertæ sint, in maximum dispendiũ incurret ægrotans ex assumptione pharmaci, sicut cũ maxima calamitate mortua est nobilißima mulier illa ueneta, cuius causa uenetias acceßeram, nam interclusa habebat intestina ex multitudine excrementorum in-ter uentriculum et rectum intestinum, manserat enim per 16. dies, quod non habuerat beneficium uentris,

ad

ad quod non aduertentes medici illi dederũt sæpißime pharmaca soluentia, ratione quorum maior semper materiæ fiebat attractio, et inde maior semper obstructio sequuta est, & tandem periit, Cum ergo ista quinque essent aduertenda ab eo, qui corpora purgare uoluerit Hippoc. optime egit in 20. Aphoris. qui essent humores, qui euacuãdi essent, & per quæ loca docuit in 22. Aphorismo. Tria capita supererant, primo ut sciremus quando, deinde quantum, ultimo utrum uiæ apertæ sint. Quando itaq; euacuandum sit in præsenti docet Aphorismo, quantum autem sit euacuandum, edocebit in sequenti, & usque ad finem istius particulæ reliquũ perficiet. Incipit ergo Hip. docere quando sit euacuandum in isto Aphorismo hunc in modum Concocta medicari, atque mouere non cruda &c. Notetis istũ Aphorism. qui si recte fuerit declaratus, & à uobis intellectus infinitæ dubitationes, quibus moderni isti inuoluuntur, soluentur, ut nulla difficultas uobis incidat, & si quis cum argumentis ad uos accesserit omnia facillime soluetis, antequàm autem Aphorismũ exponamus, oportet prius uoces declarare, in quibus maxima ambiguitas est, et primo uideamus, quod sit illud concocta: codex græcus habet πέπονα ꝙ quidem non est ideo, quod concocta, sed matura significat. Audiatis itaque quid sit concoctio, & quæ ad concoctionem reducuntur. Concoctio nihil aliud est, quàm actio caloris naturalis in humido & sicco. Sunt enim istæ duæ qualitates pasßiuæ (ut in quarto metheororum dicebat Aristoteles) quæ actionem caloris suscipiunt, onde

unde in concoctione nihil aliud est, nisi quòd calor naturalis (nam nullus alius calor agit ad formam introducendam, quàm calor naturalis) agit in humidum, q sicco permistum est, nam quod solum modo humidũ est à calore non concoquitur, sed corrumpitur, ubi uero fit concoctio, oportet q tria sint ista, quod scilicet illud quòd agit, sit calor naturalis, & agat in humidũ sicco permistum, & quòd calor deducat ad aliquam formam humidum istud sicco permistum, quòd si aliquando aliquod istorum deficiat, non erit concoctio, sed aliqua species cruditatis cõcoctioni opposita. Debetis insuper scire quemadmodũ istæ concoctiones secundum diuersas formas, et diuersum agendi modum diuersas acquirunt determinationes, et tales diuersæ cõcoctiones non sunt species cõcoctionis (ut nonnulli crediderunt) sed modi diuersi cõcoctionis. Primus modus appellatur nomine generis, et dicitur cõcoctio, quæ proprie est in alimẽto, cum cibo oblato calor naturalis in prima, secunda, et tertia concoctione agit in humidũ certam formã inducens, et hæc ex quarto De ratione uictus in acutis cap. de medicamentis commento 44. nihil aliud est, nisi mutatio substantiæ nutrituræ in nutritum secundũ qualitatem, iste est primus modus concoctionis, q autem sit concoctio, palàm est, quia tres conditiones dictas habet. Secundus modus concoctionis dicitur maturatio, & hæc proprie in fructibus reperitur, dicuntur enim maturari fructus, et talis maturatio est concoctionis modus, quia tria sunt in mutatione, actio primo est caloris naturalis existens in fructu, & arbore, ex qua

semper

ſemper fructui calor ſuggeritur, ideo ſi fructum ampu tatis, tandiu concoquitur, quandiu calor reſtat, quem contraxit à planta poſt modum areſcit, ideo bene dicebat Euãgelium, Palmes fructum nõ faciens excindatur à uite, et exſiccetur, et in ignem mittatur, ſecundo fructus habent propriũ humidum, quòd concoquitur ſimi liter cum ſicco, et terreo, et ad unam certam formã deueniunt. Vnde p̃ abuſionem et methaphoram purulenta apoſtemata, et humores crudi dicuntur maturari: nã licet in ſubiectũ nutriti conuerti non poßint, quia tamen ſimilitudinem quandam habent cum concoctione fructuum, nam calor innatus terminans in illo humido agit ita, q̃ tale humidum ducatur ad quandã formam, ut ad pus, ideo hæc maturari dicuntur, et nomen habent pro priũ maturationis, licet terminentur ad pus. Tertia cõ coctio fit his quæ exterius in aqua concoquuntur, ut carnes & omnia, quæ elixantur, et appellatur elixatio, quòd autem hæc ſit concoctio patet, habet enim tres cõ ditiones requiſitas, & primo calorem conuenientem tali concoctioni, nam calores in omnibus cõcoctionibus æquales non ſunt, habet & proprium humidum, ob q̃ ad formã res elixandæ deducuntur. Quarta concoctio dicitur aſſatio, quæ fit à calore igneo, nõ humido, ut in elixatione, non eſt tamẽ calor ille torrefaciens, ſed aſſans, differunt .n. aßatio, et torrefactio quia torrefactio fit à calore penitus igneo, aſſatio uero à calore aliquã tulũ humido. Contrariæ autẽ ſunt poſtmodum his cõco ctionibus cruditates, quæ omnia poteſtis p̃ uos uidere in fonte ſcilicet in quarto metheororũ ab Ariſt. explica

ta

ta ubi, de omnibus pertractat, ista tamen, quæ dixi non ita explicite uidebitis, ut ego explicaui, oppositas uero his cruditates nunc prosequi propositum mihi non est, sufficit enim mihi de his tantum habuisse sermonem. Omnes autem istæ concoctiones in corpore nostro reperiuntur, nam per assationem ferè ossa fieri uidentur sanguis uero per elixationem quandã similiter de aliis duabus dicendnm est, prima enim est alimenti, secunda est furunculorum, & apostematum, Isti sunt quatuor modi propriæ concoctionis, præter quos nullus alius datur. Verum quis statim dubitabit, dixisti concoctionem omnem à calore fieri naturali, contra, cõcoctio fit etiam à calore febrili, & ab extrinseco calore sicut patet de fomentis, quod autem fiat ab huiusmodi calore febrili est authoritas Hippocratis & Galeni quinto Aphorismorum 71. ubi dicit Hipp. A quartanis capiti non admodum conuulsione capiuntur, rationem reddebat Galenus in cõmento dicens, quòd à calore febrili humores concoquuntur, & inde quartanarii non ita facile conuulsionibus capiuntur quòd autem à calore extrinsecò fiat concoctio, est authoritas eiusdemmet. Galeni in eadem 5. particula Aphorismo. 22. & Hippocr. siue Polybus 4. De ratione uictus iubet cum calidis fomentis materias concoqui quæ crudæ sint. Notetis circa hoc, ne implicemini, dicimus enim quod concoctio semper à calore naturali fit, sed iste calor naturalis (ut notauit Aristoteles 4. metheorum, qui & ipse hanc uiderat difficultatem) sæpe per balnea concoctione adiuuatur, non quod cõcoctio à balneo fiat, sed quia

quan-

quandoq; calor naturalis concoquere aliqua ex causa deficit:ideo calor balnei hunc adiuuat calorem, ut recte concoquere poßit,sicut cum est furunculus maturādus,& propter caloris debilitatem non poßit maturari,debetis tunc calorem adiuuare,ideo Gale. præceptū est,q; cum similes affectus maturare uolumus calida, & humida applicemus,quæ tamen in calore primū gradum non excedant,quia calor excedens resoluet calorem innatum,secundo admonet,q; talis caliditas uisciditati sit adiuncta,quia oportet(inquit)quod calor naturalis retineatur,non difflctur,quia tunc impotens redditur ad maturandum materiam, quæ facit apostema, quando etiam calor febrilis dicitur concoquere materiam,non est calor febrilis,qui concoquit,at naturalis, sed bene cōtingit,quod ob multitudinem materiæ id efficere non poßit,& huiusmodi calor febrilis per accidens adiuuat calorem ad concoctionem, & ideo calor naturalis semper est ille,qui concoquit,& si aliquando modo ab extrinseco, modo à febrili adiuuare desideret. Et hæc sunt de concoctione proprie dicta, notetis modo abusionem sumendi concoctionis nomen scilicet improprie,ob q; moderni quidam in multas difficultates incurrunt (fuerunt enim maximi uiri,& legerunt in cathedra ista cum stipendio mille aureorum)& coacti sunt dicere aliud eße concoctionem medicorum, & aliud esse concoctionem philosoph. quasi, quòd natura duas habeat concoctiones, alteram, quam pro medicis reseruat,alteram, quam philosophis accommodat, & ita decepti sunt. O scitis unde, quia nesciebat con-

coctionem à præparatione distinguere, nam quando pituita attenuatur, aut abstergitur, & quadam acrimoniabilis temperatur, dicebant, quòd omnes tales operationes concoctiones sunt, & tunc faciunt suas dubitationes, utrum omnis concoctio incrassando procedat, nam semper uerum est, quòd omnis concoctio incrassando procedit, quia calor naturalis semper humidum resoluit, & quia isti non distinguebant concoctionem à præparatione, intricarunt se in quæstionibus à quibus difficillime euadere possunt. Scimus nos ex Aristot. & Galen. q cibus ubi assumitur in primis in uētriculo, ad minima diuiditur, talis diuisio concoctio non est, sed præparatio. Dico ergo, quod quando medicus uel natura pituitam attenuat, aut abstergit, talis abstersio, & attenuatio non est concoctio, sed præparatio, & cum bilis fit ἐπικρᾶσις idest contemperamentum, talis contemperantia, quam toties in libr. Thera. laudauit Galen. non est concoctio, sed adæquatio, ideo oportet distinguere præparationem à concoctione, nam præparatio modo attenuat modo incrassat. At oportet, q concoctio non habeat nisi illas quatuor species, in quibus semper incrassando procedit, & ita his habitis soluere poteritis omnes dubitationes de concoctione emergentes relinquendo eos in suis æquiuocationibus. Accedamus modo ad propositum concocta medicari melius iaceret matura sicut iacet & litera græca, & antiqua translatio, sed hoc non multum refert, dum modo concoctionem pro maturatione intelligatis medicari hoc declarauit Galenus in commento, & miror,

ror, quomodo ex tot dictis difficultatem habentibus solum duo declarauerit medicari scilicet & turgere. Debetis scire, quod apud græcos hoc nomen pharmacum (nam contextus græcus habet φαρμακεύειν) amplam continet significationem & apud istos, quæ eleganter loquuntur accipitur pharmacum pro ueneno, tamen à medicis, ut declarat tertio de simpliciter medica. Galenus, accipitur pro omni re corpus nostrũ alterante. Verum cibus à pharmaco distinguitur, quia cibus est res, quæ in substantiam nutriti uertitur, medicamẽtum uero non, quod etiam duplicis generis est: alterũ quod tantum alterat, alterum uero ultra hoc purgat etiam, cum ergo medicamentum poßit ista duo significare, semper Hippoc. accipit medicamentũ pro medicamento purgãte sicut sententia erat Gal. 2. Aphorismorum 37. dixit mouere non cruda. Notetis, quia nemo partem istam exposuit, dixerat enim concocta medicari, postea dixit, atque mouere non cruda, illud non cruda est quid indeterminatum, terminus enim infinitus est, quia nihil certi ponit sub hac dictione non cruda, nec ea, quæ cõcocta sunt, nec ea, quæ cruda sunt intelligere possumus, nam cum dico non homo, quod uis præter hominem intelligi potest, nam talia nomina infinita semper participant utriusq; extremi, & si quid de cõcocto, & de crudo participat poterit dici nõ crudum, nam nec perfecte coctum est, nec omnino crudum sicuti cum de aliquo homine dicimus, quòd homo non malus est, intelligimus, quòd neque simpliciter bonus est, neque malus. Optime itaque animaduertatis circa

hanc partem quia uidebitis, quantum errent omnes cō muniter practicantes. Declaremus etiam particulam hanc Mouere, plus enim est mouere, q̃ medicari, oportet ergo medicari cocta, & mouere non cruda. Declaremus quid per cruda intelligat. Notetis, quid per crudos humores intelligamus, humores nanq; uel proprie crudi dicuntur, uel improprie idest absolute siue in relatione ad aliud, & quod tale est, uere tale dicitur, sed quod per relationem tale est, non uere tale dici debet, sed in comparatione tantum humoris, ergo crudi quandoque tales absolute dicuntur, quandoque per participationem, absolute crudi sunt sicuti dicebat Galenus, qui ita permanserunt ex alimento, ut nihil fecerit calor in eis, sicut sæpe contingit, quando uidemus in urinis craßitiem quandam referentem farinæ speciem, et tales humores à pituita distinguuntur, quoniam pituita flatulenta est, & tenuis, & liquida, & hoc dicebat Galenus in primo De alimentis cap. de tritico, humores uero per relationem crudi dicuntur, exempli gratia pituita non dicitur cruda absolute, quia à natura intenditur, sed in comparatione sanguinis, in ipsa enim calor naturalis deficit, & hæc mea non est, sed Galeni imaginatio quarto De tuenda sanitate paulo post principium, ubi ponit sanguinem medium esse, ita q; factus sit à temperato calore: deinde ponit cruditatem unam, quæ est, eo quia calor naturalis perfecte materiam non deuincit, sicut est in pituita, ponit & alterā cruditatem ratione exceßus caloris naturalis, & tunc humor crudus etiam dici potest, ubi etiam uoluit, q; in

extrema

extrema cruditate infiniti sint gradus, ut quandoque humor crudus per defectum caloris in tantum in cruditate procedat, & frigiditate, q̃ omnino præter naturã fiat, sicut est phlegma uitreum, quemadmodum etiam alterum cruditatis extremum ob caloris excessum diuersas habet differentias, ut quandoq; tales humores præter naturam fiant, sicuti sunt species bilis et de hac duplici cruditate habetis etiam octauo methodi quam Galenus nidorosam & acidam uocat. Neque in principiis &c. Debetis scire id, quod in primo De crisi declarabat Galenus, et sæpißime à nobis dictum fuit, tripliciter accipi principium uel pro illo induuisibili in quo incipit morbus, de quo parum medici curant, uel pro primis diebus uel pro eo tempore in quo non apparent signa concoctionis, Modo non turgeant. Declarauit Galenus quid sit materiam turgere, & dicit, quòd ea turgere dicuntur, quæ instimulantur, & incitantur: ad aliquid agendum, ita quòd se continere neque ante: ὀργᾷν enim est apud nos feracticum esse, cum scilicet quilibet ira: & furore se continere non potest, ideo melius fuißet, si contextus dixisset, modo dum furiosa non sit, sed siue turgere: siue furere uolueritis dicere, nihil refert, dum modo habeatis uerum sensum. Declaratis uocibus, accedamus ad Aphorismi declarationem. Concocta medicari atque mouere &c. Primum præceptum est: quòd concocta medicari debemus, secundo quòd mouere debemus non cruda. Primo declarabimus primum præceptum, postea secundum. Iam audiuistis, quomodo per medicari pur-

gans medicamentum intelligit, per concocta non intel
ligit ea, quæ sub prima concoctione reponuntur, nam
ista in substantiam concoquentis conuertuntur, & nu
triunt, & talia euacuanda non sunt, sed intelligit quæ
sub secunda concoctione, scilicet maturatione existunt,
& ideo recte dicit codex Græcus πέπονα, idest matu-
ra. Ista autem concocta siue matura sunt humores ma
turi, qui debent euacuari, sicut in abscessu, cum mate-
ria est concocta, debet incidi. Est. n. proportionalis
maturatio humorum in uenis existentiũ maturationi,
quæ fit in abscesßibus ex 2. De crisi, & 2. De differen
tiis febriũ cap. 6. Debẽt ergo medicari ea, quæ cõcocta
sunt sed quare tantũ quæ cõcocta sunt euacuãda? Gal.
in cõmẽto rationẽ aßignat, & est talis. Videmus natu
rã, quam imitari debemus, non euacuare materiã, nisi
cum concocta fuerit, et tunc cum materia cõcocta est,
plura habemus adiuuantia nos ad euacuationẽ nã na-
tura fecit separationem boni à malo, secũdo habemus,
ꝙ tũc temporis natura insurgit ad expellẽdã materiã
ita quòd cum damus pharmacum, tale ad se materiam
trahit, & concurrit attractio pharmaci, & expulsio
naturæ, & ita uidetis, quam commode euacuamus, cum
sunt materiæ concoctæ. Idem & clarius dicebat Gale-
nus quarto Aphorismorũ 22. ubi habet, quòd in omni
euacuatione tria fiunt, primo natura concoquit, secun
do separat bonum à malo, tertio expellit noxium, &
iste est ordo naturæ. Sed si nos cum medicamento pur
gante ab expulsione, incipimus, uideatis, quàm præpo-
stere incedamus, trahimus enim id quod nec concoctum
est,

est,neque separatum à bono. Idem quarto De ratione uictus 44. dicebat quòd si uolumus materiam non concoctam educere,duo facimus,primo calorem concoquẽtem resoluimus, secundo concoctionem impedimus, & nihil euacuamus . Quod concoctionem impediamus, ostendit, quia concoctio quiete fit, ideo natura usa est cõtentiua facultate ad concoctionẽ nam contentiua tandiu continet materiam quandiu concocta est, quã medicus purgante medicamento trahit, ac mouet, & sic concoctionẽ impedit, secundo impedit, quia concoctio fit à calore innato,medicamentum uero purgans, resoluit corrumpit, & frangit calorem innatum tertio nihil euacuat,quia natura materiam continet, & longe plus potest natura,quàm medicamentum, et tunc cum pharmacum euacuare non poßit materiam sanguinem colliquat , ex qua colliquatione insequitur maximum corpori dispendium, medicari ergo oportet concocta ob dictas rationes. Hippocrates cum hæc dixerit, dat secundum documentum longe diuersum à præcedenti & est hoc: Et mouere non cruda Audiuistis declarationem uocum, & primo quemadmodum mouere differt à medicari, nã medicari est pro purgare, mouere uero pro quoquomodo agitare humores,uel crassefacere, uel eos attenuare ut prouocare urinã uel sudorem,& reliqua huiusmodi,& sic mouere longe plura continet sub se quàm purgare,& similiter, quòd y nõ cruda erat quid indeterminatum,est enim terminus infinitus,ut dicunt logici, & idem est dicere apud Hipp. maxime,non cruda,quod si diceremus magna ex parte

concocta, sicut exponebat Galenus *in eo Aphorismo.* Acutorum morborum non omnino certæ sunt indicationes *Exponebat ipse* Non omnino certæ. *Id est ut in pluribus, ita non cruda ea quæ maiori ex parte concocta sunt. Sensus ergo præcepti secundi talis est, quod mouere humores oportet, qui omnino crudi non sunt, itaque nec ultimã concoctionem expectare debetis, cum uultis crassefacere, uel attenuare, uel per urinam & sudores expellere, nec materia cruditatem extremam obtinere debet: opus ergo est mouere non cruda eo modo intelligendo, quo diximus, quando scilicet semicocti sunt humores. Verum hic occurrit dubitatio, uidetur enim hoc esse contra id, quod faciunt quotidie practicantes, qui quotiescunque humoribus crudis occurrunt, statim quærunt eos humores, si tenues sunt, crassefacere, si crassi sunt, attenuare, aut per uias urinæ aut sudoris expurgare. Quicquid faciant isti practicantes, qui ciuitates circuunt, non teneor ego eorum rationem reddere, sed illorum, qui recte scripserunt, & non discedam ex hac cathedra, q, omnes, qui inter primos annumerantur, ut Sauonarola, & alii, ad ea præcepta, quæ ego uobis dicturus sum, animaduertisse facile ostendam. Dicimus ergo primo, quòd quæ cruda sunt, noo debetis mouere, neque cum attenuantibus, neque cum incrassantibus, longe minus cum prouocantibus urinam uel sudorem, & qui secus faciunt, contra* Hippocr. *præceptum agunt. Quantum autem ad crudos attinet humores, qui mouendi non sunt, intelligo ego humores crudos cruditate*

cruditate absoluta, qui distinguuntur ab omni genere pituita, sicut sententia fuit Galeni tum alibi sæpissime, tum etiam in primo De alimentis cap. de tritico, tales enim humores tenues non sunt, nec fluxiles, unde in urinis horum humorum sedimenta quædam apparēt simillima farinæ, præterea nullam determinati humoris formam habent, sed tantum, succi quidam sunt ex cibis geniti, nō pituita, non sanguis, nec aliquid aliorum. Vbi igitur adsit talis cruditas, nullus erit adeo fatuus, qui uelit horum humorum primo uel attenuationem, uel incrassationem, uel euacuationem, per urinam, aut sudorem aggredi, sed statim concoctionem aggredietur. Verum dicet quis ex iunioribus, & forsam ex prouectioribus non intelligo, quid per concoctionē intelligas, & quæ instrumenta adhibiturus es ad concoctionem, quando attenuabis uel urinam aut sudorem prouocabis accurro alicui, qui talibus refertus sit humoribus doce me, quomodo tales humores concoquendi sunt. Audiuistis iam supra, quemadmodum concoctio fit à calore naturali: qui mitis suauis et blādus sit atque elixatus, si ergo calor iste naturalis defuerit, applicabis, uel exterius, uel interius ea quæ calida sunt et humida in primo gradu, quorū humiditas mitis est ac blanda, nō ea, quæ acria sunt, & hoc ut calorem naturalem adiuuetis, quo possit facere concoctionem, & hoc est, quod in libro De missione sanguinis dicebat Galenus, quòd cum mittendus est sanguis et crudis humoribus uenæ refertæ fuerint, abstinendum est à uenæ sectione, & Auicenna in prima quarti eandem sen-

tentiam habebat, ubi admonet, quòd cum ſanguis mittitur, caueatis, ne hominem ad humorum cruditatem deducatis, Galen. autem loco allegato dicebat, quòd ubi ſunt huiuſmodi humores, tunc calida medicamenta temperatiſsimæ tantum caliditatis exhiberi debent, & cauendum eſt acrioribus, cuius rationem afferebat, quæ admodum in intellectu difficilis eſt, clarior tamen reddetur à nobis. Dicit enim quòd ſi acriora applicabitis reſoluetis uirtutem, et eam cadere facietis, nec illa ſufficiet amplius perdurare, quoſq; materiam concoquat, & ſe declarauit Galenus in quarto De ratione uictus commento 44. ubi docet, quomodo humores crudi concoquendi ſunt, & inquit, q. ubi humores crudos concoquere uolueritis calida temperate adhibenda ſunt, non acria, quia huiuſmodi acria duo potisſimum faciunt, quæ concoctioni aduerſantur, nam cum concoctio fiat cum quiete, ſecundo cum calore, qui incumbens humoribus quieſcentibus concoctionem celebrat, tum ex medicamentorum acrium exhibitione humores agitantur, & calor non poteſt recte ipſos cōcoquere cum in ea requiratur quies, ſecundo diſſoluitur calor innatus, & redditur igneus, à quo humores putrefiunt, ſicuti ab eodem miti exiſtente concoquebantur, & ex conſequenti diminuitur uirtus, calor enim uel eſt ipſa uirtus, uel uirtutis inſtrumentum, Audiuiſtis itaque quēadmodum applicare ea, quæ acria ſunt, & humores agitantia, fit uirtutis reſolutio, unde dicebat Gal. cum Hippocrat. in eo 4. De ratione uictus, quòd cum crudos humores mouemus, frangimus corpus, & idem dicebat

ipſe

ipse in 4. De tuenda sanitate, quod cum in corpore huiusmodi humores crudi reperiuntur, neq; mouendum est, neq; cibandum, neque attenuandum, neque incrassandū sed sinere ut quiescat, & dormiat corpus, et solū fomētis uti mitioribus ad caloris innati auxiliū. Humores ergo crudi nullo modo mouēdi sunt, si sunt crudi cruditate absoluta, & hæc quidem manifestißima arbitror nisi quis acutioris ingenii adhuc dubitet. Tu dicis humores crudos non esse mouendos, & addis, quòd tantū cum benignioribus calefacientibus concoquendi sunt, quod expresse Gal. aduersari uidetur in 5. De tuenda sanit. ubi docet crudos humores concoquere, qui in uentriculo reperiuntur, & exhibet diatrion pipereon, & piper. Dico quod non uidebitis, quod ipse exhibeat, aut cinamomum, aut zinziberem, aut quid cōsimile, quod uiscosam substantiam habet, in qua caliditas existens non ita cito euaporat, et rationē attendatis, quoniā si calor naturalis debet concoquere humores crudos, oportet, quod uirtus ipsius sit passo proportionata, nam agens non agit, nisi à proportione maioris inæqualitatis. Supponitur itaque, quòd humoribus crudis existētibus in uētriculo, ut plurimum contingit calorē naturalem esse debilitatum, ita quòd humores concoquere non poßit, & oportet medicum tunc temporis ipsum calorem adiuuare, & quo modo hoc fiet? Nempe cum calefacientibus, unde cum huiusmodi calida exhibeamus, intentio nostra tantum est, ut calor naturalis adiuuctur, quò concoquere poßit, & ideo ea calida eligemus, quorum calor cito delitescit, antequam poßit humores illos attenuare,

tenuare, aut distribuere sui calore, & quia calor piperis cito euanescit, ita quòd non percingit adhoc, ut humores crudos attenuare poßit aut distribuere, sed tantum calorem uigorat innatum, ut aptior reddatur ad concoctionem. Ideo recte piper & diatrion pipereon exhibitum fuit à Galen. & hæc sunt dicta ipsius, dum exhibeant diatrion pipereon, dicit enim q; non dubitauit de exhibitione ipsius, quia calor innatus à caliditate piperis iuuatur, humores autē crudi nec attenuātur, nec distribuūtur à calore piperis per corpus, quia cito euanescit, sicuti etiam 7. De sim.med.ca. de zinzibere dicebat. Vnde in 5. illo De tuenda sanit. admonet inquiens. Caue ne exhibeatur diaclamentum, & diapoliticon, nā & si à calore istorum calor naturalis magis roboraretur, & magis fortior euaderet, quam à calore piperis, uel diatrion pipereon, tamen non ita uiscosa conueniunt, quoniam eorum caliditas operari nō desinet, quousq; agitauerit humores crudos, et distributionem ipsorum fecerit per ambitum uenarum, quod maxime uitandū est, Et ex dictis modo colligatis uerā responsionem, cur ista sint exhibenda: illa uero non nā piper et diatrion pipereon non faciunt concoctionem, sed adiuuant calorem innatū, ut promptior reddatur ad celebrandam concoctionem, ut est etiam sententia Aristot. 4. metheororum, quòd & si concoctio non faciat à balneo, adiuuat tamen ipsam, uiderat enim & ipse difficultatem istam. Vbi ergo calor innatus à medico adiuuari debet, calor ille qui calorem innatum adiuuat, debet esse facillime solubilis, quia si tenax et durans

rans esset,agitaret humores crudos, & calorem inna-
tum,sicut patet.Et sic conclusio ista sit,q; crudi humo-
res non sunt attenuandi,nec incidendi, nec alio quouis
modo mouendi sed concoquendi sunt.Et hinc est,q; pra
cticantes,qui recte mederi uolunt,& sciunt, cum uide
rint redundantiam horum humorum crudorum iu-
bent,ut corpora quiescant,& se à cibo abstineant , hoc
enim modo calor optime concoctionem celebrat. Et
hoc ita esse nobis natura ostendit,in nocte enim melior
fit concoctio ratione quietis,& uidetis, q̃ sagax fuerit
natura,quæ ut concoctionem optime celebraret indi-
gens quiete facit uirtutem contentricem,quæ cibum de
tinens in causa esset,q; calor optime posset illum com-
plecti & uincere . Alia est cruditas non absoluta ,
sed per relationem,pro cuius declaratione Gal.propo-
nit sanguinem (ut nihil melius imaginari poßet)
qui solus est perfectus inter humores & medium quod
dam existit,& declarat deinde extrema,in altero quo
rum ex una parte sunt humores crudi, qui ad formam
sanguinis non deuenerunt ratione imbecillitatis calo-
ris innati,& tales dicuntur humores defectuosi , &
sunt humores omnes pituosi.Sum autem in isto extre-
mo plures gradus,est enim pituita quædam, quæ pro-
xime accedit ad naturam sanguinis, & est pituita dul
cis,est alia,quæ magis recedit à natura sanguinis, quæ
incipit acescere,& quædam,quæ adhuc magis recedit ,
& sic deinceps,quousq; ad pituitam uitream deueni-
mus, quæ cum frigiditate summa aciditatem coniun-
ctam habet.Est alterum extremum,in quo sunt humo-

res

res crudi per exceßum, nam nedum tales humores formam sanguinis attigerunt: sed eam exceßerunt, ita q. assati fuere, ut bilis, & atra bilis. tam enim humor melancolicus, quàm bilis fiunt ex sanguine uehementer calefacto, bilis quidem ex tenuiori sanguinis parte, atra uero ex craßiore, ut secundo De differentiis febrium docet Galenus, Videtis ergo hos humores, qui crudi sunt ad duo extrema uergentes per relationem ad sanguinem, tanquàm ad medium quoddam. uidistis autem quomodo humores crudi absolute non sunt mouendi, quæritur modo utrum hi humores crudi per relationẽ mouendi sint ante concoctionem, ut si quis abundet pituita, quæ non est cruda absolute, possum ne mouere talem pituitam ante concoctionem, ut aut attenuare, uel incraßare, uel per urinam uel sudorẽ euacuare? uideo enim medicos practicantes, q. cum accedunt ad ægros laborantes ægritudines pendentibus ab huiusmodi humoribus, exhibent medicamenta, & mouent non expectata concoctione. Dico quòd in istis humoribus crudis ex quocunque genere pituitæ non debetis mouere aliquo genere motus, nisi concoctionem habueritis, & hoc est Hipp. præceptum: Sed quare nõ debetis hoc facere? Audiatis rationem & communis est ratio, nã certum est, quòd cum isti humores crudi sint, ueniunt concoquendi, & palàm est ex præcepto Galeni 4. Aphorismorum 22. quòd non debetis humores agitare, nisi concocti sint, ita enim natura facit. Nos uero qui ipsius ministri sumus, naturam imitari debemus, natura autem primo concoquit, secũdo separat, tertio euacuat.

ouat. Sed si ante concoctionem mouere uoluerimus, separationē præpostere operaremur. Præterea si uolueritis humores crudos mouere, sequētur incommoda superius dicta, quia concoctio fit quiete, & à calore, cum medicamentis autem uestris calorem naturalem dissoluetis, præterea uidetis hoc ab omnibus tam autiquioribus, quàm recentioribus obseruari. Incipiamus ab antiquioribus, à Galeno. Videatis quid dicat ipse locis allegatis, admonet enim, ut caueatis à prouocantibus urinam, & sudorem materia existente cruda, & ideo in principio omnium febrium uinum prohibet, nam in principio nec attenuandum est, nec distributio facienda est per corpus, uinum autem ista facit, ubi uero humores semicocti fuerint, uinum tenue (inquit Galenus) exhiberi habet, quia attenuat, & educit per lotium, ita quòd adiuuat naturam, ut poßit id, quod superest concoquere. Moderni hoc idem præcipiunt, nam cum febris est à pituita putrescente, cauere iubent, ne à fortioribus syrupos incipias, nam augebis cum his febrem, at consueuerunt rationē huius explicare, quia materia præcipitatur ad aliquam corporis partem, & in causa est, ut maior fiat obstructio, & inde febris augeatur. Vnde ipsi primo, non exhibent syrupos attenuantes, uel incidentes, aut incrassantes, sed concoquentes tantum, ut mel rosatum, & facta aliqua concoctione, tunc accedunt ad syrupum acetosum compositum, & de cicorea, legatis omnes rationabiliter practicantes uidebitis, q͂ non incipiunt à syrupis uim mouendi habentibus, sed concoquendi tantum, quare mouere ea tantum

debemus,

debemus, quæ semicocta sunt, & cum incidentibus, & incrassantibus, aut diureticis, sicut opus est. Sed hic aliquis quæreret, quæ est ratio, quod semicocta mouenda sunt. Dico, quod optimum opus facietis sic procedentes, ratio est, nam cum natura concoxit, & separauit materiam aliqua ex parte, medicus cum diuretica dat, & incidentia, pars concocta separatur ab eo prorsus, quæ concocta non est, & quod concoctum est, expellitur à medicamentis illis diureticis, & incidentibus, & tunc natura sublata materiæ parte, fortior remanet super residuum materiæ, uerum quis dicet, calor innatus nonne est per singulas corporis partes, ita ut æqualiter possit concoquere, quomodo imaginaris, tu quòd sit una pars concocta, & alia non? Videtur enim quod omnes materiæ partes æqualiter debeant concoqui. Dico, quod uerum est, quòd idem calor in omnibus partibus materiæ reperitur, sed materia eterogenea est, sunt enim semper quædam materiæ partes rebelliores ad actionem caloris suscipiendam quædam minus rebelles, & hoc uidemus etiam in concoctione, quæ fit in uentriculo, præterea in abscessibus hoc manifestissimum esse apparet, & in furunculis, quòd una pars ipsarum maturatur, alia permanente cruda, quod non aliunde prouenit, nisi ratione diuersitatis partium materiæ facientis furunculos, & abscessus. Nonnulli uolentes hoc augere dixerunt, quòd Auicenna idem sensit in cap. de febribus quotidianis, quòdq; uoluit ipse febres quotidianas hunc in modum esse curandas, materiam, scilicet earum paulatim concoquendo, & paulatim euacuan-

cuan-

cuando, donec perfecta fiat concoctio, morbiq; solutio. Præterea chirurgici hoc idem faciunt, cum uiderint abscessum maturum in aliqua parte, illum incidunt dicentes, quòd tunc natura erit fortior supra residuum materiæ. Verum dubius sum de Auicenna, sed uideamus primo de chirurgicis utrum recte faciant. Notetis, q; hoc ipsi faciunt, fundamenta uero non intelligunt. Sum igitur dubius de Auicenna (ut dixi) utrum recte operetur, nec ne, sed de chirurgicis sum certus, quòd perperam faciunt hoc modo operantes, & putantes se naturam adiuuare, & contra hoc primo est authoritas, secundo ratio, Galenus in decimo quarto Therapeut. expresse dicebat, maxime errant qui abscessum incidūt maturum in ultima parte, & in altera crudum existē tem, & ratio est (inquit ipse) quia habetis simplicem abscessum partim maturum, & partim crudum, si ex ea parte, qua maturus est eum incidetis, nunc erunt duo affectus(prius autem erat simplex affectus) qui ducunt medicum ad opposita simul operādum, nam necesse est, quòd maturet, & exsiccet, & abstergat, ratione quidem uulneris facti debet & exsiccare, & abstergere, ratione uero eius, quod crudum est, debet maturare, quæ duo opposita sunt, & quandoque ex istis duabus intentionibus exequendis peruenit membrum ad putredinem. Isti etiam chirurgici aliud efficiunt, nam illius abscessus concoctio à calore innato fit, sed ubi facta est solutio continui calor naturalis offenditur, ut tertio methodi dicit Gale. ubi reddit rationem, quare maior fit abundantia excrementorum, ubi est solutio

continui (& inquit) quia calor ex tali solutione debilis fit, & euaporat. Non est autem id, quod faciunt isti chirurgici, simile ei, quod diximus de humoribus semicoctis in uenis existentibus, nam humores isti in uenis reperti, qui semicocti sunt, moueri possunt cum diureticis, & incidentibus, & hoc absque caloris debilitate, quinimmo calor naturalis ab his magis corroboratur. Sunt ergo abscessus æqualiter concoquendi, priusquàm incidantur, nisi à materia furiosa & pestilenti fuerint, aut in membro aliquo principali infixi, quia tunc scarificaremus timentes putredinem in illa parte, ne scilicet membrum deducatur ad cancrenam, aut aliquod consimile, materia adhuc cruda existente. De Auicenna uero, qui paulatim concoquit, & paulatim euacuat animaduertatis, quòd si intelligit de euacuatione, idest de prouocatione urinæ, aut sudoris, dico, quod optima est sententia ipsius, & ipsum quoque seruare potestis, si non intelligit de purgatione per medicamenta lenientia, sed per pharmacum electiuo educens, & attrahens, non recte dixit, neque uos debetis ita euacuare, nisi materia concocta sit. Quòd si materia concocta sit, & natura in tempore debito non euacuat, debetis uos hora motus eius, sicut dicebat Auicenna medicamento purgante uti. O, dicet quis quando exhibeo medicamentum purgans, uolo, quod est concoctum, nõ quod est, crudum educere, tametsi semicocta materia sit. Dico, quòd cum materia semicocta est, concoctum à inconcocto separatum non est, & ideo medicamento purgante uti non debemus, sed bene attenuantibus

nuantibus medicinis, nam quando humores semicocti sunt, & pharmacum exhibetur, oportet, quòd electiue trahat (de hoc enim nunc loquimur) & sic concoctum, & crudum commouebit, & attrahere tentabit, & erit forte debile tale medicamentum (ut dicebat Auicenna) intelligendo per medicamentum debile, medicamentum, quod in sua propria natura acre est, & efficax ad attrahendum, ut scamoneum, turbith, coloquintida, & similia, debile tamen dicitur, quia in tam parua quantitate exhibetur, ut licet forte & acre sit, tamen parce operetur. Qua ratione persuasus est Auicenna, ut crederet nullum sequuturum incommodum immo iuuamentum ex tali euacuatione. Sed notetis, quòd ipse fallitur, primo quia tale medicamentum non conuenit eo quòd non est adhuc facta separatio concocti à non concocto secundo, quia si tale medicamentum debile erit, trahet quidem materiam, sed illa remanebit in uiis ductuum, & ibi corrumpetur, si uero medicamentum efficax sit, trahet quidem, sed concoctionem impediet, ut dicebamus agitando materiã, et dissoluendo calorem præterea talia medicamenta uenenosa sunt quæ distinguebat Mesues à medicinis benedictis inquiens, quòd purgantia medicamenta electiue uenena sunt cum quibus tanquàm uenenis oportebit, si exhibeantur, naturam insurgere ad dimicandum, & sic relinquet concoctionem, præterea in tali pugna calor naturalis resoluetur, uel fiet igneus, et ita igneus ad putredinem faciet, non ad concoctionem. Ideo nunquam debetis purgante medicamento uti, nisi materia concocta fuerit,

& hoc est, quod in 2. De ratione uictus habetis Galen. ubi dicebat, Hip. quod si ad hypocondria tendit dolor, solutiuo medicamento utendum est, dicit Galen. in commento 2. quantum hoc obseruandũ sit, non uideo, quia si medicamentum purgans sit in minori quantitate, quàm debet esse nihil educet, sed tantum commouebit, sin maius, sequetur incommodum magnum. Quare dicendum est Auicennam errare si huiusmodi habet sententiam, quòd autem huic consentiat, uideatis eum in prima quarti cap. de febrium quotidianarum, et in cap. de cura febris quartanæ dicentem, quòd debemus in huiusmodi longioribus ægritudinibus paulatim concoquere, & paulatim euacuare, ita quòd concoquamus partem materiæ peccantis, deinde illam euacuemus, & hoc est quod facit difficultatem, nam bene concessimus nos, quòd semicocta moueri possunt & cum attenuantibus, & incidentibus, & his, quæ sudorem & urinam prouocant, sed dubitatio erat de medicamẽtis purgantibus, uidetur autem ipsum expresse esse contra Hippocrat. dicentem, Concocta medicari, non semicocta. Dicit enim Auicenna paulatim materiam esse euacuandam, & paulatim concoquendam, & ita non expectat ipse perfectam materiæ concoctionem. Nec possumus ipsius dicta extorquere, quòd intelligat de his, quæ attenuãt, aut per urinam uel sudorem ducunt, nam sententiam suam expresse declarauit, quid sentiat inquit enim quòd cum medicamento forti debili semicocta euacuare debemus, quod pessime ab eo dictũ esse satis ostendimus. Ista est Auicennæ sententia, quam

quidem teuere non possumus nec ea quæ iam diximus, qui a aliter sentiremus ab Hippocrat. & Galeno, & ideo animaduertatis quia dicam, quod sentio, uobis de inde liberum erit iudicium, ut teneatis, quam partem uolueritis. Dico itaque quòd concocta medicari oportet, & nunquàm nisi perfecta sit concoctio medicamento purgante uti debetis, sicut sententia erat Galeni 4. Aphorismorum 12. ubi exponebat, quòd perfecta ea est euacuatio, in qua cum natura humorem con coxit, & bonum à malo separauit, nisi ea quodãmodo impedita materiam expellat, medicamento purgante utimur, nam duo habebimus (inquit) in tali euacuatione conferentia, naturam uidelicet expellenttem, & medicamentum attrahens, præceptum etiam fuit Auicennæ tale quòd si natura nihil moueat hora motus eius, moueas tu. Cur ergo dicis Auicenna semicocta medicamento purgante esse educenda? non ne tibi ipsi cõtra dicis? præterea nonne multa illa incommoda superius enarrata contingent? Non nego tamen quòd medicamentis bene istis uti poßitis cum materia semicocta est, ut syrupo rosato solutiuo ex infusione, & caßia, et reubarbaro, & si quidam crediderint, quòd reubarbarum electiue trahat, cum tamen ipsum posuerit Mesues, qui euangelista in praxi dicitur, inter medecinas benedictas, certum autem est, quòd medicinas istas à reliquis distinguit per hoc, quòd aliæ electiuæ trahunt è corpore humores, benedictæ uero, non. His ergo tutò poteritis uti quia naturam iuuabitis ex sublatione materiæ concoctæ ut fortior euadat ad reliquum conco-

quendum, purgantibus autem nunquam utimini. & dicet quis exhibui ego aliquando medicamentum purgans materia semicocta, & alios medicos exhibere uidi, quibus optime successit euacuatio. Scitis quare hoc contingit? Quia sicuti dicebat Auicenna, Fortuna facit eorum operationem fœlicem propter robur illius, cui tale medicamentum exhibent, nam isti cum semel rusticum sanauerint, uel robustißimum aliud corpus, tali curationis modo interficiunt postea centum bonos uiros, & ideo ea experiri non debetis. Ista sunt quae erant dicenda de humoribus crudis euacuãdis, qui erãt crudi per deffectum, sed ut absoluamus totam hanc materiam, maior superest dubitatio de humoribus crudis per excessum soluenda, & primo debile loquendũ est. Dicet ille doctißimus scolaris, non uidetur, quòd in hoc mihi satisfacere poßis: certum enim est quòd bilis ipsa mouetur, antequàm concoquatur, nã & alii deueniunt primo ad refrigerantia, ut in erisipelate refrigerantibus utuntur in principio, modo frigida non concoquunt, quia concoctio fit à calore, non à frigido. Dico, quòd cum in principio huiusmodi frigida adhibemus, longe melior fit concoctio, quàm si adhiberemus calida, dixi enim quòd concoctio à calore naturali fit, sed ubi bilis aut in toto, aut in aliqua corporis parte dimittatur, ibi est calor igneus, qui non est aptus ad concoctionem, sed adurit: oportet ergo talem calorem ad ἐπικρᾶσιν id est ad temperiem reducere, quam adeo laudauit Galenus in libris therape. cum quo autem deducetur ad temperamentum iste calor? cum suo opposito, quod

est

est frigidum, cum frigidis igitur reducendus est talis calor igneus ad temperiem, nam aqua feruens ad temperiem reducitur per aquam frigidam, nō quòd aqua frigida habeat ex sui natura temperamentum inducere, infrigidat enim aqua frigida ex sui natura, uerum ex actione mutua caliditatis & frigiditatis aqua feruens ad temperamentum deducitur, ita dominante bile, aut in toto, aut in parte aliqua corporis, calor igneus est, qui non est aptus ad concoctionē, sed adurens, ideo contemperari debet, contemperatur autem optime cū frigidis, sicuti dicebamus etiam, quòd existentibus in corpore humoribus crudis per defectum exhibemus ex intentione Galeni calida quandoq; in tertio à quibus non fit concoctio, ea tamen adhibemus ut adeo calor innatus per eorum uirtutem uigorari poßit, quòd excedat frigiditatem eorum humorum, & ita in eos agens ipsorum uincat frigiditatē. Vbi ergo in principio morbi à materia cruda per excessum pendentis exhibemus frigida, bene facimus, quia calorem reddimus temperatum, & cum hoc sumus felicißimi, nam simul cū tali medicamento concoquimus, alteramus: et morbum tollimus, & hoc est quòd à Galeno 12. methodi habetis, ubi de doloribus, qui in uentriculo & intestinis fiunt à materia calida, sermonem habet, dicit enim quòd si oppium exhibuerimus, simul dolori, & causæ obuiabimus, & ita habetis quomodo omnia facillima sunt. Quæritur modo ubi iste humor biliosus redūdauerit, cum subtilis sit, nunquid liceat ipsum euacuare sine cōcoctione. Sunt qui tenent, quòd possumus ita euacuare,

& habent Rasim pro suo fautore.uult enim Rasis, q̃ humor biliosus nulla facta concoctione euacuetur,nam quid obstat, (inquit)quo minus euacuari poßit ? cum attractio à medicamento fiat, & quanto subtilior est humor,tanto facilius attrahitur,quid ergo expectandũ est? Non oportet, ut in impugnatione istius opinionis insistamus, nam Auicenna huic quæsito optime satisfacit in prima quarti cap.7.ubi de cura febrium in generali loquitur,inuehitur nanque contra Rasin, & propter sui modestiam (nobilißimus enim fuit) eum non nominat,et talis fuit eius consuetudo, ut raro illius uiri nominis,quem carpere intendit, mentionem faciat,ibiq; contra eum quàm optime disputat, & inquit,quòd iste homo incidit in hanc opinionẽ ex ignorantia fundamentorum Hippocrat.& Galeni,nam eorum fundamenta sunt(& uidebitis, quomodo rẽ optime intellexit Auicenna, & postmodum oppositum facit,cum paulatim concoquat,& paulatim euacuet) q̃ non debemus,& si humor ille biliosus subtilis sit, ipsum sine concoctione præmissa euacuare, sed cum euacuatur,oportet, quòd separatus,& à natura præparatus sit,at cum humor biliosus non est concoctus, est ad mixtus cum aliis humoribus,et si uis ipsum euacuare, non iuuabit natura ad expulsionem, quia adhuc non separauit, cum nondum concoxerit talem humorem, & ideo parum euacuabis, & uim inferes naturæ & eadem sequentur incommoda contra Rasin, quæ adducuntur ab Auicenna,quæ etiam nos contra Auicennam adduximus,et hoc satis debile sit,quomodo sit euacuanda.

euanda. De humore etiam melancolico certum est, q. non debet moueri, nisi appareant signa concoctionis, quod in quartanis uideri licet, nescio autem num quartanarios curari uideritis à cõmuniter practicantibus, nam cum syrupis suis attenuantibus et incidentibus curare uolunt, non apparentibus signis concoctionis, unde ex una quartana faciunt duas, & si ulterius cum suis medicamentis procedunt faciunt tres quartanas, & hoc optime sciuit Orator ille excellentißimus Imperatoris, quem ex una quartana deduxerunt ad tres nec prius curatus est, quàm cessauerit uti medicamentis illorum medicorum. Audiuistis de Eudemo peripatetico, de quo Gale. in libris prognosticorum agit quẽadmodum quartana laborabat, et cum Theriaca medici illi eum curare ceperunt, quæ humores mouebat, eosque agitabat, & per totum separabat, ut tandem ex una quartana ad plures deductus sit, quem eundem casum ego uidi in Oratore illo illustrißimo, oportet ergo mouere non cruda. Hoc etiam modo quæritur existis, quæ diximus, utrum liceat in principio morbi facere minorationem, ita enim sunt intricati in huiusmodi quæstione, ut impoßibile nobis appareat talem quæstionem recte determinare, cum tamen facillimæ sit solutionis, altercantur doctores in cathedris, & uolunt se interficere in determinatione huius quæstionis. Videamus autem nos, quid dicendum sit, & primo oportet scire quid per minorationem intelligatur, nam nisi hanc uocẽ determinaueritis, digladiabimini semper in æquiuocatione, nam si uos per minorationem alui

ſubductionem intelligitis, ut ſenſus ſit, nunquid in principio morbi aluum ſubducere liceat, uno modo reſpondebo, ſi uero per minorationem, euacuationem per pharmacum electiue dicens intelligitis, alio modo reſpondebo. Si ergo pro minoratione uultis ſubductionem alui. Dico quòd minoratio ſic intellecta eſt neceſſaria, & primum, quod debetis facere, eſt lenitio uentris, & præceptum eſt Hippocrat. in 2. De ratione uictus, quòd in prima uiſitatione cibum exhibere non debeatis, niſi aluus prius ſubducatur, & enumerat multa incommoda, quæ ſecus facientibus eueniunt. Quòd ſi ante cibum oportet aluum ſubducere, quanto magis ante purgationem, uel uenæ ſectionem, uel conſimilia? Et quo(dicetis uos) fiet iſta ſubductio? Dico cum clyſteriis, & cum flore caßiæ, nam caßia (ut dicunt moderni) nihil aliud eſt, quàm clyſter uentriculi, ſicut enim clyſter per inſtrumentum illud immißum inteſtinorum eſt, ita caßia uentriculi, & dum dico caßiam, intelligatis cætera omnia lenientia: inter quæ eſt hiera, quam dicebat Galenus non pertranſire uenas meſaraicas, niſi ſit in magna quantitate. Et quare hoc debetis facere? Quia ubi quis in morbum incidit, cum humores malos, at prauos per totum corpus diſperſos habet, tanto magis uentriculum & inteſtina, quæ his ſemper abundat, ueriſimile eſt excrementis eſſe repleta. Ideo quid aliud exhibere poteſtis, quàm illud quod materias iſtas communes appellatas, quia ſunt in his locis communibus, euacuet? nam

niſi

nisi tales humores euacuaueritis, distribuentur hi per uenas, & maximum inferent nocumentum. Præmissa autem tali lenitione, debetis accedere ad mel rosatum, non ad syrupum de calendula, & de liquiritia, et fomētis ex floribus camomillæ uti, & similium, quæ calida sunt, & humida in primo, donec signa concoctionis appareant: quibus apparentibus ad attenuantia, & incidentia, & ad urinam cientia, & sudores prouocantia deueniendum est. Deinde concocta materia cum lætitia, & artis laude uidebitis à natura crises fieri, quas isti se nunquàm uidisse inquiunt, scitis quare? quoniam naturam impediunt cum suis medicamentis, ne crisis fieri posit. Ista sunt semper à nobis obseruanda, & ita si per minorationem intelligatis subductionem alui assero quòd hunc in modum minorare debetis. Sed si per minorationem partis materiæ peccantis euacuationem intelligitis, dico, quòd tunc euacuāda sunt solum concocta. Quicquid autem restat de huiuscemodi quæstione in Aphorismo uigesimo quarto declarabimus, quia & ille locus magis proprius erit, uolui tamen hoc dixisse, ne uos anxios relinquerē, et ita præsens Aphorismus cōpletus est accedamus modo ad alterum.

XXIII.



DEiectiones Non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt & ægri facile tolerant. Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger poßit tolerare.

ISte Aphorismus, ut recte continuetur cum præcedentibus Aphorismis debetis meminisse (quòd supra dixi) in qualibet euacuatione facienda per pharmacum quinque esse necessario consideranda, primo quinam humores sint euacuandi, secūdo per quas uias, tertio quomodo, quarto quantum sit euacuandū, quinto an uiæ per quas deducitur, id quod euacuatur, sint apertæ. Addatis & sextum, quod est necessarium, quã do sint humores euacuandi. Ista sunt sex consideranda in ipsa euacuatione, quemadmodum docuit Auicenna in quarta primi cap. de euacuatione, & in prima quarti cap. 7. ubi loquitur de curatione febrium generali. & idem habeatis à Galeno in illo libro quos & quibus oportet medicamentis purgare, si modo ille liber sit Galeni, nam aliàs memini me uobis dixiße, quòd liber ille est Oribasii. Sex ergo illæ conditiones habent proprias indicationes, nã ut habetis ab Aristotele in libris ethicorum, una quæq; actio humana habet proprias indicationes, quibus manifestatur, quò nam sit

dirigenda

dirigenda. Circa hanc últimam conditionem quando scilicet humores sunt euacuandi, habuistis, quod erant considerandá diligentissime corpora inquirendo indicationes, quæ sumuntur à natura membrorum, nam si sit homo, qui euacuandus sit habens uentriculum debilem, iste non facile feret euacuationem, sumuntur etiam indicationes à temperatura corporis, & habitu ipsius, de quibus omnibus egit in Aphorismo 17. similiter etiam de aliis conditionibus agens declarauit, quomodo sumerentur earum indicationes. Super sunt tantum duæ conditiones uidelicet quantum sit euacuandum et utrum uiæ, per quas humor nocuus educitur, paratæ sint, de prima agit in præsenti Aphorismo, de secunda aget in altero. Agamus ergo de illa conditione quantum sit euacuandum. Ista habet suam propriam indicationem, quemadmodum & reliquæ prædictæ conditiones. Antequam autem istam explicemus debetis prius hoc unum scire, quòd quantitas illius, quod euacuatur, duobus modis considerari poterit, uno modo antequàm euacuationem aggrediamur, alio modo post ipsam euacuationem, & in ipsamet euacuatione. Quod autem ostendit quantitatem ante euacuationem, est quãtitas humoris peccantis. ubi enim iste plurimus est, & redundans, ibi plurimum debere fieri euacuationem indicatur, si modo uirtus cõsentiet, quia, ut pluries dixi, ipsa est, quæ limitat euacuationem, de ista quantitate ante euacuationem, quæ à multitudine sumitur, sermonem habuit. Hippocrat. in eo Aphorismo. Habitus exercitatorum &c. Reliquum mo-

do

do erat agere de quantitate secũdo modo uidelicet post euacuationem & in ipsa euacuatione quæ suam habet indicationem distinctam à quantitatis indicatione primo modo dictæ, quæ indicatio est tolerantia uirtutis simul cum qualitate humoris euacuandi, si enim uultis esse medici, debetis circa quantitatem secundo modo dictam considerare, primo qualitatẽ istius humoris, qui debet euacuari, nunquid ipsa sit talis, quòd indicet, quãtum sit euacuandum de illo humore, secundo debetis uidere, an uirtus toleret euacuationem illius quantitatis & in hoc stat punctum, quoniam euacuandum est quantum uirtus tolerat, & animaduertatis in hoc, q Hipp. non dixit in contextu, considerandam esse quantitatem humoris, sed qualitatem, & uirtutis tolerantiam, quoniam (ut dicebat secundo prognosticorum loquens de excrementis) quantitas humoris euacuandi ex se nullam habet indicationem, sed talis quantitas, quæ secundum qualitatem, illius humoris euacuandi, & uirtutis tolerantiam limitatur. Videmus enim multos ægrotantes tantillum egerere, tamen quãtitas illa, licet pauca sit, male fertur à uirtute, aliquando emittitur quãtitas magna, ut uiginti libræ, quæ cum sit secundum qualitatem congruam, uirtus bene tolerat ipsam, & ita quantitas sine relatione non est existimanda, sed debet referri ad uirtutem, & qualitatem, quare cum estis in actu practico, & uultis uestros ægros purgare, primo debetis considerare, an ille humor, qui euacuatur, sit ille, qui debet euacuari, secundo per quas uias, tertio nunquid ex illa euacuatione uirtus subleuetur,

tur, & quousq; toleret, cum autem incipit uirtus ipsam non tolerare, tunc debetis talem supprimere euacuationem, quia tunc signum est, quòd illa quantitas ad uirtutem relata est superflua. Sed hic statim dicet iunior, quomodo sciam, quando uirtus incipit talem euacuationem non tolerare? Hoc modo cognoscetis, scitis enim quòd euacuatio exsiccat maxime ipsum corpus, & præsertim uentriculum, cum ille sit primus, qui euacuationem recipit, & propterea dicebat Galenus 7. Therapeuti. plurimas tabes incipere ab ipso uentriculo, quoniam ipse est primus, qui exsiccationem recipit, propterea cum euacuatio superflua est, tunc ægri incipiunt sitire ratione euacuationis, non ratione symptomatis, quoniam scimus nullum adesse symptoma, quo tanta sitis educatur, & ideo cum adest illa sitis, tunc signum est, quòd euacuatio incipit superfluere, & hoc est, quod dicebat Hippocrates in quarto, Aphorismorum decimonono. Qui medicinis purgati non sitiunt, non quiescunt, priusquam sitiant. Sensus Aphorismi est si quis medicamento fuerit euacuatus, si post euacuationem non sitiuerit, tunc signum est, quòd non ex toto humor ille euacuatus fuit; neque ex toto exsiccatus, nam si uentriculus fuisset ex illo humor exsiccatus, tunc adesset quædam sitis, hoc est signum ab Hippocrat. positum, quòd si dabitur occasio, ut illum Aphorismum interpretari poßim, super illum multa dicam necessaria, licet à Galeno locus ille optime interpretetur. Cum ergo ægri inci-

piunt

piunt sitire, tunc euacuatio perfecta est, & uirtus non amplius tolerat euacuationem, si uero non apparuerit sitis, & uirtus toleret euacuationem, tunc tamdiu eam dimittatis, quàm diu ipsam uirtus tolerabit, præcipue si talia purgentur, qualia purgari oportet, & ista est tota istius Aphorismi sententia, legamus ipsum. Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ &c. *dicit primo* Deiectiones. *Deiectio nihil aliud est, quam illud, quod per aluum deiicitur, ut sonat eius nomen.* Propterea *merito quis posset dubitare, nunquid aliæ euacuationes debeant has conditiones habere, quas habet deiectio quæ per aluum fit, debemus ne in aliis ut puta in missione sanguinis circumscribere quantitatem humoris, qui euacuatur non absolute (ut dixi) sed respectu qualitatis, & tolerantiæ uirtutis?* Dico, *quòd debemus, sed quare* Hippocrat. *(dicet ille) dixit deiectiones?* Dico, *quod contextus* Græcus *dicit* τὰ χωρέοντα, *idest quæcunque recedunt à corpore, ideo si consideretur litera græca, non oportet mouere istam dubitationem, quoniam* Hippocrat. *in sua lingua usus est uocabulo uniuersali, licet iste interpres* Leonicenus *uerterit illud nomen deiectiones.* Sed *possumus ipsum excusare, quoniam animaduertit sensum* Aphorismi, *erat enim sermo de euacuatione, quæ per* Pharmacum *fit quod quidem per secessum euacuat, & propterea, ipse fuit usus uocabulo illo.* Deiectiones *uniuersali.* Regula *ergo tradita in* Aphorismo *est uniuersalis in quacunque euacuatione, sed subiungit.* Sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt. *Hoc ani-*

animaduertatis q; qualitas dupliciter dicitur: primo de forma ſubſtantiali humoris:ſecundo de forma accidentali,ſolemus enim formam ſubſtantialem qualitatem appellare,hic pro utroque ſumitur ſignificato, & niſi utrunque intelligeremus: Aphoriſmus pateretur plurimas inſtantias: & tunc erit ſenſus: quod euacuatur,debet eſſe bene coctum:& oportet: quòd ſit leue: & habeat reliqua, quæ pertinent: tum ad formam ſubſtantialem,tum accidentalem, quemadmodum dixi ex ſecundo prognoſticorum. Hactenus habetis: quomodo quantitas ſit menſuranda ratione tolerantiæ uirtutis: nam cum uirtus ex euacuatione illius humoris releuatur:tunc illa euacuatio facile fertur ab ipſa:& ille humor euacuatur taliter, qualiter oportet. Et quia loquuti ſumus de uirtute oppreſſa: propterea notate:unum, quod licet ſit incidentaliter dictum:tamen non erit inutile, quòd uirtus dupliciter læditur:aut per ſuffocationem:aut per reſolutionem: & quia in pulſu maxima reperitur conuenientia inter has duas læſiones: ob id Galen. 2. De cauſis pulſuum,& 2.De prognoſticatione ex pulſibus hanc afferebat diſtinctionem, quomodo ſcilicet per pulſum cognoſceretur:quando uirtus eſt aggrauata: & quando reſoluta:& dicebat ipſe:cum tangitis pulſum imbecillem:debetis expectare multas pulſationes, quæ ſi fuerint æqualiter debiles:ita quòd una non ſit fortior reliqua,tunc dicetis uirtutem eſſe debilem per reſolutionem:ſi uero premendo arteriam: & expectando plures pulſationes:& poſt aliquas pulſationes detur una

 fortis:

fortis, tunc signum est quòd uirtus debilis est propter aggrauationem, nam uirtus, cum opprimitur, quæ-rit alleuiari, & insurgit, & sic in pulsu facit istum fortem motum, postmodum ob imbecillitatem cadit, quemadmodum est de illo, qui certat, & opprimitur ab hoste, repente facit conatum magnum, & cum non potest superare succumbit, cum autem non insurgit, sed semper deficiendo progreditur, tunc debilis est, & hoc sit obiter dictum (ut dixi) non tamen inutile, quo niam in hoc multi medici decipiuntur. Habetis ergo præceptum Hippocrat.q̄, cum euacuatur quantitas hu-moris peccantis, donec uirtus subleuatur, tunc illa eua cuatio est conueniens, neque debemus quantitatem ab-solute considerare, sed respectu qualitatis, & toleran-tiæ uirtutis. Ista enim tria inuicem conspirant, quanti tas.n.refertur ad qualitatem humoris, qualitas au-tem ad uirtutis tolerantiam, si enim debent euacuari duæ libræ humoris, illa quantitas nullam dat indi-cationem, nisi referatur ad ipsam qualitatem, neque qualitas potest quicquàm indicare, nisi referatur ad ipsam uirtutis tolerantiam. Et ita ex his, quæ decla-rauimus, apparet ueritas aphorismi, & eius ratio ma nifesta est. Sequitur secunda pars, Atq; ubi usque ad animi defectionem, &c. Cum dixerit Hip.euacatio-nē non esse existimandam, quantitate, sed qualitate, & prout uirtus tolerat, posset quis quærere ab Hip. O si uirtus tolerat, debemus ne semper euacuare, quousq; ip sa toleret? Respondet, huic tacitæ obiectioni, q̄ licet ali quando euacuare, quousq; uirtus tolerat, idest usq; ad

ani-

animi deliquium. Istud quidem Hip. dictum facile profertur, difficile tamen deducitur, propterea quia contradicit primo suo dicto, dictum. n. est euacuandum esse usq; ad uirtutis tolerantiam, si euacuatio fiet usque ad animi deliquium quomodo uirtus tolerabit illã euacuationem, immo deficiet. Debetis animaduertere, q (ut inquit Galenus ad Traßibulum an ars tuendæ sanitatis &c.) nulla alia methodus & uia breuior & melior est ad quæstiones determinandas, quàm uidere quid significat subiectum, & prædicatum, & distinguere subiectum ab ipso, & si uultis hoc uidere ita esse, aspiciatis quæstiones modernorum, qui postquàm tot, et tanta dixere, tandem determinant suas quæstiones ex distinctione subiecti & prædicati, quod si prius fecissent, non oportuisset tot nugas expendere. Notandum itaq; est, q tria sunt nomina usitata apud medicos pro deliquio λιποθυμία, ἔκλειψις siue dissolutio, & συγκοπὴ quæ idem prorsus significant, ut habetis à Galeno in primo ad Glauconem cap. 14. Quòd autem syncope idem sit, quod lipothymia apparet ex 12. methodi, ubi Galenus definiens syncopen dixit eam esse subitam animi interceptionem, dicitur autem lipothymia, quia deficit animus, eclypsis uero, idest dissolutio uirtutis. Quantum autem ad ipsum quid rei explicato quid nominis eorum, dicimus quòd syncope siue lipothymia est defectus spirtuum, & caloris innati. Quid autem sit spiritus & quid calor innatus, hæc supra longo sermone declarauimus, & ideo non oportet illã amplius repetere, & quia bona diffinitio dat, cau-

ſam,& eſſe rei,quæ deffinitur, propterea oportet uidere,quæ ſint cauſæ efficientes proximæ,per quas calor,& ſpiritus deficiunt. Dico, q; propter duo calor, & ſpiritus deficiunt,uel quia ſuffocantur,uel quia reſoluuntur,ita ut ſequatur ſyncope,ſicut etiam igni contingit,qui quidem extinguitur per reſolutionem ex defectu conuenientis nutrimenti , ſuffocatur autem quando non conueniens materia igni apponitur , ut ſi aqua ſupra ignem funderetur , aut magna quantitas olei , ſicut in lampade fieri quandoque uidemus. Totidem igitur de cauſis calor naturalis extinguitur , & ſequitur ſyncope , & tandem mors , uel ob reſolutionem factam aut à ſuperflua euacuatione , aut ob intenſum calorem diſſoluentem debile humidum , quod eſt ſubiectum caloris innati, aut ob multitudinem humorum crudorum,aut bilis, aut ſanguinis , aut ſpirituum ſuffocatur, nam & ſi ſanguis ſit materia nutrimenti , ſeu nutritionis caloris, & ſpiritus , ſi augeatur tamen , priuſquam conueniat , talis abundantia extinguit calorem innatum , ſicut in tertio Aphoriſmo fuit declaratum. Cauſæ autem iſtæ tum reſolutionis,tum ſuffocationis (ut uſque ad cauſas primas totam rem reſoluamus)à duobus ſumuntur, uel ex parte caloris,uel ex parte membrorum ſolidorum , ut 12.therape.docuit Galenus,contingit itaque ſuffocatio,& reſolutio quandoq; membrorum ſolidorum , in quibus eſt complexio ſpiritus,& calor, quia temperatura talium membrorum læditur ut uirtus deſtruatur propter illam malam intemperiem , ratione cuius &

calor

calor & spiritus resoluuntur uel suffocantur,ut si fiat intemperies calidior & siccior magis q̃ oporteat, ob quam necessarium est, quòd calor, & spiritus resoluātur,quia tollitur humidum,quod sibi pabulum erat, & calor ille igneus in membris solidis existens mitem calorem destruit,sicut flamma maior minorẽ destruit, suffocatio autem fit,sicut si sit temperies frigida & humida,à superflua humiditate suffocatur calor. Quandoque suffocatio,& resolutio non contingunt ratione malæ temperiei solidorum membrorum,sed uitio spirituum,ut si stante optima solidorum temperie, accedat quædam subita euacuatio, quæ spiritus, & calorem resoluat,aut aliquod aliud, ut cibariorum copia, aut propter malam spirituum qualitatem contingat spiritus & calorem suffocari. Quæritur primo quando Hippo.dixit esse faciendam quandoque euacuationem usque ad animi defectum,utrum de defectu per suffocationem,an per resolutionem facto intellexerit. Nemini dubium est,ꝙ de eo, qui per resolutionem factus est,intellexit, sicuti etiam in commento uoluit Galenus,nam si euacuauerimus quantitatem humorem, certum est, quòd non fiet suffocatio ob talem euacuationem sed resolutio spirituum & caloris sequetur, & istud est primum,quod oportuit uos intellexisse, intellexistis enim quid sit lipothymia:& quot eius causæ, & ꝙ facienda est quandoque euacuatio usque ad lipothymiam ex sententia Hippoc.sed de qua euacuatione intellexerit nondum notum est, & ideo hoc uidendum est.Triplex nanque est euacuatio,quarum una fit per

pharmacum purgans, quod electiue trahit, secũda est, quæ per medicamentum leniens fit, siue quod euacuet per uiam urinæ, uel sudoris, tertia est, quæ per mißionem sanguinis fit. De qua igitur intellexit Hippocrat. Certum est, quòd non intellexit, nec intellexisse potuit de euacuatione, quæ fit per pharmacum electiue trahens, quòd scilicet usq; ad lipothymiam debeatis euacuare corpus pharmaco purgante (& recte attendatis, quia ex istis distinctionibus suffocabuntur omnes quæstiones modernorum, in quibus clamant, utrum sit facienda euacuatio usque ad animi defectum) nam deficerent ægri in euacuatione cum dedecore maximo medici, & ratio in promptu est. quoniam ista euacuatio, quæ fit per pharmacum purgans, non fit, nisi à pharmaco electiue ducente, si autem sic debet attrahere, oportet, quòd sit pugna inter calorem innatum & pharmacum. Nam si usq; ad lipothymiam debet fieri euacuatio opus est, quòd qualitate & quantitate potentißimum sit pharmacum, & ita erit pugna magna uirtutis aduersus pharmacum, in qua necessariò uirtus resoluitur, & debilitatur, debilitata autem uirtute in pugna, cum postea pharmacum operari incœperit, & procedit ipsius operatio usq; ad animi defectum, uirtus non tolerabit, debemus autem nos facere talem euacuationem, quousque uirtus tolerat. Præterea talis euacuatio per pharmacum aut fit concocta materia, aut non concocta, sed furiosa, si concocta est, poterit natura eam expellere, cum etiam eam concoxerit et ita non opus erit exhibere pharmacum, ut

ut supra ex Hip. & Galeni sententia dictum est, sed si eo tempore natura fuerit debilis, quæ materiam con coquere potuerit, sed in concoctione relaxata sit, ut ex pellere non poßit, & exhibeamus medicamentum quod usq; ad animi deliquium trahat, deficiet utiq; uirtus iã debilis existens, si uero materia furiosa sit ita ut à natura regulari non poßit, certe tunc uirtus superatur, & si medicamento materiam trahes usq; ad animi defectũ, cum uirtus non constet, interficies ægrotantem. Quantum uero attinet ad medicamenta lenientia, aut urinam mouentia, aut sudorem nec cum his euacuare debetis usque ad animi defectum, nam si per lenientia, ut per caßiam humores omnes usque ad lipothymiam euacuaueritis, in tãtum relaxabitis uentriculum quòd lienteria fiet, si etiam per urinam similiter, facietis diabeticam paßionem, quæ est lienteriæ proportionalis quemadmodum.n.uentriculus & lienteria nõ con tinet cibaria, nec alios humores, sed relaxatus omnia dimittit, ita in diabetica paßione quicquid humidi in uenis est, totum illud liquatur, & per urinam deducitur à nullo detentum, & certe ægritudo est periculosa, quæ raro uidetur, tãtum.n.bis hucusque incidi in affectos ista paßione, si etiam sudores usque ad animi defectum prouocare uolueritis, idem sequetur, nam uidemus etiam, quod in sudore sponte facto cum mensurã quandam excesserit, natura ipsum non tolerat. De qua ergo euacuatione intellexit Hippo.? Dico quod de ea, quæ fit per misśionem sanguinis. Est autẽ et præter dictas alia ratio, quòd ad deliquium animi æger du-

cendus non sit, nisi per hanc euacuationem, quia ubi per pharmacum euacuaueritis, eo tempore euacuatis, quando humores deprauati in uenis reperiuntur, ita q; æger patitur plenitudinem quo ad uires, sed ubi deprauati sunt humores uirtus nunquam ualida est, sed aggrauatur à cachochimia, ideo nunquàm tolerabit uirtus euacuationem usque ad syncopem, præceptum autem est Hip. *q; facere non debemus talem euacuationem, nisi uirtus toleret, sed cum sunt boni humores in uenis, itaq; plethoria existat, uirtus ualida est, & sustinet euacuationem usque ad animi deliquium, & ita relinquitur q; euacuatio ducens ad lipothymiam, quã fieri, quandoq; concedit* Hippo. *ea est, quæ per sanguinis mißionem fit.* Verum *dicet quis* Hipp. *dixit in* Aphor. Deiectiones &c. Et *tu interpretatus es egestiones, quæ per aluum fiunt.* Dico, *q; uerum est, & iste interpres ita uertit illam particulam* τὰ χωρέοντα, *quia ipse cogitabat de purgatione, quæ per aluum fit, nam de medicamento purgante in superioribus* Aphorismis *loquutus fuerat* Hippocra. At *ipse in idiomate proprio* τὰ χωρέοντα, *dicens usus est uoce uniuersali, & ideo in dicto uniuersali iuxta eius sententiam manere oportet, nam ab uniuersali postmodum deuenit ad particulare dicens, & si oportuerit usque ad lipothymiam euacuare faciendum est.* Et *ita primo habetis, quomodo ex parte subiecti non intellexerit* Hippocr. *de alia euacuatione quam de ea, quæ per mißionem sanguinis fit.* Quantum *autem attinet ad prædicatum intellexit de syncopi, quæ sequitur ratione euacuationis.*

In-

Intelligamus modo tertiam conditionem positam ab Hippocra. ut argumenta Auerrois elidantur, qui profectò maximus fuit Philosophus, sed in re medica nihil prorsus sciuit, & adeo malignus extitit, ut omnia solum studio contradicendi dictis Hippocrat. & Galeni dixerit, inquit itaque Hippocrat. Si æger possit tolerare. Quid est istud? scitis quid sit, q; scilicet euacuatio ad lipothymiam ducens non debet innatum produci, quousque æger moriatur, uel ita deficiat uirtus, ut restitui amplius non poßit, sed uult, quòd euacuatio fiat usque ad lipothymiam inclusiue eo modo, quo declarabat Galenus in 9. methodi in synocha in duobus iuuenibus, dixit enim se misisse sanguinem quo usque lipothymia apparuit, & deridet illos medicos, qui ad lipothymiam ægros deducunt, ita ut intensa sit, & ipsi deficiant defectu irrecuperabili, ideo uolebat ipse, q; cum mittimus sanguinem, habeamus pulsum in manu, & cum uiderimus uirtutem deficere, quàm primum à sanguinis ulteriori extractione ceßare debemus, & ob id non debet quicunq; medicus facere missionem sanguinis usque ad syncopen, sed exercitatus medicus, uerum tanta est ignorantia nostrorum temporum, ut nemo audeat tale remedium aggredi, nam omnia artis opera deperdita sunt, & isti non sunt ueri artifices, cum non audeant, laudo autem ipsos, si nesciunt, ut non aggrediantur talem euacuationem, mittendus ergo est sanguis usque ad lipothymiam inclusiue idest quousque apparet lipothymia & hoc est, quod dicebat Hippocrat. Si æger possit tolerare. Super hoc di-

ctum oportet considerare, quòd non in omni corpore est facienda sanguinis mißio usque ad syncopen, sed in corpore iuuenis, & robustæ uirtutis, ita ut si quod ex tali euacuatione accidat nocumentum, recuperari poßit, habeamus igitur istas conditiones, & uideamus, qui sint casus, in quibus conueniat facere mißionem sanguinis usque ad animi deliquium, tollentur argumenta omnia Auerrois importunißimi contra Galenũ, qui & si maximus fuit (ut dixi) Philosophus, nihil tamen de re medica pœnitus sciuit. Casus tres enumerat hic Galenus, primus est, ubi febris fuerit causon, à nostris ardens dicta, quæ fit à bile sanguini permista putrescente, ut secundo De crisi, & primo De differentiis febrium, & quarto De ratione uictus in principio habetis à Galeno, quæ ita febris ardens dicitur, quia tota massa sanguinis ebullit, & feruorem patitur. Alius casus est, cum est inflammatio id quod in intrinsecis partibus, est autem inflammatio id, quod communiter uocatur apostema calidum, quod flegmon & erisipelas dicitur. Tertius casus est, quando uehementißimi fuerint dolores, Addatis uos & quartum casum, quem hic non posuit Gal. sed in 9. methodi, ubi synocha febris fuerit, quæ fit ob putredinem icoris sanguinis, tunc enim facienda est phlobotomia usque ad animi deliquium, ut dicemus. Consideremus modo singulorum istorum casuum naturam, & uideamus ad quam intentionem tale auxilium faciamus, hoc autem fiet, si cognoscemus naturam morbi, à qua quid agendum indicatur, & primo considerabimus

natu-

naturam febris ardentis scilicet propter quid fiat talis febris. Dico quòd propter feruorem maximum in uenis cum bilis ibi existens sanguini permista putrescit, ex qua putredine bilis sanguis ebullit, & periculum est, ne putrescat, & inde fiat febris pestifera, nam si fit febris pestilens ex magna sanguinis putredine, ex qua necessariò concidat uirtus (nam fundamentum uirtutis est ipse sanguis) tunc non est mittendus sanguis, quoniam omnes ægri perirent in tali casu, unde et medici illi, qui mittunt saguinem post principium stante febre pestifera, decipiuntur, & ægrotantes illi qui à talibus medicis ita curantur, non sanantur, nam hæc principia ignorantur à scorpionibus, qui non possunt ista attingere ob sui frigiditatem, & malignitatem, cum tantum lateant in angulo caudam mouentes. Vbi igitur adest putredo in bile mista cum sanguine, ut in febre ardenti, cui, nisi subito occurratur, putrescet sanguis, & inde morietur æger, debetis statim mittere sanguinem usque ad animi deliquium, sed si ante quartam diem non miseritis, tempus amplius non erit mittendi quoniam putredo iam sanguinē inuasit, & statim concidet uirtus, & ægrotus morietur. Sed dicetis uos, quare in febre ardēti ante quàm putredo sanguinē inuadat, usque ad syncopen phlobotomamus? Dico ego, quia totū corpus refrigeratur, et calor existēs in uenis qui ebullitionē faciebat in sanguine, qui facile putrescere poterat, remittitur. Ideo oportet ut tantū saguinis euacuetis, q; poßit corporis insequi refrigeratio, nam ex tali refrigeratione calor remittitur, secundo fit totius

ius corporis rarefactio, & laxitas, tertio uirtus refo-cillatur, quia prius habebat igneum instrumentum, mo do temperatum habet, ad quæ sequuntur, tum sudores, tum egestionum excretiones (ut inquit Galen.) sudo-res quidē, quia habitus corporis laxior redditus fuit, sequitur & egestio, quia tunc natura usa instrumenti loco calore scilicet moderato excrementa illa expellit ideo cum est febris ardens, cum scilicet putrescit bilis ad intra uenas, fit ebullitio in sanguine, & quia san-guis putrescere posset, mittendus est sanguis usque ad syncopen, alioqui corpus non refrigeraretur, nec calor igneus, & in tempore conuenienti istud agendum est ut non in cane, sed uere. Secundus casus est, ubi in-flammatio magna adeßet, uos scitis, quomodo fiat in-flammatio ex Galeno in libello De inæquali intempe-rie, & in libro De plenitudine, sic enim fit, cum san-guis subito erumpit (& per sanguinem massam sangui neam intelligatis) à uenis maioribus ad minores, & à minoribus ad minimas quousque ad locum læsum deue niat, ubi seditionem facit sicuti populus aliquis ciuita-tem obsidens, facta illa inflammatione, ubi maximū est periculum de cancrena ex caloris extinctione, & tāto maius periculum erit, quando inflammatio intrinseca fuerit, tunc nulla mora esse debet, quin mißionem san-guinis faciamus usq; ad animi deliquium, ut trahatur fluxus sanguinis ad eam partem, et cor refrigeretur, si ergo uultis refrigerare corpus, oportet, q, tātū sangui nis euacuetis, ad cuius euacuationē insequi poßit corpo ris refrigerium, tale autem non erit, nisi tanta sangui

nis quantitas educatur, ut ad animi defectum perducat ægrotantem. Et quod dixi de inflammatione, & febre idem intelligatis de dolore, nam ubi est uehemẽtißimus dolor, ibi adest materiæ multitudo ad locum defluentis in quo est dolor, ob quam & feruor & ebullitio in sanguine fiunt. Verum dicet quis ò Galene tu inquis, q in maximis doloribus oportet sanguinem mittere usque ad animi defectum, hoc uidetur contradicere Auicennæ, qui in quarta primi dicebat. Et cum prius euacuare uolueris, dolorem seda, tantum abest Auicenna ut dicat in dolore mittendum esse sanguinẽ usque ad syncopen, ut uelit prius dolorem sedari, ante q̃ ad sanguinis mißionem accedat. Notetis, quia hoc uidetur expreßa contradictio inter Galenum, & Auicennam, si autem Auicenna recte intelligatur, nulla est contradictio. Auicenna enim de quolibet dolore nõ loquitur, nec in omni curatione doloris, nec de qualibet euacuatione intelligit, sed de regulari, tales autem euacuationes, quæ ad lipothymiam deducunt, coactæ sunt, nam non est bonum hominem deducere ad lipothymiam, sed istud facimus, ut maius incommodum euitemus, & ita non debemus interpretari Auicennam, sicuti facit Thadeus dicens, q per dolorem, calorem intellexit, cum autem est curatio, & euacuatio non coacta, oportet prius dolorem sedare, & hunc modum obseruat Hippocrat. in secundo De ratione uictus, cum pleuriticum curat, prius enim cum fomentis dolorem sedat, nam postmodum cum quieuerit dolor, melior fit diuersio, nam existente dolore eo modo, quo supra de-

clara-

clarauimus ille attrahit ad unam partem, & medicus per mißionem sanguinis ad oppositam trahit, & hinc sequitur pugna, quæ nocumentum ægrotanti infert, & ita Auicenna optime dixit intelligens de cura regulari, Galenus autem de cura coacta sermonem habebat. Quartus autem casus non hic positus fuit, sed in nono Therapeutices, ubi in febre synocha sine putredine in iuuenibus duobus sanguinem misit usque ad lipothymiam, & cum illi iuuenes ab huiusmodi febre liberati essent, astantes dicebant, tu iugulasti febrem ò Galene, & quare in febre synocha, quæ ex putredine sanguinis fit? Hic opus est quòd multa repetam. cum mihi duplex in docendo uos labor iniungatur, & non solum oportet me uos ueritatem docere, sed diuertere etiam à scorpionibus, compatior enim iunioribus istis, qui adhuc imbuti non sunt in arte medica, et facillime à scorpionibus cum ueneno suo lædi possunt. Diximus itaq;, quòd putredo in sanguine fieri non potest accipiendo sanguinem & humorem à cæteris distinctum, nisi sit febris pestilens, in tali enim febre sanguis putrescit, & tunc non debemus mittere sanguinem, ut iā iam dicebam, quia uirtus concidit, & hæc erat sententia Gale. 2. methodi, quia si sanguinem mitteretis, cogemini postea hominem affectum nutrire, unde febris augeretur, quia putredo ex cibo dato in tempore non conuenienti cresceret, ubi itaque sanguis putrefactus est, putrefactum est id, quo uirtus & calor fouentur, et inde fit, quòd in tali putredine & calor et uirtus cō cidit, ideo in febre pestilenti, in qua est talis putredo san-

sanguinis, sanguis mitti non potest, quia uirtus non cõstat, sed cum est synocha febris, licet sit putredo, signa tamen mitissima sunt. Videatis autem quid dicat Gale. 9. metho. et 2. De crisi, et 1. De differentiis febrium ubi ponit signa istius febris, & causam, quare mitissima sunt signa, inquit enim q causa est quia sanguis nõ putrescit, sed Icor sanguinis, et quia fit ebullitio in sanguine, ex qua periculũ est ne sanguis putrescat, et ita non ratione morbi præsentis, sed futuri facimus missionem sanguinis usque ad syncopem, nam uirtus tolerat, si quidem inquit Gale. in febrem synocha non incidere nisi corpora plurimo redundãtia sanguine, quæ quadrata nuncupantur. Quid autem sit icor sanguinis, cum aliàs declarauerimus, non oportet nouam super hoc facere lectionem propter istos imbecillos homines, qui habent stipendium à Venetis, ut doceant doctrinam falsam, qui tanquam scorpiones fugiẽdi sunt. Quòd uero ob futurum morbum talis debet fieri sanguinis missio, erat authoritas Gale. in lib. De sectione uenæ; ubi habet nedum propter præsentem, sed ob futurum morbum adhibendam esse uenæ sectionem usque ad syncopem, quia secus magnitudo morbi nec tolli, nec euitari posset, clarißima eiusdem Galen. 4. De tuenda sanitate erat sententia, quoniam iidem scopi, qui sumuntur, cum ægritudo adest, iidem etiam sint sumendi, quando periculum est, ne ægritudo illa adueniat. Audiuistis igitur primo quid sit animi deliquium, secundo quæ sit euacuatio, in qua mittimus sanguinem usq; ad animi deliquiũ, & ista erat missio sangui-

gui-

guinis, tertio in quibus casibus hoc liceat, quarto quando facienda est, dicit enim Hippoc. si æger poßit tolerare, talis facienda est euacuatio, ita q; ex tali euacuatione uires augeantur dempta scilicet materia ipsas grauante, & licet ægrotans ex tali euacuatione incidat in aliquod incommodum, habeat tamen uires, quibus deinde refici poßit, nam talem sanguinis mißionē non facimus, nisi ut sæuities morbi euitetur, at si æger ad irrecuperabile damnum deueniret, nullo modo sectio uenæ huiusmodi adhibenda eßet, nam de eo posset dici, Incidit in Scyllam cupiens uitare Carybdin. Vtrū autem poßit æger tolerare, nec ne, cognoscetis primo ex temperatura, nam si fuerit temperatus, aut calidus, & humidus, uel calidus: ita q; sit quadratus, optime poterit talem euacuationem tolerare, præterea ex tempore anni: ut si sit uer, & in regione temperata, & in principio morbi, & non fuerit aliqua mala dispositio ut uentriculi imbecillitas, & periculum sit, ne suffocetur: & tunc debetis secare uenam usque ad animi defectum. Quibus sic stantibus facillimum erit respondere importunitatibus Auerrois, qui septimo colliget in cap. de febribus arsiuis capta occasione inuehitur contra Galenum inquiens, quòd nunquàm licet usque ad animi defectum mißionem sanguinis facere, & tria adducit argumenta. Quorum primum tale est, medicus naturam imitari & nunquàm ab ea decedere debet, sed natura nunquàm talem facit euacuationem, ergo nec medicus, immo confirmans sententiam suam inquit, si contingat ut sponte fiant, usque ad syncopen tales

les euacuationes, non sunt bonæ nec laudabiles crises, sed malæ quia deducunt ad uirium defectum, sola autem perfecta ea crisis est, in qua æger ad uirium robur & sanitatem deducitur. Secunda ratio talis est, Intentio in euacuatione talis est, ut quod est euacuandum, euacuetur, sed in euacuatione usque ad syncopen, ne dum quæ euacuanda sunt, sed quæ non essent euacuanda, euacuãtur, ergo talis euacuatio facienda non est, maior manifesta est, minorem probamus, quoniam uires deficiunt, in euacuatione autem conuenienti non deficiunt, sed roborantur, sicuti ex prima parte istius Aphorismi ab Hippocrate dictum fuit. Tertium est argumentum, Medicus nunquam debet moliri aliquam euacuationem, cuius ratione in extremum periculum aut mortem æger deducatur, sed in euacuatione, quæ usque ad syncopen fit, æger deducitur ad extremum periculum & quandoque ad mortem, ergo euacuatio usque ad syncopen facienda non est, maior manifesta est minorem probat ipse, si enim tu sanguinem in febribus putridis usque ad animi deliquium mittes, quomodo curabis putredinem? certum est, quòd nullam poteris perficere concoctionem, & inde necessariò mors ægro sequetur. Hæc Auerrois sunt argumenta aduersus Hippocratem & Galenum, nulla tamen facta mentione eorum, dicebat enim ipse, Caue ne in pleuresi ab eodem latere usque ad syncopen sanguinem mittas, nã concidet uirtus, quæ quidem licet inexpertes in arte medica qui paralogismos à ueris rationibus discerne-

re non possunt, deceptionis in causa esse possent, tamen his, qui in arte medica imbuti sunt, nullam difficultatem efficient, immo eorum falsitas facillime innotescet. Quantum igitur ad primum attinet, dico quòd supponit unum, quo nihil magis falsum apud me reperiri potest, quando dicit, quòd natura nunquàm facit euacuationem usque ad syncopen, quæ bona & laudabilis sit, nam in operationibus naturæ exercitatus non existens Auerroes in hunc errorem incidit, in operationibus enim criticis quæ fiunt, uel per fluxum sanguinis narium, uel hæmorroidarum, uel menstruorum uidetis naturam adeo procedere, ut deducat ægrum ad syncopen, à qua postea reficiatur beneficio artis, & ita respondendo argumento concedo maiorem, cum uero in minori subiungitur, sed natura non euacuat usq; ad syncopen euacuatione laudabili, negatur istud. Sed quare (dicetis uos) natura euacuat usque ad syncopen? Dico quòd natura id facit ob eandem rationem ob quam & medicus, nam oportet uel in maximis inflammationibus, uel in febribus ardentissimis, ubi periculum est de resolutione uel suffocatione uirtutis, quòd auxilium adhibeatur opportunissimum, tale autem est, quòd corpus refrigeretur, & ideo natura cogitur, quandoque usque ad syncopen euacuare, nam si secus euacuaret corpus non refrigeraretur, nec laxaretur. Nec credatis, quòd aut natura, aut medicus primaria intentione syncopen intendat, sed coguntur, quia uolunt corpus refrigerare, ut tollatur immi-

nens,

nens periculum de putredine sanguinis, aut suffocatione uirtutis, talis autem euacuatio fieri non potest, nisi mediante euacuatione per sanguinis missionem quæ ad syncopen deducat. Quantum ad secundum attinet argumentum, in quo dicitur, intentio in qualibet euacuatione est ut euacuetur, quod euacuandum est, dico quòd propositio ista simpliciter non est uera, immo intentio in euacuatione est remouere morbum, non ut euacuetur, quod est euacuandum, sed & quod non est euacuandum, ut morbus tollatur, ut si quis esset, qui optimum sanguinem haberet nec qualitate, nec quantitate peccantem, & ex aliquo casu, ut ex casu ab alto in rupturam uenæ incideret, huic non mitteretur sanguis, quia non esset bonus, & quia uelim euacuare, quod est euacuandum, cum hic nihil mali sit, quod euacuari debeat, sed sanguinem mittemus, ne inflammatio fiat, & si ruptura fuerit in pectore, ne ex sanguinis putredine fiat phtisis. In euacuatione itaque quæ usque ad syncopen fit intentio est curare morbum non quòd uelim euacuare, quod euaucandum sit, sed refrigerare uolo corpus tali sanguinis missione, &, ita illa ratio secunda Auerrois nullæ est. Ad tertium uero argumentum sic dicatis, quòd ostendit ipse se nihil de principiis medicinæ, nec de aliis à Gal. intellexisse, nam si 9. methodi Gal. legisset, ubi ipse febrem putridam curat uidisset à Gal. satisfactum esse huic argumento, dicit enim ibi Galen. quòd si est magna putredo in uenis, & indigẽs

phlobotomia, debes cauere nedum à sanguinis missio-
ne usque ad syncopen, sed nec mittas, quantum opor-
tet, & si necesse esset librã unam sanguinis extrahere
ratione putredinis, non tamen tantum extrahes, & ra-
tionem dabat, seruandus enim est sanguis, quia oportet
curare putredinem, curatur autem à uirtute, quòd si
sanguinem detraxeris, uirtus debilitabitur, & conci-
det, quòd si ipsam fouere uolueris, cogeris ad cibandum
in tempore non conuenienti, & hoc erit in causa ma-
ioris putredinis, quod etiam ab Auicenna in quarta
primi habetur, ubi enigmatice unico uerbo dicit, Et si
phlobotomare uolueris, serua sanguinem, nam the-
saurum est naturæ, in quibus uerbis nihil aliud uoluit,
quàm quod dixit Gal. in secundo methodi. Audiuistis
itaque quemadmodum facillime argumentis Auerrois
respondere possumus, et quo modo pateat ueritas secũ
dæ partis Aphorismi, & quomodo illa secunda non cõ
tradicit primæ parti. Dedit ergo regulam in prima
parte curationis non coactæ, sed quia quandoque cogi
mur excedere talem regulam, & uti euacuatione usq;
ad syncopen, ideo dixit in secunda parte, si aliquando
expediat euacuationem facere usque ad lipothymiam,
fiat, si æger tolerabit, & ita ista secunda non contradi-
cit primæ parti, sed est ueluti complementum & exce
ptio quædam alicuius casus, in quo medicus cogeretur
transcendere regulam in prima parte traditam, breui
tati tamen studens Hippoc. casum non opposuit, in quo
regula illa seruari non posset, uerum tamen positi à
Gale-

Galeno casus fuere, & à nobis expositi, & ita omnia clara essent, nisi unum quod in fine commenti tactum fuit à Galeno, restaret, quod uidetur aduersari his, quæ diximus nos in hesterna lectione. Dicebamus, *q. non licet purgationem facere usque ad lipothymiam per medicamentum purgans, in fine autem commenti hæc uerba nostræ sententiæ aduersantia profert,* In maximis uero doloribus nullum maius inueni remedium, quam usque ad animi defectionem euacuare adhibita distinctione an mittere sanguinem, an purgare oporteat usque ad animi defectionem &c. *Si igitur per Galenum debemus adhibere distinctionem, an sanguis mittendus, an purgandum sit usque ad animi defectionem, ergo ne dum per sectionem sed per medicamentum, licet euacuare, cuius oppositum diximus nos.* Notate *ne ex dictis Galeni erretis, toties, dixi uobis, quòd in nullum maius dispendium potestis incurrere, quàm dimißis ueris rationibus, & fundamentis, emancipari autoritatibus, quæ non intelliguntur, nisi ab habentibus ueras rationes, & fundamenta, qui autem emancipantur authoritatibus nunqam extricare se sciunt, ideo semper monui uos, ut homunculos istos uitetis, qui inuenientes authoritatem aliquam insistunt clamantes aduersus opiniones probatißimorum uirorum, & eam in contradictionem ponentes unà cum* Galeno. *Ego uero quando Galeno contra dico, aperte dico me ei contradicere, & non timeo, sed quando non contradico,*

nolo, quòd quis faciat cum malo intellectu suo me illi contradicere, nam non timerē hoc si rationem contra ipsum haberem sicut & ipse Hippoc. sua quandoque ratione commotus contradicit non est tamen Galenus prima facie dimittendus. Attendatis itaque quid dicat Galenus, ipse nanque loquens de uehementißimis dolori bus usus est est hoc uocabulo καθαιρεῖν non φαρμακεύειν, audiuistis autem quemadmodum Hipp. & Galenus in hoc commento, cum uult exprimere purgandum esse corpus cum medicamento purgante, utuntur hac uoce φαρμακεύειν cum autem simpliciter purgare intelligere uolunt, utuntur hac uoce καθαιρεῖν aliud autē est purgare, & purgare medicamento purgante. Dico itaque quòd in uehementißimis doloribus licet euacuare corpus usque ad syncopen per quædam purgantia, non per medicamenta purgantia, purgare autē dicimus, cum purgamus humorem aliquem à sanguine distinctum, non per medicamentum electiue trahens. Sed in quibus casibus licebit usque ad syncopen euacuare? Dico cum Galeno in maximis doloribus sicuti in dolore colico, maxime in quo sit periculum de morte. Sed licebit ne purgare cum medicamento purgante in hoc dolore usque ad syncopen? Dico si eritis ita audaces persuasi ab aliquo perperam intelligentem authoritatem Galeni uos semper patientem interficietis antequam operatio compleatur medicamenti. Nunc quid (dicetis uos) aliquo alio auxilio liceat euacuare patientem talem dolorem usque ad syncopen? Dico &

ita

ita uos persuadeo, ut consueuerunt isti, optime irritare uomitum usq; ad syncopen non cum electiue purgantibus, sed cum raphano & oximelite, & cum similibus incidentibus, & talis euacuatio debet usque ad syncopen fieri nã uera morbi curatio est remotio causæ, & cum uehementißimus sit dolor, signum est, quod causa eius admodum potens est, & ita potentißimo indiget auxilio, non potestis autem sanguinis mißionem uti in tali affectione, nam ut in pluribus humor faciens dolorem colicum crassus frigidus & uitreus sanguinis mißione educi non potest, & si sanguinem mittetis, ægrum interficietis, similiter si medicamentum purgans usque ad syncopen exhiberetis deduceretis hominem ad mortem, nam cum tale medicamentum uenenosum sit tandiu operatur, quandiu naturam uincit, ut eam deducat usque ad syncopen, & non cessabit eius operatio donec etiam hominem ad mortem perducat, ideo caueatis in dolore colico à medicamento electiue purgante usque ad syncopen, & si omnes antiquos & modernos recte sentientes, uidebitis ab hac purgatione maxime abhorrentes aspicietis, quia talia medicamenta trahunt materiam ad locum læsum, purgant tamen usque ad syncopen cum prouocantibus uomitum, & hoc est καθαιρεῖν Præterea cum sit dolor, quem ischiaticum uocant, utimur clystere abstersiuo usque ad sanguinis eductionem utentes centauro minore, quod maxima sui amaritudine intestina abstergit, ita ut sanguinem educat,

& in inteſtinis dyſenteriam efficiat, & ex dolore in inteſtinis cauſato deſcẽdit materia, quæ dolorẽ iſchiaticum faciebat, & ita uidetis quomodo liceat aliquando purgare uſque ad animi defectum non cum medicamentis electiue educentibus, ſed cum urinam prouocantibus, & ſimilibus, in uehementißimis doloribus, qui à materia frigida & craßa dependent. Quòd autem iſta ſit ſententia Gale. uideatis 2. de ratione uictus in acutis, commento 2. ubi ſuper eo contextu, quãdo dicit Hippocrat. quòd ſi dolor uerſus hypocondria deſcenderit, purgandus eſt æger medicamento purgãte, abhorret à tali pharmaco, quoniam talium medicamentorum, quando illa excedunt, uirtus & operatio non prius ceſſant, quàm ægros ad mortem deducant. Attendatis ergo optime dictis Gale. qui ſolum loquitur de doloribus pendentibus à materia frigida, quia in aliis non purgamus uſque ad ſyncopen, præterea qui non dicit φαρμακεύειν, quod eſt, medicamento electiue ducente uti, ſed καθαιρεῖν, quod ſimpliciter purgare ſignificat. Et ita cum expleuerimus præſentem Aphoriſmum, audiatis modo ultimũ iſtius particulæ, quem expoſituri ſumus, nam alterum non exponam, quia in eo nihil noui addiſcetis, quàm id quod ſupra fuit explicatum.

In

XXIIII.



N Acutis paßionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus uti et hoc cum præmeditatione faciendum.

Hic est ultimus Aphorismus primæ particulæ, quia de alio qui sequitur, quid nam dicendum sit, uidebitis. Tractauit de purgationibus Hippocra. & docuit qui humores euacuandi sint in eo Aphorismo Quæ iudicantur. Insuper dixit quod illi humores natura purgandi sunt, qui à natura post concoctionem relinquuntur, præterea ostendit per quas uias huiusmodi humores essent educendi, & quando, & quantum euacuandum esset, & hæc habuistis in præcedenti Aphorismo, his uisis dicebant moderni, quod omnis regula patitur exceptionem, & cum regula posita ab Hippocrat. patiatur exceptionem, uidelicet cum non semper quæ natura concocta sunt euacuari debeant, & quandoque non sit euacuandum, ideo dedit Hippocra. hanc in præsenti Aphorismo exceptionem, quasi dixerit, & si sunt euacuanda quæ relinquuntur in morbis post iudicationes, & ea, quæ concocta sunt, aduerte tamen quod in acutis paßionibus euacuare non licet, & si licet raro licet, & hoc cum

præmeditatione faciendum eſt, & ita regulam tradit non eſſe euacuandum in acutis paßionibus non niſi raro, quod quomodo intelligendum ſit docet cum dicit. Et hoc cum præmeditatione. Dat ergo hoc præceptum quod eſt exceptiuum regulæ præcedentis, uidelicet in acutis paßionibus euacuandum non eſſe, Hæc ſanè particula cogit, nam regula uniuerſalis eſt, quod in omnibus aliis præter quam in acutis morbis euacuatio facienda eſt, nam in his ab omni cauendum eſt euacuatione, ut docebit in commento Gale. ex quo patebit error communiter practicantium, qui in acutis dant tres ſyrupos, & unam medicinam, donec ægros interficiant, qui ſi quandoq; liberantur, hoc euenit merito roboris ipſorum, ut optime notauit Auicen. qui uir raro deceptus eſt in re medica, & ſi modo deceptus eſt, errores ipſius non ſunt, ut qui aliorum ſunt, habetis itaque quòd in acutis nulla eſt adhibenda purgatio, & hoc dictum eſt uelut regula quæ tamen & ipſa exceptiononem patitur, cogimur enim quandoque in acutis purgantibus uti medicinis, ideo addidit. Raro & in principiis, non declaro autem terminos, quia ſupra ſunt ſatis ſuperq; declarati, nam acutæ ægritudines, quæ acutæ non ſunt ratione loci, ſed ratione ſuæ eſſentiæ, pendent à materia calida, & coniungitur ipſis febris continua, & periculo non uacant, & in quarta die terminantur ex Hippocrat. ſententia in 2. Aphoriſmorum, raro autem inquit Hippoc. utimur euacuationibus in acu-

tis

tis paßionibus, & hoc fit quando materia furiosa est, quid autem materia furiosa sit dictum est in eo Aphorismo. Concocta medicari & declaratum fuit quòd ea est, quæ determinatam & permanentem in corpore sedem non habet, ita quod uel propter suam multitudinem, uel malam qualitatem non potest regi à natura, imminet ob talem inordinatum motum ingens periculum, addit & hoc Cum præmeditatione faciendum est, uideatis quantum magnifecit Hippocrat. euacuationem per medicamentum purgans in acutis paßionibus, dixit enim in acutis paßionibus non licere nisi raro purgante ut medicamento. Et in principiis: nam sæpe diximus principium tripliciter sumi apud Galen. in 1. De crisi, & in commento 2. primæ huius particulæ, primo pro eo indiuisibili tempore in quo morbus incipit, de quo principio nullam fermè habent medici cosiderationem, secundo intellexit principium pro primis tribus diebus, tertio pro toto tempore, in quo non apparet concoctio, & si per duos menses duraret, sed de quo principio Hippocrates intellexit? Dico de principio secundo modo accepto, non autem de principio in quo incipiunt apparere signa concoctionis, nam si quid uidetur mouendum in principio mouẽdũ dixit Hipp. & Auicennæ quoque sententia est q̃ si quarta pertransierit, non erit amplius intentio ad purgandum, & ideo uel in principio, uel primo, uel in secundo, uel ad summum in tertio die facienda pur-

gatio

gatio est. Restat modo considerare quid sibi uelit Hippocrat. cum dicit medicinis purgantibus uti, nam omnes modernorum dubitationes tollentur ex recto istius particulæ intellectu, Dixi aliàs quòd interpretes ubi pharmaciam aut pharmacum inueniunt, semper tale nomen circunscribunt, simplicem uocem non habentes, quare exponunt dicentes φαρμακεύειν, idest purgantibus uti medicamentis, cum tamen aliter interpretandum non eßet, nam Græci præter hanc uocem φαρμακεύειν habent aliam uocem καθαίρειν, ita quod in euacuatione quatuor humorum ipsi propria, & distincta uocabula habent φαρμακεύειν, καθαίρειν, κινεῖν, κενοῦν, quæ notata omnes possunt ambiguitates tollere, φαρμακεύειν, nihil aliud est quam purgare cum medicamento à forma specifica educente humorem aliquem quod solutiuum uocant moderni medicamentum, & ita Galenus interpretabatur dicens proprium esse Hippocratis ut cum dicat φαρμακεύειν, intelligat uti medicamento purgante electiue, καθαίρειν, uero significat purgare simpliciter, & absolute quomodocunque purgemus, κινεῖν autem mouere apud nos significat, & est uocabulum ad omnem humoris motum, dato etiam quod cum euacuaremus, κενοῦν uero euacuare est, quod nomen commune est ad omnes euacuationis species, siue sit mißio sanguinis, siue purgatio absolute, siue sit mouere, siue medicamento purgante electiue purgare, & omnes istæ operationes

tiones apud Græcos κινήσεις uocantur. Dicit itaque Hippocrat. In acutis passionibus raro & in principio medicamentis purgantibus uti. Codex Græcus dicit τῆσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, traducunt isti, idest medicamento purgante uti, ueteres autem nescientes hanc uocem commode exprimere dixerunt pharmaciis uti, & forte rectius, quia maluerunt Græco dicto uti, quam sensum uerum Hippoc. peruertere, intellexit itaque Hippocrat. illis uocibus. idest uti medicamentis electiue ducentibus tantum, solum ergo his utendum est in acutis passionibus, sed raro, & in principio, ratio uero huius postea declarabitur, prius autem exponam postremam partem Aphorismi, in qua dicit, Et hoc cum præmeditatione faciendum. Videatis omnes conditiones, quas apposuit Hippocrat. in acutis passionibus, primo addidit raro, secundo & in principiis, ultimo (& est tertia conditio) & hoc cum præmeditatione faciendum, hoc dictum admodum ponderandum est, innuit enim per hæc uerba tantum se magnifacere, & uereri uti medicamentis purgantibus in acutis passionibus, ut omnia præmeditanda esse admoneat, antequàm exhibeantnr. Quatuor autem consideranda sunt, quorum primum ægri dispositio est, ut nunquid gracilis sit, & facile resoluatur, senex ne, an puer, utrum hypochondria sint ex natura tensa, & uentriculi calidi, & inde facile in syncopen habeat, istæ sunt conditiones, & his consimiles, quæ prohibent

medici-

medicum uti medicamento purgante electiue, si opus esset, nam corpora sic affecta facillime resoluuntur, & præsertim in acutis passionibus, quibus sæua coniunguntur accidentia, quæ non sine periculo sunt. Secundum quod præmeditandum uenit est ex parte morbi, nam si sit inflammatio, sicut sæpissime in morbis acutis contingit, sitq; in membris naturalibus, ut in uentriculo, epate, liene, & intestinis, nihil periculosius quàm medicamento purgante uti, nam omnes humores ad locum affectum trahuntur, & ideo si necessaria esset purgatio per tale medicamentum, non est tamen facienda ratione morbi, & hinc est, quòd Galen. in. 2. De ratione uictus in acutis, cum Hippocrat. concederet euacuationem in inflammatione pectoris in pleuritide fieri per medicamentum soluens, cum dolor ad inferiora declinaret, admonet Galen. tutius esse talem purgationem dimittere, & accedere ad missionem sanguinis ex rationibus, quas illic affert Gale. quòd si Galen. ueretur, cum est inflammatio in pectore uti medicamento purgante quanto magis nobis est à tali medicamento cauendum, cum inflammatio in aliquo membrorum naturalium fuerit? Tertium præmeditandum est ex parte humorum, hi enim cum fuerint uiscose crassi, ac tenaces non debemus purgante uti medicamento, neque enim euacuaremus hac ratione id, quod intendimus, sed potius damnum ægro, nullã uero utilitatem inferemus. Quarto procedendum est cum præmeditatione

tione ratione uirtutis, certum nanque est, quod ubi debilis est uirtus, & medicamentum purgans qualitate uenenosa sit, tunc maxime læditur uirtus, quare à medicina purgante abstinendum est. Audiuistis quæ sint præmeditationes faciendæ antequàm purgãte medicamento utamur in acutis paßionibus, nam quamuis in commento omnes innuat Galen. tamen implicite eas tradit, Iam ergo declarati sunt omnes termini Aphorismi. Dicebamus regulam esse Hippocr. obseruandam, præsertim à iunioribus .s. In acutis pasſionibus &c. in cura regulari, & quare non liceret medicamento purgante uti in talibus pasſionibus (& semper addatis cum medicamento purgante electiue) sicuti sponte se intricant moderni, Galen. huiusce rei rationes affert, dicitq; quod non licet facere id, quod toties repetitum est, primo ratione morbi, quia morbus acutus calidus est, & siccus, acuti enim morbi ratione sui non autem ratione loci, febrem sibi continuam, & intensam semper adiungunt, medicamenta autem purgantia similiter calida sunt, & sicca, & ob id nocent quia morbum augent, non ergo conueniunt ratione morbi, secundo præter id, quod calida sunt, & sicca, ueneni quoq; naturam sapiunt, & ideo maxime contraria sunt, non etiam conueniunt ratione humorum, nam pharmacum alioqui si suis operationibus nocet, hoc tamen solum boni habet, quod humores euacuat, nam acuti morbi uel salubres, uel insalubres sunt, si insalubres nihil à nobis agendum est ex sententia Galen.

len.in. 2. Aphorism. 29. sin autem morbus salubris est, aut iam materia tenuis, & ideo cocta, sic per crisin à natura expellitur, si autem materia cruda sit, ostendimus in eo Aphorism. Concocta medicari. Quomodo tale pharmacum non conuenit ex mente Gale. in. 2. De ratione uictus, nam humor agitatur, & uirtus dißoluitur, concoctio autem fit cum quiete humoris concoquendi, & à fortitudine uirtutis, quæ ambo per exhibitionem impediuntur, & ideo dicit Galenus in commento, si quando licet uti pharmaco purgante, hoc licet ut euacuamus humores facientes morbum acutum, ex tali euacuatione manus sperantes adiumentum, quam sit nocumentum, quod affertur ex pharmaco ægrotanti, sed tamen humores eos euacuare non possumus, cum ergo tentamus talem euacuationem, quam habere non possumus, tunc cum hoc quòd concoctionem materiæ impedimus, quietem auferentes, & morbum augemus, augentes caliditatem, & siccitatem, debilitamus etiam uirtutem, quia uirtus stat cum calore moderato, & non igneo, qualis est, qui corpori aduenit ex medicamento illo. Habemus itaq; regulam uniuersalem, nō licere in acutis passionibus, nisi raro uti medicamento purgante, quando scilicet materia turget, ut euitemus maius incommodum, & ita conuenit pharmacum purgans in cura coacta, & irregulari tantum, & hoc est contra modernos, non omnes tamen, sunt enim quidam optimi medici, quorum operandi modum, si inspexeritis, uide-

uidebitis eos maxime cauere à medicamentis purgan-
tibus in cura regulari, nisi materia turgeat, nam tunc
maius est adiumentum, quod sequitur huiusmodi me-
dicameuti exhibitionem, quàm noxa, euacuabimus
enim humorem eum, qui subito posset aut ad cor, aut
ad cerebrum, aut ad aliam mobiliorem aliquam par-
tem irrumpere, & inflammationem, atque tandem mor
tem causare, Et in principiis addit hoc Hippocrat Nã
cum euacuandi sunt humores furiosi, euacuationem
istam in principio statim facienda esse monet, nam
si morbi principium transire permiserimus, tunc for-
tasse humores isti in alia parte insilient, nec ampli-
us intentio erit ad euacuandum, & tunc claudetis
stabulum (ut uulgo fertur (cum amiseritis oues, ta
lis enim meteria postmodum infixa deducet ægrum
ad obitum. Debetis etiam ob aliam rationem euacua-
re furiosam hanc materiam in principiis, quia, cir-
ca principium, & finem omnia imbecilliora, cum ue-
ro morbi consistunt fortiora, ut ait Hippocrat. 2.
Aphorismorum. 30. Sed hoc cum præmeditatone.
Audite, qnod omiseram dat enim nobis documentum
in commento Galen. quòd ubi humores crassi, & uisci
di sunt, & uiæ, per quas debet euacuatio fieri, obstru-
ctæ fuerint oportet eas aperire, & humores pœni-
tus attenuare. Sed quis diceret, quomodo ergo sta-
tim in principio acutarum paßionum materia furio-
sa existente euacuare potero, si oportet prius humo-
res parare fluxibiles, & uias aperire, antequam fiat
E eua-

euacuatio? Sane tempus non datur, in quo hæc fieri possint. Galen. dicit quòd in hoc casu debemus facere id quod possumus, & non in prima die euacuare, sed in secunda & etiam in tertia, & in prima quidem uti aliquo incidente, & atentuante, sicut est exhibitio mellicrati in quo decoctum fuerit aliquid hysopi, aut origani, uel tragorigani, uel pulegii, aut piperis, aut cinamomi, & conueniunt in hoc casu omnes species oximelitis, et syruporum de radicibus, subito enim humores attenuandi, & uiæ aperiendæ sunt, qnia cura irregulari procedere cogimur, istud enim non liceret facere in cra regulari, sed primo esset concoquenda materia, secundo incidenda, attenuanda, & separanda, tertio expellenda, sicuti à natura fieri dictum fuit à Gale. in commento Aphorismi 22. hoc est Gal. documentum, nam corpora purgãda prius fluida facienda sunt, ut dicit Hippocrat. in 2 Aphorismorum 9. & postea uti medicamento purgante, si sit humor aliquis à sanguine, ut bilis, aut subtilis pituita (nam à crassa non contingunt febres acutæ. (Multi uero dubitant, & putant præsentem Aphorism. opponi Aphorism. 22. Concocta medicari. Hoc autem falsum est, nam ita conuenit præsens Aphorismus cum illo, ut ipsius sit exceptio, dixerat enim q; materia concocta euacuatio facienda est, exceptionem modo dicit scilicet præterquàm cum materia turget, quam exceptionem in hoc Aphoris. facit dicens In acutis passionibus, & ideo nulla est contradictio istius Aphoris. cum illo, sed potius

tius uidetur esse contrarius Aphori. 29. secundæ particulæ, Cum morbi incohant, si quid mouendum uidetur moue cum uero consistunt ac uigent melius est quietem habere. *In præsenti enim Aphorismo dicit* Hippocrat. *quòd in acutis paßionibus raro & in principiis utendum est purgante medicamento cum præmeditatione , illic uero inquit .* Incohantibus morbis , si quid uidetur mouendum moue *qui* Aphorism.*uidetur contrariari non solum huic , quem modo exposuimus scilicet* In acutis passionibus &c. *sed etiam illi* Concocta medicari &c.*nam iste* Aphorism. 29. *secundæ particulæ dat regulam, quod incohantibus morbis si quid uidetur mouendum moueatur &c. At certum est, quod morbis incohantibus materia cruda est, nam si posueris quod materia concoqui incipiat, tunc non erit amplius morbi principium, nam ex primo* De *crisi, & ex 12. commento huius particulæ habetur à* Galen. *quòd principium terminatur , quando incipiunt apparere signa concoctionis. Quid ergo dicit* Hippocra. *quod si quid uidetur mouendum in principio moueatur , cum dictum sit in Aphorismo 22. primæ particulæ concocta medicanda esse & mouenda non cruda , non cruda autem sunt , quæ aliquam concoctionem habent , quomodo ergo dicit quod in principio si quid uidetur mouendum moueatur , cum in principio sit omnino cruda materia , præterea cum dicit*, Cum uero consistunt , ac uigent melius est quietem habere.

Istud contradicit 22. primæ particulæ Concocta medicari &c. modo in statu omnia concocta sunt, quomodo igitur uis tu, quod etiam in statu quiescam certe uel hic, uel ibi perperam dixisti Galen. in commento difficultatem auxit, quam soluere debuerat, nam dicit quòd in exitialibus morbis nihil à medico agendũ est, sed in salubribus tentandum est, circa initia maiora adhibere remedia, de quibus Hippoc. dicit Si quid uidetur mouendum &c. Sunt autem hæc maxime, uenæ sectio, nonnunquàm uero, & purgatio, quorum neutrum oportet, morbo iam consistente adhibere, ut enim in libro De crisibus ostendimus inconcoctiones morborum tunc magnæ fiunt, & rationem dabat Gale. cur in his medicinis, aut sectione uenæ circa initia uti deberemus, dicens ut ergo hæc citius eueniant, melius est circa principia euacuare, ut minorem iam factam materiam facilius natura poßit concoquere, in quibus dictis manifestißime uidetur illis astipulari, qui minoratiua exhibent, cuius signum est, quia illi, qui utentes minoratiuis se deffendunt, ad hoc commentum Gal. recurrunt, unde Galen. occasionem dedit his errandi, & maxime conciliatori, qui utinam cognouisset doctrinam suam, nec semper eam crudam habuisset, sed aliquando concoxißet, nam si in rebus suis iudicio posuisset, nullus (opinor) eo maior à Gal. fuisset. Ego quod toties dixi repeto, uera est sententia Hippoc. in eo Aphorismo Concocta medicari &c. Nec unquam medicamento purgante id est solutiuo mouere de-

debetis ea, quæ concocta non sunt, non dico quòd non liceat mouere, sed non nisi tunc licere dico, cũ concocta materia fuerit, & qui secus facit, errat nec est contrarius iste Aphorismus illi sicut aiunt, qui non aduertunt modum loquendi Hippo. & Galen. Videamus ergo quid dicit Hippocrat. dicit primo Incohantibus morbis &c. Notate conditionem, qua usus est Hippocrat. non enim protulit absolute hæc uerba In principiis morborum moue. Sed dicit Si quid uidetur Particula autem Si Condicionalis est, conditionalis autem apud logicos nihil ponit in esse. Dicit etiam κινεῖν, quod uerbum commune est omnibus uocibus euacuationem significantibus, hoc ergo uerum est, quòd si quid uidetur mouendum moueri debet inchoantibus morbis scilicet si materia furiosa sit & cruda uel in uentriculo, uel in primis uenis, & hoc est quod Hippoc. inquit in primo De ratione uictus in acutis, apparente (ait) dolore circa latus uentrem lenire debemus, & istud est purgare non tamen per medicamentum electiue trahens, in principio ergo commodum est purgare, si quid est purgandum, non autẽ expectare statum, in quo natura concoctioni intenta est, & quod hoc sit uerum aduertite, quid faciat chirurgus ab arte & experientia doctus, ille enim uidens generationem puris, augeriq; symptomata scilicet dolorem & febrem nequaquã audebit euacuationem ullam aggredi & uti euaporantibus aut incidentibus; pariter & qui mederi uelit febri nihil pror-

ſus facit, neque enim uult ſeſe in opere naturæ intro- mittere, ſed in prncipio ubi dolor magnus fuerit, do- lorem ſedat, & quærit auerſionem, & materiæ reper cußionem, & omnia tentat, ſed circa ſtatum quieſcit, & ſi uiderit naturam concoquentem materiam, ſolum roborantia calorem innatum applicat, omnia ſcilicet quæ calida ſunt in primo gradu cum uiſciditate, aut concoctionem adiuuat, ſi uiderit naturam debilem, di- cit itaque Hippocrat. conſentiens his quæ dicit & in 22. & in 24. Incohantibus &c. *Vbi merito appo- ſuit* Melius eſt quieſcere *Vt reſponderet illi dicto quod dixerat circa principia* Si quid uidetur &c.
Et aduertatis quod non prohibet per particulam hanc Quieſcere *Quin aliquid etiam in ſtatu faciendum ſit, nam adiuuatur calor, ut melior fiat concoctio, & ſi natura non concoxerit, iſtud autem concoquere non eſt mouere, nam concoctio fit cum quiete, ſed in ſtatu nihil mouendum eſt, quod conuenit cum eo Aphoriſmo* Concocta medicari. Itaque Incohantibus morbis ſi quid uidetur mouendum &c. *De omni ſpecie mo- tus intelligatis, de mißione ſcilicet ſanguinis cum materia turget, (nam uſque ad ſincopen diximus in 24. faciendam eße cum oportet)* In principiis intelligatis *etiam de eo motu, qui fit per medica- mentum purgans abſolute, cum materia cruda eſt in uentriculo, & circa primas uenas, de eo motu etiam puſſumus intelligere cum utimur attenuantibus, ut te- ſtatus eſt Galen. in commento Aphoriſmi.* In acutis
paſ-

passionibus & uniuersaliter de omni specie motus intelligatis, nulla ergo contradictio est in dictis Hippocrat. nam cum conditione loquutus est dicens. Si quid uidetur &c. nam certum est, quod aliquando licet inchoantibus morbis mouere, & circa statum melius est quiescere quia tunc natura intenta est concoctioni, & non debemus nos tunc aliquid mouere cũ natura mouet, ut docet Auicenna in prima quarti cap. 7. Quantum autem attinet ad commentum Galen. dico quod qui uolunt ex eo colligere minorationem fieri posse. non intelligunt Galen. dicta, & sunt in maximo errore, neque enim Galen. de purgante medicamento loquitur, ita ut uelit nos soluentibus uti medicinis in principio, ut tollatur pars materiæ quia natura fortior erit supra reliquum materiæ, dicit enim. Sunt autem hæc maxime uenæ sectio, non unquam etiam purgatio. Et in textu græco καθάρσις, legitur non φαρμακεία, ita quod intelligit de purgatione, absolute, quæ fit cum clysteriis, & cum lenientibus, & cum medicinis benedictis. Consulo itaque uobis, ut in toto tempore morbi, & præcipue in principio his utamini, nam, & mihi felicissime succedunt curationes, cum uel bis, uel ter lenientibus, & istis medicinis benedictis utor, qualis est syrupus rosatus solutiuus, cassia & reubarbarum, nam, qui dicunt, reubarbarum electiue trahere decipiuntur, nec Mesuen attendunt, qui inter medicinas denedictas ipsum ponit, non distinguntur autem medicinæ benedictæ ab his, quæ

euacuant soluendo, nisi quia solutiuæ electiue euacuant, benedictæ autem non, nam ubi humores, qui in primis uenis, & in uentriculo continentur, euacuaueritis per tales medicinas, uidebitis semper optime uobis curationes succedere. Iam ergo diximus quod in omnibus casibus licet in principiis morborum euacuare, & duo potissima erant. Galen. argumenta, alterum, quia circa initia, & fines omnia imbecilliora, cum uero consistunt fortiora, & intellexit Gal. omnia imbecilliora scilicet symptomata morbum insequentia, hac ergo ratione quia accidentia in principio molesta non sunt, cura expedit, meliusq; est in principiis mouere id quod mouendum est, alterum est quia in statu & circa statum natura occupata est circa concoctionem materiæ morbum faciendi, ideo non est impedienda pharmaco à concoctione, tertium est (& sumitur à dictis Galen. in commento istius Aphorismi) quia tunc, in statu inquam, magna ex parte uirtus animalis fatigata est licet duæ aliæ fortes persistat. Volui adducere tertiam hãc rationem propter difficultatem, quæ in tali ratione contingit, quæritur enim hic, nũquid indicatio limitans indicationem, quæ à uirtute sumitur, sumatur à uirtute animali, dicũt enim quidam ab hac nullam discerni indicationem, quoniam actio istius uirtutis est, ut uoluntarie moueat corpus, & exerceat operationes sensus interioris, & exterioris, atque ita patet, quòd uirtus animalis ad concoctionem & expulsionem materiæ peccantis non est attendenda, cum

con-

consistat uirtus naturalis cuius operationes sunt con-
coctio, & expulsio, cur ergo dicit Galen. quòd in statu
euacuare non licet ob id, quia & si uirtus naturalis,
& uitalis fortes persistant, animalis tamen eo tem-
pore magna ex parte fatigata est, cum indicatio de
euacuatione debeat sumi à uirtute cuius munus est eua
cuare, quæ uaturalis est, & non animalis? Cum ergo
certe stet uirtus naturalis in statu, quid prohibet,
quo minus euacuem, quamuis animalis fatigata est,
facultas? Dico ego Galen. doctissime istud pronun-
ciasse; si recte intelligatur, nam licet in statu uir-
tus naturalis, & uitalis fortes persistant (nam cum
in statu concoctio fiat, & id quod nocuum est tunc re-
ducatur ad benignum, & pars iam concocta expella-
tur, consonum est, quòd uirtus naturalis fortior reddi
tur, non autem ita est de ipsa in principio, quia tunc
imbecillior est, non quidem quia resoluta sit, sed quia
grauata à materia, fortis itaque est uirtus naturalis
in statu, & uitali) tamen ista fortitudo talis non est
ut admodum redundans sit, ita autem se habent inui-
cem tres istæ uirtutes, ut uirtus naturalis uitali mini-
stret alimentum, si uero accidat, ut uitali non ministret
alimentum, sicut debet, quicquid accidit noxæ huic uir
tuti uitali id totum redundat tandem in damnum uir-
tutis naturalis, si uero uirtus naturalis ita se habeat,
ut etiam alimentum suggerere possit uitali uirtuti,
ipsa postmodum robur, & maximum auxilium reci-
pit à uirtute uitali. Accedamus modo ad uirtutem

animalem. Hæc ſanè conſeruatur generaturq; à uirtute uitali, nam dum uitalis ſpiritus accedit ad cerebrum, & concoquitur corroboratur uirtus animalis, ſi uero ſpiritus uitalis ipſi deficiat uirtus animalis non ſibi conſtans eſt, & fortis, deficiente ergo uirtute animali, & ſtante uitali ſignum eſt quòd uirtus uitalis ſibi tantum fortis eſt, non ita tamen, ut posſit demandare ſpiritum animali, & inde fit, ut omnis noxa quæ accidit animali, tandem ſuper uitalem cadat, ex his itaque uidetis connexum, & complicationem iſtarum uirtutum, ubi ergo uirtus animalis fatigata eſt, & reſoluta, (ſicuti ut plurimum in ſtatu contingit) caueatis à labore iſtius uirtutis, licet enim naturalis, & uitalis in ſe fortes ſint, non tamen ita fortes ſunt, ut poßiut conferre id quod debent uirtuti animali, & ideo detrimentum, quod huic animali accidit, deuenit tandem ſuper uirtutem uitalem, & naturalem, & hoc eſt, quod noluit Gale. dum dixit quod in ſtatu præter alia, quæ prohibent purgationem, hoc etiam accedit, quòd uirtus uitalis eo tempore defeſſa eſt, quæ cũ ita defeſſa eſt, cauenduu erit ab euacuatione, etiam ſi naturalis, & uitalis fortes perſiſtent, & hæc hactenus de hac difficultate. Supereſt aliud nullo modo dimittẻdum, quod oritur ex dictis Gal. in principio comẽti illius 29. ubi habet quandoq; in ſalubri morbo contingere morbũ mitiorem eſſe, et accidẽtia, ſæuiora, ex hac authoritate plurimi illorum, qui authoritatibus innituntur, arguunt contra ſententiam noſtram, quam


ex


ex mente Hippocrat. & Gale. tenuimus, docui enim uos quod ſemper morbus augetur, & diminuitur ad augmentum, & diminutionem accidedentim. Iſti ergo qui nobis ſtudent contradicere non intelligunt Galen. quem putauit in hoc loco ſententiæ ſuæ fautorem habere, nam oppoſitus potius ipſis eſt. Habetote hoc ſemper uerißimum, eſſe, quòd morbus nec magnus nec paruus eſt accipiendo nomina iſta pro uehementia, niſi prout accidentia uehementia, uel mitiora ſunt, nec aliter imaginatus eſt Gal. ut patet in nono Aphoriſmo. nam cum ſua ſymptomata habeat morbus (inquit Galen.) ſunt autem hæc uerbi gratia dolores febrium uehementes acceßiones, inſtantiæ uiglarum, faſtidia, & ſitis, hæc planè ſunt, quæ faciunt morbum ſæuum, et mitem, nam morbus ſæuus non eſt, quia calidus & humidus, ſed quia ſæua habet accidentia, & uigiliarum inſtantias, & ſitim, & capitis dolores, ita quod morbum uel ſæuum, uel benignum determinamus ſecundum quod accidentia ipſius ſæua, uel benigna ſunt quod ſi quis diceret, in febre peſtilenti accidentia benigna ſunt, & tamen morbus ſæuus eſt, dico quòd accidentea benigna non ſunt, ſed latent, unde inimicum, qui occultas parat inſidias, non dicimus meliorem eſſe, ſed potius deteriorem, ſed quid ad Gal. qui morbum circa ſtatum benignum, & mitem dicit eſſe cum ſæuitia accidentium, dico Galen. in alio ſenſu benignitatem accipere ſcilicet reſpectu ſalutis, cui magis propinquus eſt nam ſicut qui flagellandus eſt, in carcere

cla-

clausus manet, & expectat flagellum, est in pessimo stat quia expectat illud tormentum, licet eo tunc non afficiatur, ob id in pessimo statu esse dicitur, quia longinquus est à salute, quando autem actu flagellatur, & si quoad pœnam, & tormentum uerberum sit in pessimo statu tamen quia saluti propinquior est, quã cum flagellum expectabat, ob id in mitiori statu & meliori esse dicitur, sic à pari intelligatis dictum Gal. nam morbus etiam cum in statu sæuissima accidentia habet, sæuissimus est, benignus tamen dicitur ratione salutis propinquæ, (supponimus enim morbum esse salubrem) nam cito terminabitur, in principio autem malignior erat, quia uirtus opprimebatur, & quod futurum esset dubium erat incertus enim est futurus belli euentus, accidentia tamen remissiora sunt, & ita uidetis quomodo isti decipiũtur ex malo intellectu Gale. Et hæc dicta sint super hac particula prima, ultimus enim Aphorismus superius fuit declaratus.

Finis primæ particulæ Aphorismorum
Hippocr. cum lectionibus siue ex
positionibus clarissimi Ioan.
Baptistæ Montani.





IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS, PHILOSOPHORVM

ac medicorum omnium ſui temporis facile principis,

IN SECVNDVM LIBRVM

Aphoriſmorum Hippocratis Lectiones, ſumma cura collectæ, exactiſsimaq; diligentia nunc denuò recognitæ.

Cum Gratia & Priuilegio.


NVLLA SINE LABORE



EST VIRTVS.

VENETIIS APVD BALTHASSAREM
CONSTANTINVM AD SIGNVM
DIVI GEORGII. M D LV.

CLARISSIMO Baßiano Lando Placentino, Medicinæ professori celeberrimo, Balthassarius Constantinus. S. D.



VLTA equidem Philosophiæ genera esse inuenio (Baßiane doctißime,) sed nullum fortasse (mea sententia) ipsa medica philosophia præstantius. In quam opinionem hac ratione potißimum adducor, propterea quòd uideo Medicinam artem curatricem tùm corporis, tùm animi. Quod quidem quantum sit ueritati consonum, demonstrant nobis scri

pta Hipp. Gale. & omnium denique medicorum. Hac igitur ratione efficitur Medicinam esse partem philosophiæ in rebus particularibus præstantissimam. Quæ quidem post Gal. felicia tempora ad hanc usque ætatem adeo neglecta est, ut per aliquot secula partim sepulta fuerit, atque ex genere humano expulsa multum & diu delituerit, partim etiam multis & infinitis tenebris adhuc obruta fere iaceret, nisi illam uiri celeberrimi sepultam excitarent, & à tenebris in lucem reuocarent. Cœpit autem nuper reuirescere, & quasi germinare sub Leoniceno uiro doctissimo Montani præceptore, qui partim æditis uoluminibus, partim uiua uoce Medicinæ studijs lucem attulit maximam, Sub alum

no uero eius Montano, qui eruere Medicinam è Barbarorum manibus pro uirili conatus est, & folia, & flores, & fructus uberrimos produxit, cùm uir ille in hac facultate mirum in modum excelleret, ut tu ipse es locupletissimus testis, qui sub eius disciplina educatus in locum præceptoris non sine laude suffectus es. Nec adeo est mirum, si fructus eo tempore produxerit maximos, quãdoquidẽ ipse Montanus toto uitæ suæ curriculo nihil aliud tentauit, nisi ut antiquorum scripta declarans, & illorum arcana patefaciens studiosis oculos aperiret, & ad ueram huius scientiæ cognitionem perduceret, id quod sic assecutus est, ut ex illius Gymnasio innumeri ferè uiri artis medicæ peritissimi tãquàm ex equo

Troiano prodierint. Nunc uero & si id amplius uiua uoce præstare non potest, plurima tamen eius scripta, quæ extant, & in multorum penetralibus delitescunt, si ædantur hoc idem efficient. Quamobrem ego, hortante etiã excellenti & docto medico Vincentio Casali, nec labori, nec impensis parcere omnino decreui, immo quidquid ex illius scriptis ad manus meas peruenerit in uulgus ædam, ut habeãt studiosi, unde Montani doctrinam exhauriant, & degustent. Itaque in secundum Aphorismorum librum doctissimas illius explanationes nostris prælis imprimendas curauimus, quas sub tuo nomine Baßiane doctißime nobis ædere placuit, ut cùm talem & tantum habeant patronum, ab inuidorum

maledictis defendantur, & acerrimo tuo iudicio castigentur. Vale, & me ut facis ama.

IOANNIS BAPTISTAE MONTAni Veronensis in secundam particulam Aphorismorum Hippocratis, explanatio.

APHORISMVS I.

IN QVO Morbo somnus laborem facit, mortale.

IC Secundus liber est utilissimus harum septem particularum. in hoc libro intentio Hippo. est agere de omnibus sex rebus non naturalibus. s. quomodo alterent corpus nostrum, & cum has sex res non naturales multa sequantur Symptomata, ideo ab his sex rebus non recedit, & hoc miro artificio facit: acturus. n de his rebus incipit à somno, quia somnus maxime utilis est ad coctionem, nam ex coctione, & cruditate sequuntur omnia bona, uel mala, imò natura noluit esse nisi pro concoctione in animalibus, ergo ab ipso tanquam à quodam principali incipit. Sed ante quàm longius progrediar, oportet primum declarare quid sit somnus, nam à multis etiã declaratur, & præcipue à Concil. ubi disputat, an somnus conferat, an noceat principio paroxysmorum, ubi multa adducit. ante quàm definiã quid sit somnus, explicabo causas suas: formalis causa somni & secundum Arist. & secundum Gal. & Hippo. (in hoc enim sunt concordes medici & philosophi) nihil

eſt aliud, quàm refrigeratio primi ſenſiterij, ſicut ipſum definiuit Ariſt. & ſi primum ſenſiterinm eſt cerebrum, erit refrigeratio cerebri, ſi uero ſit cor, erit refrigeratio cordis. tamen uidebimus quòd erit refrigeratio utriuſque, & hæc refrigeratio eſt ſuauis, non offendens, ſed iuuans: quæ refrigeratio primi ſenſiterij habet ſuas cauſas, habet enim cauſam materialem primo, & ſunt uapores humidi, ut dicit Ariſt. primo meteor. dicit enim quòd duplex eſt uapor, ſiccus, & humidus. ita ut in homine reperiantur iſti duo uapores, & ubi uapores humidi eleuantur in corpore ad primum ſenſiterium, tunc cauſant ſomnum, eo quia ipſum refrigerant, nam dum eleuantur iſti uapores in corpore, & aſcendunt ad primum ſenſiterium, tunc ibi condenſantur, & faciunt ſomnum, non aliter quàm fiat in aere, nam ubi è terra ſunt elati uapores humidi in aere, condenſantur in pluuiam, unde poſtea cadens refrigerat aerem ipſum, & ita uapor humidus eſt materia ſomni, habemus igitur cauſam formalem ſomni, nimirum refrigerationem primi ſenſiterij, habemus materialem, qui uapor eſt, & non quilibet, ſed humidus. cauſa efficiens ſomni eſt calor naturalis, & non quilibet calor, ſed mitis, ſuauis, faciens uapores: ut enim fiant uapores in terra, non requiritur calor igneus, nec frigus maximum: ideo dicebat Ariſto. quòd tempore æſtatis non fiunt pluuiæ, quia calor igneus non facit uapores, ſed ſiccat & reſoluit uapores, & dicebat quòd qui plurimum uini bibunt, non dormiunt,

cā mater. vapores hu'.

cā effic. calor natur. mitis suauis faciē vapores.

eo quia refrigeratur calor, & non possunt generari uapores, nam frigiditas illa non sinit uapores eleuare: requiritur igitur calor suauis, & mitis: propterea circa uer ipsum multiplicantur uapores, ideoq; pluuiæ. Finalis causa est, ut fiant concoctiones, & calor naturalis augeatur, mulplicetur sanguis, & tandem uita sustentetur, & hæc est utilitas somni, est igitur somnus secundum Aristo. refrigeratio primi sensiterij, propter uapores humidos, dulces, & suaues, élatos à calore naturali, miti, & suaui, ut concoctio fiat, & spiritus refocillentur, & hæc est definitio data quid, & propter quid. Vbi modo somnus declinet ab aliqua istarum causarum, uel à pluribus, uel ab omnibus, efficietur non naturalis, & tanto magis erit non naturalis, quanto magis declinabit ab istis causis, & in his extensiue excedet: erit igitur somnus non naturalis primo quando causa efficiens nō erit naturalis, ut si sit calor igneus, tunc ex tali calore fit illa species somni, quæ dicitur cataphora. i. inclinatio ad somnum cū tamen nō posśit dormire, ut in lib. Prognost. ab Arabibus dicitur subeth. à græcis caros cū dormiunt & uigilant homines. est. n. permista uigilia cū somno, & hoc est eò quia licet materia sit apta in corpore, ut posśit fieri somus naturalis, quia sint uapores humidi unde inclinant ad somnum, tamen quia adest calor ille igneus non naturalis, qui incendit uapores illos, non potest dormire, & Gale. dicit quòd somnus hic prouenit, quoties *est plurimus sanguis in corpo-

re,qui ebulliat.ex tali.n.ebullitione eleuantur uapores ſed illa ebullitio ſi ſit ignea,non permittit dormire,id eſt ſi calor igneus uincit humiditatem uaporum,tunc motus iſte uertitur ad uigilias, quòd ſi uapor humidus uincit & ſuffocat calorem igneum,tũc fit ſopor merus,qui dicitur ab Arabibus ſubeth.habetis igitur quomodo à cauſa efficiente fiat ſomnus non naturalis. Poteſt etiam prouenire à cauſa extrinſeca,& ab intrinſeca,ab extrinſeca,ut à ſole feruido nam calor igneus,qui eſt cauſa mali ſomni,tollit ſomnũ,& eſt ab extrinſeco,ab intrinſeco,ut à calore febrili igneo.poteſt ẽt fieri à cauſa materiali ſomnus non naturalis, ut quando uapor non eſt uapor opportunus , & mitis , ſicut deberet,ut cum peccat qualitate,aut quantitate:quantitate ut cum plurimi uapores eleuantur,licet ſint benigni,& non ſit mutata cauſa efficiens,nec aliæ cauſæ,tamen quia ſunt plures uapores quàm oporteret,generatur ſomnus profundior:qui non habet aliam malitiam,niſi quòd eſt profundior , & eſt cum quis aliquantulo plus, quàm oporteat biberit.à qualitate etiam fit non naturalis , cum uapores qualitate peccant,ut cum ſint frigidi nimis,& hic eſſe poteſt etiam à cauſa intrinſeca , uel extrinſeca,ab extrinſeca,ut cum quis comederit multas lactucas,tunc efficitur uapor frigidus & humidus plus habens humiditatis,quàm oporteat,et non habet calorẽ illũ,quem deberet habere:licet habeat calorẽ.nam omnis uapor calidus eſt,tamẽ factus eſt frigidior.idẽ cõtingit à cauſa intrinſeca:ut

cum quis habet humorem intrinsecum frigidum, & humidum, ut sunt illi frigidiores, & pituitosi: & ideo ratione uaporum fit sopor ille magis, & minus. potest etiam prouenire somnus à tertia causa, à formali scilicet, ut cum refrigeratur primum sensiterium, siue cor, siue cerebrum, & hoc potest contingere, aut à causa intrinseca aut extrinseca, ita quòd non immutentur aliæ causæ, nec materialis, nec efficiens, sed immutetur tantum formalis, & hoc potest esse ab extrinseca refrigeratione positiua, et priuatiua. priuatiua ut quando nihil extrinsecus accidit: exempli gratia ut cum quis laborauerit, & se exercuerit in labore importuno, unde causetur resolutio caloris: ex ea resolutione refrigeratur primum sensiterium: & hoc non est quia ascendant uapores, imò sunt resoluti, sed tantum fit propter refrigerium primi sensiterij, quoniam calor cordis est resolutus, & potius dicitur impotentia uigilandi, quàm somnus: quia non contingit à uaporibus positiue. à causa extrinseca: uerbi gratia, cum quis sumpserit papauer, licet papauer sit frigidum & siccum ut dicit Galenus. tamen inducit frigiditatem in calorem, & spiritum, & refrigeratur primum sensiteriũ & formaliter fit ille somnus, stante causa materiali & efficiẽte naturali, & nõ immutatur aliud, nisi primũ sensorium. quandoque etiam fit talis somnus propter congelationẽ, quæ congelatio apud græcos dicitur cathochus, et de hoc loquitur Gal. in Prognosticis, quòd tales permanent stupidi, qui cathocho laborant et di

cuntur ab Aui.cōgelati, quia congelatur cor absq; uapore, & hoc fit propter assumptionē alicuius ueneni.

Quoniam multi scholares dubitarunt, qui dixerunt se non satis assequutos Aphorismum secundæ particulæ 29. de minoratiuis ideo paucis iterum rem absoluam: audiuistis quemadmodum in principio non licet purgare aliquomodo cum Pharmacia soluente, nisi materia turgeat. nam in principio nullo modo cum medicinis solutiuis euacuanda materia est: sed si materia est euacuanda, erit aut cum sanguinis mißione, & hoc clarum est, uel cum medicinis lenitiuis euacuanda in principio est, ut cum materia contenta est in primis uenis, & in intestinis. Quantum uero ad solutionem illius loci, ubi uidetur concedere minoratiua in principio, debetis sic soluere, & respondere, quòd Galenus in Com. dicit. PVRGARE, non autem dicit pharmacare, uerba Galeni sunt hæc formalia: NONNVNQVAM ET PVRGATIO: non autem dicit φαρμάκευειν: nam purgare cōmunius est quàm pharmacare, pharmacia enim dicitur tantum de medicinis solitiuis, purgatio uero de quacunque purgatione, & ideo non negamus nos, quin principio materia sit euacuanda, imò mouenda est, sed non est mouenda cum solutiuo medicamento, nisi materia sit furiosa, neq; cū medicina lenitiua medicari oportet, ubi materia furiosa sit; quomodo in acutis morbis nisi materia cocta sit, uel fuerit furiosa, non est purgandum cū medicina solutiua, & hoc satis, accedo modo ad rem pro

An in prin.º purgeī cū pharmacia soluta.

positam pro declaratione aphorismi secundæ particulæ declarabam causam, & essentiam somni, quòd sit refrigeratio primi sensiterij, propter calorem naturalem, quæ est causa efficiens. formalis causa est refrigeratio moderata, causa materialis erant uapores humidi, & secundum medicos primum sensiterium est cerebrum, secundum Arist. cor ipsum. & Io. Damescenus facit Aphorismum, quo admonet, ubi discrepat Gal. ab Aristot. non esse necessarium, ut nos intromittamus, quando res est difficillima. causa finalis est concoctio alimenti, ut separetur utile ab inutili ad hoc, ut corroboretur calor naturalis: somni uero non naturales sunt oppositi his, neque erit hoc difficile scire cum quis norit qui sit somnus naturalis. ¶ Somni non naturales dicuntur qui habent causas oppositas, exempli gratia, quicunque somnus qui fit à calore igneo, non naturalis est somnus, uergens ad uigilias, & dicitur CATAPHORA SIVE AGRIPNOCOMA, & sicuti somnus est naturalis à calore naturali, ita somnus non naturalis à calore non naturali scilicet igneo, qui dum agit in materiam igneam, alioqui etiam dulcem, ut in sanguine, facit uapores illos acres, ita ut animal nō possit percipere somnum naturalem, si uero causetur à materia non naturaliter se habente, ut à uaporibus malis, tunc etiam potest fieri à materia siue causa, uel intrinseca uel extrinseca; causa uero formalis huius somni erit refrigeratio non naturalis, & mitis, sed refrigeratio stupefaciens. quo-

niam igitur somnus naturalis fit ut conficiatur alimentum, & sustineatur animal, & calor refocilletur, ubicunque oppositum fiet, erit cruditas, & perturbatio in obiectum, in quòd agit, & potius debilitat naturam, nam ubi non est causa efficiens naturalis, nec materialis, nec formalis, nec finalis quæ potius congelat primum sensiterium, quàm refrigerat, sed præter naturam, dicuntur somni non naturales. Consequenter habetis quæ sint uigiliæ naturales, & quæ sint non naturales, naturales erunt illæ quæ habebunt illas easdemmet causas, opposito modo tamen se habentes cum somno naturali, sicut enim somnus est refrigeratio primi sensitiui, cum retractione caloris ad interiora, ita uigiliæ erunt calefactio primi sensitiui, cũ distractione caloris ad extra, & ita uigilia non naturalis erit, in qua non est calor naturalis in primo sensitiuo: similiter ubi uapores, materialis causa. s. non sunt mites, & suaues: nã quando uapores non ascendunt ad primum sensitiuum, sed cessant tum fiunt uigiliæ naturales: sed ubi uapores non desinunt, imò ascendunt, sed uapores tales sunt ignei, tunc fiunt uigiliæ non naturales: uigilia enim est in relatione ad somnum, qui somnus prius est natura, & tempore, ut dicit Aristo. quinto de generatione animalium cap. 1. prius enim est non esse quàm esse. his stantibus uenio ad aphorismi declarationem. Inquit Hipp. IN QVO MORBO SOMNVS LABOREM FACIT, MORTALE. sensus uerborum talis est, quòd in quocunque

quæ sit uigilia nator.

Vigilia calefactio primi sensitiui.

morbo in quo somnus fecerit nocumentum, nocumentum enim plerunque capitur pro dolore, nam πόνος accipitur pro dolore, & quandoque pro labore.i.nocumento, ut hic accipitur. nam πόνος aliã uim habet, quàm labor, ut probat hic Galenus per suum oppositum: nam quòd per laborẽ intelligat nocumentum, declarat Gal. per suum oppositum: nam dicit in quo uero iuuat, est signũ nõ mortale: ecce quòd iuuare est suum oppositum ipsi nocere, ergo per laborem intelligit nocumentum, quia subiungit suum oppositum, scilicet in quo uero iuuat, sed oportet põderare hæc uerba: nam dicit non mortale, & non dicit salubre, & ita utitur nomine priuatiuo & non positiuo, ratio huius est: nam contingit quandoque quòd somnus iuuet, & tamen adhuc æger tendit ad mortem eo, quia habeat alias conditiones, per quas moriatur: sed ratione huius tantum signi, scilicet somni ratione, non est mortale tale signum. Sed si somnus laborem fecerit, tunc est signũ mortale, hæc sunt uerba, quæ indigent declaratione, & ea declarabimus, ubi Hippo. uerba erũt exposita. Est igitur primo sensus uerborum considerandus, secundo ratio consideranda. debetis scire quòd si somnus nocet in morbo, in quo nocere debet, non est signum mortale. Sed si nocet in tempore, quo iuuare deberet, tunc bene est signum mortale: ubi somnus habet cõmunem rationem, quòd semper noceat tunc est signum non mortale, nam morbi habentes paroxysmos particulares, habent quatuor tempora, principium

augmentum, statū, declinationem in principio: & augmēto paroxysmi habēt, hoc cōmune morbi, quòd semper ægri dormiunt, quòd si ex hoc sequatur nocumentum, tunc non est signum mortale, eo quòd somnus habet commune hoc, ut eo tempore semper noceat: sed tunc dicitur somnus indicare mortem, ubi in eo tempore, in quo deberet iuuare, noceat, & hoc est in declinatione: sunt enim tria tempora, in quibus deberet somnus iuuare: in fine augmenti, in statu, in declinatione; si igitur in his temporibus nocet, quibus debet iuuare tunc signum est mortale. & hoc signum primum locum habet in declinatione, secundum in statu, tamen in statu non ita est mortale, sicut est in declinatione. tertium locum habet in fine augmenti, sed in fine augmenti est minus mortale signum adhuc, quam in statu, per consequens etiam quam in declinatione. Sed quare noceat in principio paroxysmorum est uidendum. & uidetur quod deberet maxime iuuare cum somnus ad hoc sit factus ut humores concoquat, sed in principio paroxysmi maxime indigemus concoctione, quia humores sunt crudissimi, ergo deberet id temporis maxime iuuare, & non in declinatione: nam in declinatione quid opus est somno? quia iam facta est concoctio, & Gal. in quarta particula Apho. 67. ubi ait quòd somnus semper noceret, nisi haberet hoc quod concoquit alimentū, ubi igitur non habet quid concoquat, deberet nocere: Sed in declinatione nihil habet quòd concoquat, ergo in declinatione deberet nocere: in

principio autem paroxysmi, cum humores sint crudi, & debent concoqui, uidetur id temporis maxime iuuare posse somnus pro hac dubitatione debetis aduertere, quia ex huius solutione poteritis cognoscere errorem illorum, qui dicunt uberiorem debere esse cœnam, quam prandium: & eadem argumenta quæ faciunt, retorquentur in illos. legatis Gal. in quartam particulam Aph. 67. ubi dicit, IN FEBRIBVS EX SOMNIS FIVNT TIMORES. fundamentum quo soluitur una dubitatio est tale. licet somnus conferat concoctionibus, non tamen semper uerum est, quòd ubi multus humor est concoquendus, ibi debet fieri retractio caloris ad intra, nam in uigilijs adhuc calor naturalis est interius, quia perpetuo fit aliqua concoctio, sed quando plurimus humor est in corpore, uel plurimum crudus, uel mala qualitate præditus, tunc si adhibeatur somnus, est perniciosissimus. sed sunt uigiliæ adhibendæ, quia difflatur calor, & semper fit aliqua diuersio ad partes extimas, insequens calorem. iuuat igitur uigilia, quia paulatim concoquit, & non confertim & uapores qui eleuantur ab illa materia, non ascendunt primum sensiterium confertim, sed paulatim difflătur insequentes calorem naturalem, si enim id temporis fieret somnus, tunc fieret plurima euaporatio confertim irruens ad primum sensiterium, quæ non facit sommum naturalem, & tunc repletur primum sensiterium, ita ut plerunque multi suffocentur, & in delirium sæpe incidant, in con

soluto.

uulsiones, in tremores, secundum naturam humoris ascendentis: & dicit Gal. quod si in plethorijs quæ est aggregatio bonorum humorum fiat somnus, tunc malus est, & multi fuerunt propter ingluuiem uespertinam maximam suffocati in nocte. Pro *declaratione secundæ particulæ, ut recte intelligeretis ambigua distinxi, dixerat .n. Gal. in Com. super eo uerbo* IN QVO SOMNVS HABET LABOREM, MORTALE. *nam si somnus nocet eo tempore, quo iuuare debet mortale est, si uero nocet eo tempore, quo semper nocet, non est signũ mortale. dat exemplum in morbis habentibus periodum, in qua sunt quatuor tempora. dicebant de mente Gal. quòd in principio periodi, & in prima parte augumenti, semper somnus nocet: in ultima uero parte augumenti, statu, & declinatione semper iuuat. si non nocet in principio periodi, & in prima parte augumenti, tunc non est signum mortale: Sed si nocet in fine augumenti, uel in statu, aut declinatione, tunc est signum mortale: quoniam in his semper iuuat. quærebatur modo à nobis an hoc esset uerum, eò quia uidebatur esse contrarium, nam si uerum est quòd propterea somnus à natura institutus sit ut fiat concoctio, & trahatur calor ad intra, ut generetur sanguis, certum est quòd eo tempore, quo indigemus coctione, eodem tempore maxime egemus somno. sed in principio paroxysmorum egemus maxime concoctione, ergo maxime in principio paroxysmorum deberet somnus conferre,*

In plethoriis som! malus e.

sed in declinatione non egemus concoctione, quia concoctio iam perfecta est, ergo in declinatione est somnus superfluus: & si credimus Galeno non tantum non iuuat imò nocet, ut dicit in quarta particula aph. 67. ad hoc ut soluatur dubium, oportet primo uos supponere quod sciatis, quis sit somnus naturalis, quòd est refrigeratio primi sensiterij suauis & mitis, secundo quòd habet uaporem dulcē, & suauem, carentem mala qualitate, & multitudine. Tertio quòd calor naturalis est mitis, non igneus qui est causa efficiens. somnus non naturalis contrario sese habet modo; habet.n. ut refrigeratio sit uehemens, & ueluti Congelatio, præterea habet naturam nō cōuenientē in quātitate, uel qualitate. Tertio habet quòd calor est nimis igneus & acris. hæc omnia oportet uos supponere. ille igitur sōnus iuuabit qui habebit prædictas conditiones naturales, uel quòd refrigeratio sit suauis & mitis, uapores suaues, & dulces, multitudine non peccantes, Calor suauis, non acris. ille nocebit qui habebit caussas contrarias. his stantibus aliud est etiam supponendum, quòd accidentia quæ sequuntur somnum, sunt ut humectet corpus & prohibeat euaporationem per halitum, uigiliæ totū oppositum faciūt siccant corpus & uaporare faciunt per halitum, & hoc ait Gal. secundo de ratione uictus Com. ultimo. tertium suppositum est ut Concoctio semper fiat, tam in somno quam in uigilia. nam ex omnibus nostris actionibus duæ sunt quæ semper habent actum cōtinuum, una uitalis ut

actus pulsatiuus, altera naturalis ut concoctio perpetua, & licet in somno sit ualidior concoctio, tamen etiam in uigilijs fit concoctio, licet non ita ualida: ubi ista tria supposuerimus, facile respondebimus ad obiecta: dicemus quòd in principio paroxysmi somnus maxime nocet, & in augmento, & in omni tempore, ubi materiæ sunt crudæ admodum quã do quis principio paroxysmi dormit, inuenit somnus materiam retractam ad partes intrinsecas, facientem paroxysmum ut dicit Gal. secũdo de Crisibus et primo de Diff. feb. & coarctatum humorem ita & repletur uentriculus malis humoribus, unde fiunt nauseæ & sopores. crudus igitur humor retrahitur ad intra qui quidem peccat qualitate, uel quantitate, quoniam adest putredo, quãdo igitur humor crudus est, & homo dormit ex primo supposito pluri mi uapores eleuantur ab humoribus crudis, peccantibus quantitate, & qualitate, unde primum sentiterium aggrauatur, nam cum homo iuuatur à somno, iuuatur ab humoribus temperatis in quantitate & qualitate, isti autem peccant in quantitate, & qualitate, ergo necessario primum sensiterium aggrauatur & refrigeratur refrigeratione non naturali, et à qualitate mala, ex quo protenditur paroxysmus. præterea ex secundo supposito prohibetur ex somno halitus, & transpiratio uaporum per cutim, quo fit ut omnes uapores qui solent exhalare, retineantur ad intra, unde suffocatur calor innatus. nam quando aggrauatur à nimia quantitate & qualitate

tunc non potest exercere proprias operationes, & tunc contingit quòd primo patitur cerebrum, deinde descendentes illi humores per partes corporis singulas, cum sint crudi augent obstructionem & labores: augent paroxysmum, quia diminuitur calor qui erat necessarius ad materiam concoquendam. malum igitur affert ei qui dormit in principio paroxysmi existente materia cruda: uigiliæ uero totum contrarium faciunt eo tempore: primo cum calor retrahatur ad extra per halitum plurimum diflant ex illis uaporibus, nam concoquit eo quia homo est in uigilijs, concoctio illa fit paulatim, unde uapores qui attolluntur ab illa materia putrida uaporant partim per cutim, unde non ita repletur caput, quia non fit concoctio confertim & simul, exsiccaturq́; corpus exsiccatione superflua, unde transacto principio &c. adueniente augmento circa finem augmenti apparent signa concoctionis, & magis adhuc in statu, & declinatione, & tunc si dormit cum illi uapores transierint, quoniã iam facta est aliqua concoctio per halitum, ubi igitur illi humores mali fuerint euacuati, tunc accedente somno calor innatus fit fortior seipso, & tũc trahit partem illam utilem in nutrimentum, & tunc maximum natura percipit iuuamentum. in declinatione uidetur longè magis: nam si in statu ubi adhuc non est facta perfecta concoctio iuuat, quanto magis in declinatione ubi fuerit perfecta concoctio iuuabit? tunc enim facit separationem utilis ab inutili, attenuat enim uaporẽ & ex

cur in declin. appareant sudores.

pellit. & hinc est quod sæpißime in declinatione apparent sudores. cur igitur noceat somnus in principio paroxysmi audiuistis, quia refrigeratur, sensiterium primum refrigeratione non naturali nam si uapores sunt frigidi per defectum congelant primum sensiterium, si uero per excessum sunt frigidi, tunc replent illud mala qualitate & quantitate: in declinatione iuuat, quia tunc naturalis fit cum uapores mali iam fuerint per halitum euacuati. Ad argumentum respondeo, quando dicitur requiritur maxima concoctio, dico quòd requiritur concoctio, sed non maxima illa, quia non opus est ut eleuentur uapores illi mali confertim ad primum sensiterium, ipsumq; nimium refrigerent, sed oportet ut sint uapores naturales, in declinatione licet sit facta concoctio malorum uaporum & humorum, tamen non est facta separatio boni à malo. ¶ Restat alia difficultas, quia uidetur unum aliud ex his consequi quòd est à multis propositum, & à Curtio, an debeat esse uberior cœna, quam prandium, nam post cœnam est longus somnus, prandium sequuntur uigiliæ ex quo diximus somnum post cruditatem nocere, ergo uidetur quòd minor quantitas cibi sit sumenda in cœna quam in prandio. Sed contra hoc arguo sic, nam id temporis confert multus cibus ubi maximus calor est, sed in nocte maximus est, ergo in cœna plurimum cibi exhibendum est, quoniam calor fortior, & potentior, & secundum proportionem caloris exhibendus est cibus, ut dicunt Gal. et Hipp. in

An debet esse uberior cœna quam prandium.

aph. &

aph. & quanto longius ſpatium eſt inter unum terminum, & alterum tunc maiori cibo indigemus, ſed maius ſpatium eſt à cœna in prandium, quam à prandio in cœnam, ergo cœna eſto plenior, et hoc dicit Galenus, tamen omnes iſtæ rationes, dum dicuntur à Galeno, ſunt ueræ, dum uero recitantur à Curtio, & à neotericis, ſunt falſæ. nam ubi eſt multa cruditas, ſi concentretur calor innatus, fiet maxima concoctio, & confertim plurimi attollentur uapores: & ſicuti deberent difflari per cutim, nō difflabuntur: imò retinebuntur, & ubicunque plurima cruditas aggregata eſt, accedente ſomno neceſſum eſt, ut plurimum euaporet: ideo cum cibus habeat plurimas partes craſſas, multos emittit uapores, ſtante illa cruditate, & accedente ſomno, in quo concentratur calor, & eleuantur plurimi uapores neceſſario: quemadmodum contingit in lebete, in elixatione, nam quanto erit maior ignis, tanto plures eleuabuntur uapores: ergo quanto calor maior erit concentratus ad intra, tanto fient plures euaporationes, quæ eleuantur ad caput, malæ & in quantitate, & qualitate: ergo malum plus cibi ſumere in cœna, quam in prandio. nam ex uaporibus iſtis peccantibus neceſſario oportet, ut primum ſenſiterium refrigeretur, refrigeratione non ſuaui, ſed fiat ſuffocatio caloris innati, primo priuatiue. Suffocato enim calore innato, neceſſario multiplicantur cruditates, quia impeditur cōcoctio, quoniam plurimi uapores contenti in cerebro cadunt in uentriculum ip-

ſum, unde neceſſario calor uentriculi ſuffocatur, & ita natura impedita neceſſario corrumpitur cibus, unde poſtea plurima ſuccedunt impedimenta ex aſ-ſumptione uberioris cibi in cœna, quam in pran-dio: & ideo conuenienter dicebam rationes in Ga-leno conuenientes eſſe, ſed malas in neotericis, eo quia non eſt eadem cœna apud nos, & apud anti-quos. ubicunque igitur plurimi uapores ſunt in uen triculo, accedente ſomno, malum eſt. nam dicebat Gal. 12. Terap. tertio, quòd ſomnus poſt cruditatem non eſt bonus, quoniam aggrauat primum ſenſite-rium, qui igitur uolunt cœnare ſicut nos cœnamus, primo accipiunt prandium uſque ad ſaturitatem, & cœnam uſque ad ſaturitatem, quòd ſi accipiatur, ut iſti præcipiunt prandium intra ſaturitatem, & mo dice cibetur, deinde cœnatur ſicuti dicunt, contingit primo, ut tota die fameſcant, deinde quærũt in cœna ſatisfacere inediæ, quòd malũ eſt, ſicuti dicebat Gal. in primo de ratione uictus, dicit. n. quòd peßimũ eſt, poſt inediam quærere cibũ: quando igitur dicit Ga lenus quòd uberior cœna debet eſſe, quam prandium, rectè debet intelligi dictum ſuum, & caute interpre tari: eo quia Gale. fuit tempore Antonini, quo tempo re cœnabatur hora nona diei. Diuidebantur enim dies apud antiquos in duodecim horas, ſed in æſtate ubi dies eſt ſexdecim horarum, diuidebatur in duode cim partes, in hyeme quoniam dies erat tantum octo horarum ſimiliter apud antiquos in duodecim par-tes, et ita ſemper hora nona diei, ſiue eſſet æſtas, ſiue

hyems cœnabant, & pauci eo tempore prandebant, quia hora tertia diei prandebant, postea supererant adhuc horæ tres ante occasum solis, quatuor enim horæ dantur uentriculo ad concoquendum cibum, ergo rectè fiebat apud antiquos, cum post cœnam starent per quatuor horas antequam dormirent, ubi nos cœnauimus uigesima hora diei, & per quatuor horas steterimus antequam accedamus dormitum, tunc laudo: quoniam tunc concoctio facta erit in uentriculo. Sed ubi post cœnam per horam tantum, uel etiam statim accedimus dormitum, nihil peius, quòd cotidiana docet experientia, oportet igitur distinguere de qua cœna sit sermo, si de cœna antiquorum, conceditur, si de nostra negatur, & omnes rationes illorum retorquentur in illos. est enim una auctoritas Galeni in lib. de facile parabilibus, ubi dicit q; aßũpto ueneno aliquo debemus custodire nos ne dormiamus, eo quia si dormiremus, statim accederet uapor ueneni ad primum sensiteriũ, et ipsũ suffocaret. ad aphorismũ modo IN QVO MORBO SOMNVS LABOREM. notate, debet intelligi aphorismus de illo tẽpore in quo somnus debet iuuare, nã si eo tẽpore nõ iuuat, sed nocet, tunc est signum mortale, si esset in principio paroxysmi, in quo sẽper somnus nocet, nõ esset signũ mortale: quia sua est culpa, et non est culpa dispositionis, sed ubi auget somnus deliria, & laborẽ, & cõuulsiones, tunc mortale signũ est: et hoc ideo est, quia sõnus naturalis semper iuuat, nõ naturalis nocet, naturalis

quattuor horæ dant[ur] uent[ricu]lo ad cõcoquendũ cibũ.

Gal[eni].
Assũpto ueneno aliquo debemus custodire nos ne dormiamus.

inquam qui est refrigeratio suauis, & mitis, & ex uaporibus suauibus humidis, & ex calore naturali miti, ubi ista quatuor non adsunt, nocet, & ubi nocet nocumentum est, ut illi humores, siue uapores maligni eleuentur ad primum sensiterium ex somno, & tunc somnus est malus, eo quia indicat, quòd calor innatus debilis est, & non potest concoquere, & fit cruditas, & natura superatur à morbo. nam ubi natura pugnat cum morbo in tempore somni, & ne dum concoquit, imò nocet, & augentur accidentia, necessario succumbit natura: & æger moritur, mortale igitur signum rectè profertur, & positiue: non autem priuatiue. nam si in suo maximo uigore, qui est quando dormit, non potest natura superare morbum, ergo mortale signum, non dixit, non bonum, sed mortale, neque quisquam alius ita sectatus est proprietatem uerborum ut Hippocr. IN QVO VERO IVVAT NON MORTALE. *cur dixit non mortale, & non dixit salubre? debebat enim dicere salubre, ut enim oppositum dicitur de opposito, ita propositum de proposito: nam si somnus, qui nocet, est signum mortale, ergo per oppositum, si iuuat est salubre. dico quod ratione somni nullum significatur maleficium, quia iuuat, sed potest euenire modo, quòd sint aliqui alij affectus interficientes ægrum, præter somnum, exempli gratia, sit aliquod apostema interius, si dormiat, quantum ad humores somnus cōferet, sed apostema interficiet: igitur uerum est, in quo morbo*

ſomnus laborem facit, eſt ſignum mortale, in quo uero iuuat non mortale, & quare non mortale, dixerit, & non ſalubre audiuiſtis. In alia lectione dixi, quòd ſtante cœna, ut in uſu eſt noſtra ætate, & ſtante prandio, eſt melius parce cœnare, & uberius prandere: & ita totum erit oppoſitum illi, quòd dicebatur à Curtio. ſed loquendo ſecundum cœnam antiquorum, optime fuit dictum ab antiquis, uberius cœnandum, & parcius prandendum, & ita redigitur res ad ſummum, quòd ſomnus ſemper malus erit, ubi quis ſtatim poſt multam cruditatem capiat ſomnum: ſicuti contingit in principio paroxyſmorum, uel quando multitudo humorum eſt in uentriculo. nam ſi dormit homo, ubi cruditas eſt, ſunt plurimi uapores poſt ſomnum, ſi ſomnus fuerit non multo poſt cibum: confertim enim eleuantur ad cerebrum, & ita uaporibus frigidis oppletur cerebrum, & refrigeratur, atque diſpoſitiones lethargicas inducit, unde poſtea deſcendit ad uentriculum, & impeditur coctio, & ſequitur cruditas, quòd ſi cœnauerit multum, & permanſerit per quatuor horas, donec concoctio facta fuerit in uentriculo, tunc non eſt periculum, quòd repleatur cerebrum, & tunc uerum eſt, quòd fit bona concoctio, & tunc bonum eſt, uti plurimo cibo in cœna; et ita ſecundum cœnā antiquorum optimū eſt. & ſoluitur auctoritas Gal. ſecundo de ratione uictus, inquit enim ſi quis in prādio plurimum cibi aſſumpſerit, tunc debet uti ſomno longo, tanquam in nocte, id eſt debet diem, ſicuti no-

ctem agere; uidetur igitur quòd post multum cibũ, debet homo dormire. dico quòd idem est quod dixit Hippocrates, dicebat enim ubi quis plurimum pransus fuerit, debet ita diem, ut noctem agere: uolunt Gal. & Hipp. post cibum multum, plurimum somnum conuenire, sed non statim, sed post primam coctionem in uentriculo factam, sicuti à cœna permanent homines per quatuor horas, antequam eant dormitum, ita debet facere in die, & ita sunt omnia consona, si somnus naturalis sit, erit ex uaporibus dulcibus, & suauibus, non naturalis autem erit ex uaporibus malis, & crudis, ergo qui dormiunt post cibũ statim replent primum sensiteriũ malis humoribus, & refrigeratur refrigeratione mala, non moderata. VBI SOMNVS DELIRIVM SEDAT BONVM. hic aphorismus & duo sequentes sunt faciles, continuat autem hunc Gal. cum præcedenti, ac si esset pars illius, & inquit, quòd Hippo. addit hunc aphorismum tãquam exemplum quoddam, ita si is cum præcedenti iungatur, non erit malum, ac si dicat, si iuuat somnus in morbo, non est mortale, ubi sedat dolorẽ somnus bonũ & tãdẽ ubi somnus sedat omnia accidentia, bonum est: & usus est exemplo secundum Galenum. sed domini dubitationem unam hic audiatis, dixerat Hippo. si somnus iuuat non mortale, noluit dicere bonum, sicuti dixit, si nocet malum, & mortale: sed non sequitur oppositum ex opposito, scilicet quòd si iuuat sit signum salubre cur non dicit nunc, si somnus delirium

sedat bonum? absolute enim bonum profert, & non indefinite, ac si diceret salubre. ergo uidetur quòd non sit exemplum: sed sit aliud, quasi dicat, aduertas quòd si somnus sedauerit delirium, non erit ita, sicuti si sedauerit alia accidentia, nam ubi sedauerit febrem, erit non mortale tantum, neque significabit salutem: quia ex alio accidente poterit interimi, ex auctione aliorum accidentium, & ideo si sedauerit febrem, non erit signum salubre: in reliquis uero non est sic dicendum: nam delirium apud græcos dicitur παραφροσίνη, id est inclinatio quædã ad phrenitim quæ est apostema in cerebro, ubi igitur somnus delirium sedat, est bonum, & salubre, primo per uiam signi, quia cum sit delirium apostema tale, ex uaporibus malis, ubi somnus sedauerit tale delirium, indicabit quòd materia illa mala, ex qua eleuabantur uapores mali, concocta est. est etiam bonum per uiam causæ, quoniã cum sedauerit delirium, et cerebrum se habuerit secundum naturam, spiritus non agitatur præter naturam, & ita spiritus erunt secundum naturam, & ita ubi sedat delirium erit bonum absolute, & non priuatiue, hoc modo ego exponerem aphorismum: sequitur tertius aphorismus.

APHORISMVS III

SOMNVS, ATQVE VIGILIA, SI MODVM EXCESSERINT MALVM. Continuatur aphorismus hoc modo, quia dixit de iuuamentis

ſomni, & nocumentis, nunc inquit aduertas, & pro-
fert regulam uniuerſalem, quòd ubi ſomnus, & uigi
lia modum exceſſerint, malum ſemper erit. quantum
attinet ad uerba facilis eſt aphoriſmus, ſenſus eſt dif
ficilis. primo oportet conſiderare SOMNVM, ET
VIGILIAM: de ſomno dixi alterum eſſe natu-
ralem, alterum non naturalem, naturalis erat, qui ha
bet cauſas ſuas naturales: et refrigerat cor ſuaui re-
frigeratione: præterea, quòd ſint uapores humidi, dul
ces, qui nõ peccẽt, nec quantitate, nec qualitate, quòd
calor naturalis ſit ſecundum naturam, & eius finis
ſit, ut adiuuet conconctionem: & calorem corrobo-
ret. ratio formalis eſt refrigeratio primi ſenſiterij,
& quoniam ratio formalis eſt, quæ primo conſide-
ratur, ideo aduertere oportet, quòd ubi ſemper erit
refrigeratio ſecundum naturam, ſomnus erit bonus,
ubi uero contrarium fuerit, erit malus. ergo eſt in-
telligendus hic ſomnus non naturalis, quia natura-
lis nunquam modum excedit, ut inquit Gal. in ſexto
de Tuenda ualet. dicit enim ſomnum eſſe nouem ho-
rarum, ubi facta fuerit refrigeratio ſuauis. at ſi fue
rit refrigeratio inſuauis, id eſt, non naturalis tunc
malum, nam ſi fuerit ſomnus longus, & facile ſolu-
bilis, tunc non eſt malum, & eſt naturalis ſomnus:
ut dicit Gal. quòd fuerunt quidam, qui biduo dormie
runt, & tandem ſoluti ſunt magna cum illorum uti
litate. quidam etiam ægri integra die dormierunt,
ut dicit in octauo Therap. de illo, qui patiebatur fe
brem ardentem, ubi ſolutus eſt, maximam ſenſit uti-

Som.^s. E. nove horas.

litatem, & ille ubi noctem, & diem dormiuit, cum maxima uoce est excitus, & sanatus. Vnde qui dixerunt nullum somnum posse lædere, intellexerunt somnum naturalem: ubi igitur ratio formalis somni fuerit refrigeratio suauis primi sensiterij, non secundum naturam, tunc malum est. VIGILIA, qui uertunt VIGILIA, ij sic uertũt penuria nominum, in græco codice non est uigilia, sed dicitur ἀγρυπνίη, id est, insomnatio. si uolumus ista definire secundũ affectum, dicimus quòd somnus nihil est aliud, quàm priuatio motus sensitiui primi, uigilia est motus, & actio sensitiui primi, ita quòd uigilia opponitur somno, sicut actus, & priuatio, quando igitur uigilia adest, ut non tollat potentiam dormiendi, ita ut non sit contraria potentia ipsi somno, tunc est uigilia naturalis, sed ubi est aliqua nimia calefactio, & exsiccatio primi sensiterij, ita ut si ascendant etiam uapores humidi, non poßit dormire, quia siccatum est nimis sensiterium primum, & tunc uidetur ea uigilia impotentia ad dormiẽdũ (ἐγρήγορσις dicitur à græcis) à nostris uigilia non naturalis appellatur, cum modum excesserit, unde Galen. in fine com. subiungit: fuerunt nonnulli, qui dixerunt uigiliam nunquam fuisse bonam, nec esse, sed semper malam. ideo dubitant aliqui quomodo hoc poßit quadrare, neque dubium est de uigilia naturali, sed de ἀγρυπνία. quomodo potest esse aliqua insomnietas bona. semper enim mala est: quia est priuatio potentiæ ad dormiendum. Cur igi-

somnus ē priu. motus sensitiui primi.

tur dicis, o Hippo. insomnietas, si modum excesserit mala, imò semper malum est. Respondet Galen. quòd malum aliquod bonum etiam dicitur, quando paruum est in comparatione ad pessimum, & ita insomnietas parua ratione insomnietatis pessimæ, & maximæ, dicitur bona. nam insomnietas leuis, quia leuis, dicitur bona. Sed hic intelligit de somnietate, quæ modum excesserit, quæ mala est, si igitur ponatis insomnietatem pro priuatione dispositionis ad somnum, optimum erit, si intelligatis de somno non naturali, optimus erit aphorismus, si de uigilia intelligitur, quæ est priuatio dispositionis ad somnum, tunc sensus est, quòd ubi somnus non naturalis excesserit modum, ut ita non facile excitari incipiat, hunc somnum non curat medicus, quia non est malũ, quia expergiscitur, ideo non malum est absolute. Similiter dicendum de insomnietate, quòd si talis sit, ut difficulter possit dormire, dormiat tamen, tunc non est malum. Sed ubi quis inciderit in somnum, ut facile non possit expergisci, malum est. Cum uero æger difficulter expergiscitur, ita ut excedat modum, tũc mortale, ita quando æger non potest aliquo pacto dormire, tunc pessimum signum est. ergo si utraque modum excesserint malum, non igitur quæcunque uigilia, & quicunque somnus intelligitur. ratio aphorismi facilis est, nam somnus non naturalis, qui modum excessit, malus est. primo per uiã signi, quia ubi talis somnus est, significat primum sensitérium incipere congelari, & calorem naturalem to-

tum gelari, & refrigerari, & humores malos rebelles concoctioni repere ad cerebrum, unde causatur lethargia, siue subeth ex uaporibus humidis, malis. si uero fuerit somnus propter plurimam exiccationem, ita ut æger dormiens stet cum oculis apertis, tunc est propter resolutionem caloris, nam aliud est quòd calor extinguatur ab humore primo, & aliud quòd extinguatur per resolutionem, & plurimam exiccationem, defectum'que humidi, tunc enim manet homo apertis oculis, non loquuntur tales, & uidentur tãquam dormientes, et non possunt dormire: nec excitari. tunc talis somnus malus est, per uiam causæ, quoniam huiusmodi somnus extinguit calorem naturalem, cum retrahatur ad intra, & non potest expandi, ideo suffocatur. par est ratio de uigilia, quæ dicitur insomnietas, est primo mala per uiam signi, quia indicat plurimam siccitatem in sensitiuo primo, & non habent potentiam ad dormiendum, quoniam plurimus calor est in illo resoluens totum humorem demandatum ad illud, & tunc non potest dormire, uel quia exsiccatum est primum sensiterium, uel calefactum prima calefactione uel simul calefactum, & exsiccatum est etiam malum per uiam causæ quia uigiliæ perpetuæ resoluunt calorem innatum, nam si somnus est inuentus ad hoc, ut refocilletur calor, & fiat concoctio, ubi aderunt uigiliæ perpetuæ, exsiccabitur corpus, resoluetur'que calor, unde sequitur mors. cur igitur male sint uigiliæ, intelligitis et per

uiam caussæ, & signi. Quærit Gal. quid sit somnus, & inquit esse passionem, si est passio, ergo & priuatio quodam modo. an ab ipso tot actiones possint peruenire, dubitat Gal. in libro de odoratu, & utrum somnus sit affectus, an opus naturæ quoddam, & dicit quòd non ita facile soluitur questio, tamen Galenus quamuis hoc dicat, uidetur ex ratione somni, quòd somnum sit passio quædam, cum sit ligamentum, & uinculum primi sensitiui, & ipsius refrigeratio, quæ est extinctio, & diminutio omnium actionum, quomodo igitur à somno tot actiones proueniunt? Respondeo eodem modo, quo respondebam de dolore, qui dolor est passio quædam, quæ nunquam est sine agitatione caloris, & spirituum, quam agitationem sequitur dolor. ita de somno dicendum, quem sequitur concentratio caloris, quam concentrationem sequitur multorum uaporum euaporatio, & eleuatio, non quatenus somnus, sed quatenus somnum sequitur concentratio caloris, quam concentrationem caloris sequuntur uapores, siue uaporationes.

APHORIMVS IIII.

NON SATIETAS, NON FAMES, NEQVE ALIVD QVICQVAM, QVOD MODVM EXCESSERIT. Continuatur aphorismus cum præcedenti hoc modo, ut unus esse uideatur cum dixit in alio, somnus, & uigilia, si modum

excesserint, malum, statim subdit, satietas, & fa-
mes si modum excesserint, malum ita: quòd dicat non
tantum somnus & uigilia si excedant malum, sed
etiam si fames, & satietas modum excedant, ma-
lum erit, & breuiter quodcunque aliud modum
excedens malum est, scitis domini esse sex genera
rerum alterantium nostrum corpus, quæ dicuntur
res non naturales, quia sunt mediæ inter res na-
turales, & præter naturam. humores enim spiri-
tus, & elementa dicuntur res naturales, quoniam
sunt de essentia corporis, morbi sunt præter natu-
ram, quoniam corrumpunt ipsum corpus. At ue-
rò aer, cibus, potus, somnus, uigilia, motus, quies, ina-
nitio, repletio, affectus animi, sunt res mediæ inter
naturales, & præter naturam, dicit igitur Hipp. de
euacuatione, & repletione, quòd est aliud genus re-
rum alterantium: cum dixi de his statim infert, &
omnia quæcunque ex his caußis alterantibus modum
excesserint, malum est. nam scopus Hipp. in hoc secun
do lib. est tractare de sex rebus non naturalibus. in-
telligatis ergo alterantes causas nostrum corpus, res
non naturales, non res præter naturam NON SA-
TIETAS ut recte intelligatur aphorismus et ratio
aphorismi, oportet uidere quid per famē intelligat,
famem possumus intelligere famem naturalem, &
præter naturam. dubium est de qua intelligat, ut igi
tur poßitis iudicare, oportet tenere notionem huius
termini fames, ut cognoscamus quæ noceat, & quæ
non noceat. quantum ad rationem formalem, fames

Fames e tristis sensatio facta in ore ventri: corrugatione; et contractione villorum existentium in ventriculo

nihil eſt aliud, quam triſtis quædam ſenſatio facta in ore uentriculi. ubi igitur in ore uentriculi eſt aliqua triſtis ſenſatio, ergo fames. conſequentia eſt falſa, ſed hæc bona eſt, argumentatio eſt fames ergo triſtis ſenſatio ſed non conuertitur, ideo dicitur ratio formalis generica, ſicut dicimus homo eſt animal, animal enim eſt ratio formalis hominis, ſed generica, non autem ſpecifica quia non conuertitur, bene dicitur eſt homo, ergo animal, ſed non conuertitur, eſt animal, ergo homo, quia ſunt etiam plura alia animalia, quæ non ſunt homines, ita in uentriculo ſunt aliæ triſtes ſenſationes, quæ non ſunt fames, ſed ſi addamus illi rationi formali genericæ differentiam, efficietur ratio formalis ſpecifica, & propria, hoc modo. fames eſt triſtis ſenſatio propter corrugationem, & contractionem uillorum exiſtentium in uentriculo, nam ipſa natura corrugat, & contrahit os uentriculi, ratione finis, quia per corrugationẽ uentriculi natura ſtudet excitare animal ad cibum capiendũ, cauſa efficiens corrugationis proxima eſt ipſa electio, fames cum ſit motus localis, factus eſt non mere naturalis, ſed miſtus, nam concurrit etiam quodam modo uirtus animalis, ſed cauſa efficiens dans occaſionem, eſt attractio ipſarum uenarum meſſaraicarum, nam trahunt alimentum propter ſuſtentationem corporis, quòd ſi non ſit aliud alimentum quòd attrahitur, tunc uẽtriculus ſentiens attractionẽ, corrugatur, et quærit auxilium aliũde, uenæ enim meſſaraicæ attrahũt, quo

niam ſentiunt attractionem ab hepate, ratione indigentiæ. hepar attrahit à uenis meſſaraicis quæ & ipſæ trahunt à uenis exiſtentibus in toto corporis ambitu, & ipſæ attrahunt ultimo à muſculis: cum igitur uentriculus eſt inanitus, & non habet unde attrahat, corrugatur, & excitatur ad appetitum, & tunc quærit cibum extrinſecum, & notetis quòd famem naturalem ſemper præcedunt quinque modi attractionis, primo enim muſculi attrahunt à toto ambitu corporis, totus ambitus trahit à uenis, uenæ attrahunt ab hæpate, hepar attrahit à meſſaraicis, meſſaraice à uentriculo, & tunc quærit uentriculus propter corrugationem cibum extrinſecum, & iſta fames excedit modū naturæ dupliciter, uel excedit ſecundum quantitatem, & dicitur non naturalis, ſed non ex toto genere præter naturam, nam aliud dicitur contra naturam, quoniam peccat in modo, & aliud contra naturam, quia peccat in eſſentia, fames igitur quæ non eſt ex toto præter naturam genere, ſi ſtatim aſſumat, efficitur naturalis, ſed ſi contingit fames, ſicuti contingit pauperibus, & iſtis ſanctis, qui ſemper ieiunant, tunc fit & extenditur maximo damno, & periculo hominis, dicitur talis fames non naturalis, ſed non toto genere præter naturam. bene eſt in quanto præter naturam, ſed non in genere, ſed eſt in modo: quia excedit in quanto præter naturam, & propter neceſsitatem, uel electionē hominis. alia eſt fames ex toto genere præter naturam, & eſt illa quæ habet cauſas non naturales, dixi

mus enim famem esse per indigentiam, propter corrugationem uentriculi, sed ista non est propter indigentiam, sed propter alias causas non naturales, ita quòd hanc non præcedit corrugatio, nec attractio uenarum, per attractionem membrorum, tunc enim fames dicitur ex toto genere præter naturam, quando non habet suas causas naturales, neque causam finalem. habet naturalem, quòd indiget alimonia, imò indiget parsimonia, sed contingit quòd in ore uentriculi sit frigiditas cum humoribus frigidis, uel frigiditas sola sine humoribus, tunc fit illa fames, & est ratione intemperiei, & dicitur non naturalis: quoniam contingit propter intemperiem frigidam existentem in uentriculo, uel cum materia, ut, cum humores acidi existunt in uentriculo, uel sine materia, & appellatur talis fames, fames canina. & non indiget alimento, quia si est pituita, indiget euacuatione, si intemperies tantum, tunc indiget alterantibus calefacientibus, nam non quælibet pituita facit famem, quia excitat, & pungit uentriculum, unde propter mordicationem materiæ excitatur fames, & istud est contra neotericos, qui dicunt omnem pituitam causare famem, & sic habetis duas fames præter naturam, quæ peccant in quanto, quando non aufertur cibus, uel propter necessitatē, uel propter electionem, alia est ex toto genere præter naturam, quæ fit ratione intēperiei solius, uel ratione intemperiei cum humoribus, est modo & tertia quæ dicitur bulimos idest fames uaccina, siue bouina & ista

& ista non est proprie fames, sed hanc proprie præceßit fames: ut quando frigiditas accidit uentriculo, & fit fames canina, quæ ratione frigiditatis extinxerit sensum uentriculi, tunc excitatur fames bouina, nam cum non accipitur cibus, neque uentriculus corrugatur propter maximam frigiditatem, tunc uenæ trahunt messaraicæ: & hepar trahit, & omnia membra sunt famelica, præter uentriculum, & hæc est longè deterior, quàm canina fames, quia illa habet sensum, licet sit malus, in hac ratione frigiditatis totus sensus extinctus est, et ideo peßima est. nos igitur intelligimus famem, qua animal excitatur ad cibum, non illam ultimam: habetis igitur tres species famis, et quartã, quæ non proprie dicitur fames præter naturam. his positis, uidendum quam Hipp. intelligat famem. Hipp. intelligit famem, quæ peccat in quanto, et est extensa, ubi quoque eandem intelligit in ea parte, quæ dicit ubi fames, ibi non est laborandum. de hac eadẽ intellexit in primo Prognosticorum, ubi numerat signa faciei ægrotantis, si uultus sit similis sanorum, uel contrarius, si sit nasus compressus, collapsa tempora, caui oculi, acute nares &c. inquit postea, debes aduertere an præcesserit uigilia, uel aluus fuerit soluta, uel præcesserit fames: ibi enim intelligit famem peccantẽ in quãto, prætera in Epidemijs hoc idẽ intellexit, ubi narrat famem contigisse in Thaso, & Galenus in primo libro de cibis boni, et mali succi, ubi ait in Asia famem contigisse multam ita, ut coacti fuerint come-

dere non comedendi. græci optime distinxerunt istas fames, & appellauerunt illam, quæ non excedit in quali, nec in quanto πείνη, eam uero, quæ non in quali, sed in quanto tãtum peccat, uocarunt λοιμὸς, quæ distinguitur à πείνη, optime ergo dixit Hippo. λοιμὸν non πείνην: Antiqui uero nostri, qui magis curauerunt sensum uerborum, quàm latinitatem, appellauerunt indigentiam, & ideo in ueteri traductione legitur indigentia, & per hoc nomen indigentia dixerunt famem extensam, propter indigentiam alimenti, hanc intellexit Hippocr. cuius signum est, quòd obtulit eius oppositum SATIETATEM. nam sicuti fames non est signum bonum, ubi modum excesserit, ita suum oppositum satietas, ubi modum excesserit malum, nam satietas non opponitur fami caninæ, quia potest simul stare, quoniam potest esse fames canina, & etiam satietas, nec esse indigentia. non intelligit igitur famem caninam, quoniam semper mala est: dicebat enim Auicenna, quòd tolerare famem malis stomachum opplet humoribus, & est causa multorum malorum, quia replet uentriculum, nam dum membra attrahunt à uenis, id est a toto ambitu uenarum, & uenæ ab hepate, & hepar à uenis messaraicis, & uenæ messaraicæ à uentriculo, tunc uentriculus cum ualidus est, insurgit uehementi attractione, & est maior attractio, quàm sit cæterorum membrorum, mouetur enim localiter, & uult habere, unde poßit attrahere, & cum extrinsecus non poßit habere trahit motu opposito. trahit

enim à mesaraicis, & mesaraicæ ab hepate, & cum membra non poßint facere aliter, quin aliquid emittant, ratione uiolentæ attractionis ipsius uentriculi, quid faciunt? retinent bonum pro se, & excernunt, quod malum est, unde uentriculus repletur malis illis humoribus, & excrementis. Ad ueritatē modo Aphorismi, NON SATIETAS, NON FAMES, NEQVE ALIVD QVICQVAM QVOD MODVM EXCESSERIT, omnia ista mala sunt primo per uiam causæ, quia resoluitur uirtus, quare enim excitatur fames in uētriculo? ut cibus aßumatur: quare sumitur cibus? ut restauretur uirtus: deficiente cibo uirtus resoluitur, similiter repletio si modū excedat malū, et dico repletionem, quæ opponitur fami peccāti in quanto, ita repletio, quæ extēditur in quanto bona est, quantū ad genus ipsum, sed non est bona quantum ad speciem: extinguit enim uirtutem, & deterior est repletio, quàm sit fames: quoniam fames paulatim comminuit uirtutem, & in maximo tempore, repletio autem statim, & subito suffocat uirtutem, & ita peius est suffocare, quàm paulatim resoluere. hoc est illud, quod dicebat Auicena in tertia primi, quòd longè deterior repletio post inanitionem, quàm inanito post repletionem, & hoc dicebant Hippocr. & Galen. & ego declaraui etiam in secundo Aphorismo, ubi dicebat HABITVS ATHLETARVM, quando subiungit ET QVANDOCVNQVE MODVM EXCESSERIT eadem est ratio: in-

tellìgit.n.omnes alias ſex res nõ naturales alterãtes corpus noſtrũ, ſi modũ exceſſerit malũ.ubi.n.quis degit in aere frigido nimis, extinguit uirtutem ſi in nimis calido reſoluit eam, ſimiliter dicendum de alijs.

APHORISMVS V.

SPONTANEAE laßitudines prænunciant morbos.

QVONIAM Hippo.locutus fuerat de repletionibus, ex quibus ſolent contingere laſſitudines ſpontinæ, conſequenter capta occaſione rei ait SPONTANEAE LASSITVDINES, ſi rectè intelligatur, quæ ſit laßitudo, facilis erit Aphoriſ. sẽtẽtia.itaq; laßitudo, q̃ dicitur à græcis κόπος quoad q̃d nominis, nihil eſt aliud, q̃ illud q̃ uulgò dicitur caro cõcreta, creuada repreſo.formaliter uero nihil eſt aliud quàm triſtis ſenſatio percepta in muſculis, quæ mouetur motu electiuo, dũ enim uult moueri, percipit quandam triſtem ſenſationẽ in muſculis, a latinis dicitur laßitudo, à græcis κόπος uulgo carne creuada.modo locus ſunt muſculi, & cutis, & omnia membra ſentientia percipiunt talem laſſitudinem.cauſæ autem materiales, et efficientes laſſitudinem declarabũtur, ſi prius declarabitur ſpecies laßitudinis.duplex enim eſt genus laßitudinis. quoddam enim fit ab extrinſeco culpa noſtra, nobis operantibus, ut mouentibus corpus, ut à plurimo exerci

Ex repletio[illegible] solet [illegible] lassitud[illegible] spontinae.

Lass[illegible] d[illegible] caro concreta, creuada represo.

Lass[illegible] trist[illegible] sens[illegible] percepta in musculis.

[illegible] lassitud[illegible] Aliud ab ex[illegible] nobis mouentib[illegible] [illegible]

tio, quoddam ab intrinseco non culpa nostra, sed natura agente humores.per corpus, licet non exer=ceantur percipiunt illam laßitudinem, precipuè tempore ueris, quando mouentur non poßunt mo=ueri. defatigantur enim, unde libenter quiescunt, & breuiter eadem contingunt, quæ contingunt laßis, & defatigatis, est enim eadem paßio quo=ad rationem formalem, illud idem symptoma in utraque patitur.

Pro declaratione Aphorismi quarti, secundæ par ticulæ dicebamus quid esset laßitudo, quid nomẽ signi ficet declaraui, et quid esset proprie laßitudo, quæ nõ est aliud quàm quædã tristis sensatio in motibus uo=luntarijs, facta subiectiue in omnibus membris sentiẽ tibus id est quæ percipiũt sensũ tactus, sicuti musculi, nerui, chordæ, mẽbranæ, et dixi duplicẽ esse laßitudi nem, quandam ab extrinseco quandam ab intrinseco, quæ ab extrinseco fit, dixi fieri à motibus maximis, id est à maximo exercitio: huc usque deueni, et dixi, quòd hæc laßitudo fit per colliquationem humorum existentium in corpore, qui erant quieti in corpore, sed ubi acceßit exercitium, tunc replẽtur musculi, & partes sensiles ex illa humorũ colliquatione, & hinc nascuntur differentiæ laßitudinũ, prout erunt uariæ fluxiones humorum, si fuerint humores acres, bilio=siq; , dum colliquantur ab exercitio, & replent cu=tim, uel musculos, uel membranas tunc fit laßitudo ul cerosa: quoniam dum occupat membra sensilia in mo tu, percipiuntur quasi ulcera quædam, quæ stimulãt

membrum, & uidetur quaſi multis ſpinis repletum, ſtimulantibus, & pungentibus. & tunc eſt indicium colliquatos eſſe humores acres deprauatos, & erodentes, ſi pauci erunt humores, percipiuntur tantum in cuti, ſi uero fuerint plures humores, ſentitur etiam punctio in muſculis, ſi adhuc plures percipiuntur in membranis, & perioſtijs, & uidetur quòd ſit in oßibus, quia occupant humores membranas, quæ contingunt os, & circa ipſum eſt. nam os non dolet, dicitur enim à græcis oſtocopia, quæ pertingit ad membranas contingentes ipſum os, & chordas, et hæc quantum ad laßitudinem ulceroſam, quæ fit ab extrinſecis. Quæritur modo hic, utrum ex quo Galen. in initio, uel medio tertij libri de Tuenda ſan. & per totum quartum dicit ſemper iſtam laßitudinem fieri ab humoribus mordacibus ſi pituita dulcis, quæ non eſt mordax, occupet membra ſenſibilia, faciat laßitudinem, ſi dicatis quòd ſic, ergo contra Galenum, quia iſti humores pituitoſi nõ ſunt acres, dicimus nos quòd erit laßitudo, & quòd Galen. etiam de hoc quoquomodo meminit, dicit enim quidam humores tendunt ad muſculos, qui ſi ſunt frigidi, non faciunt rigores, ſed mordicationem, non quòd humor ſit mordax, ſed ratione frigoris, nam dum membra ſeſibilia percipiunt frigiditatem, mordacitatem quandam ſentiunt, eò quia frigidum eſt mordax, licet in propria eſſentia mordax non ſit, ſed ratione frigiditatis mordax eſt. Alia eſt laßitudo, quæ fit ab extrinſeco propter ualidum motum,

quæ dicitur tensiua, fit autem huiusmodi propterea, quòd humores non mordicantes, sed plures, qui sunt in corpore humano, sicut qui continentur in uenis plethoricorum, quoties colliquantur deueniunt ad musculos, & cum non poßint facere mordacitatem, faciunt tēsionem, & si membrum est flexum, uidetur quòd non poßit tendi, & si est tensum, uidetur quòd non poßit flecti, ita quòd riget ratione multitudinis materiæ colliquatæ, ita quòd indicat multitudinem materiæ dulcis, ideo causat extensionem, extendunt enim musculos, ita ut non poßint flecti, quando sunt recta, nec tendi, quando sunt flexa. Tertia laßitudo dicitur apostemosa, siue inflammatiua, uel phlegmonosa: fit enim à materia, quæ habet duas qualitates multitudinem, & qualitatem erodentem, propter multitudinem facit extensiuam laßitudinem, propter qualitatem facit ulcerosam laßitudinem, ideo Galenus dixit, quòd est composita ex his duabus, & dicitur ista laßitudo, apostemosa laßitudo, quoniam sicuti in apostematibus, æger percipit dolorem, & extensionem, ideo factum est nomen simile apostemati, & dicitur apostemosa, & ita habetis tres species laßitudinis, inter has benignior est ulcerosa, secunda tensiua, quæ facilius curatur cum mißione sanguinis, quòd si contingat, ut non curetur, efficitur peßima, tertia & ultima peßima est omnium, & nisi succuratur statim, huic non tantum dabit inducias per diem, sed nec per horam, sed efficietur peßima ægritudo, & dicitur hæc

Tertia lass. apostemosa. siue inflāmatiua à multitudine cū qualitate erodēte.

reprensio: & ita etiam iumenta incidunt in peßimas ægritudines. Est & quarta laßitudo, quæ proprie non dicitur laßitudo, quæ non fit à materia, sed contingit, ut cum quis multum laborat, & ieiunet dicitur laßitudo arefactiua, ita enim tales permanent rigidi non propter multitudinem materiæ, sed propter siccitatem maximam, quæ indiget humectantibus, atque hactenus de laßitudinibus. si quis uult uidere harum curationes legat tertiam fen Auicen. & tertium & quartum librum Galeni de Tuēda san. laßitudo autem quæ fit ab intrinseco fit ab eisdem causis, dicit autem quòd exercitium non facit ulcerosam, sed fit ob multitudinem humorum erodentium, & mordentium etiam quòd non exercitentur, sed quoniam multiplicatur ita ille humor, ut natura aggrauata expellat illos ad musculos, ita fit rigor ex plurimo humore bilioso, acri, mordaci, uel frigido, etiam quòd non mordicet, dicitur hæc laßitudo ulcerosa Galen. 6. Aphoris. 14. Spontanea non quòd sponte ueniat, quia nihil fit sine causa, sed dicitur spontanea, quia non fit ab extrinseco à causa manifesta, nam non fit à motu manifesto, sed à motu occulto fit ab intrinseco. habent enim humorem qui expellitur à natura à partibus interioribus ad exteriores, si fuerit humor bonus, plurimus, aggregatur in uenis, fit tensiua laßitudo spontanea, propter multitudinem humoris boni, & sanguinis. tertia laßitudo spontanea fit, ut ubicunque humores acres, mordaces, ad-

misti cum benignis accedunt ad musculos, tunc sua multitudine, & mordacitate, & acrimonia fit mordicatio, & tensio. quarta laßitudo fit, quotiescunque fit exsiccatio corporis, absque motu: sicuti tabidis contingit, sed hæc laßitudo non est nisi metaphorica: sed quam hoc loco intellexit Hipp. uidendum, neque de hoc nunc est dubitandum, cum ipsemet Hippo. se declaret, inquiens LASSITVDINES SPONTANEAE. intelligit de quacunque. ubicunque enim homo percipit lassationem aliquam, absque quòd laborauerit, caueat ille, quia ægrotabit statim, nisi succurratur: significat enim quòd illi humores sunt multi, & mali, qui non possunt regulari à natura, & expelluntur ad musculos, & nisi cito succurratur, non desinit illa expulsio, donec fiat ægritudo. ideo oportet subito occurrere: est enim indicium futuræ ægritudinis. similiter ubi uidentur intumere membra, & rubent, & est facies cum rubore, & tẽsione, ista est tensiua, quæ fit propter multitudinem humorũ existentiũ in corpore, et incidunt in apoplexiam, nisi statim succurratur, oportet enim cum mißione sanguinis illi occurrere, incidunt enim in febrem acutißimam: tertia laßitudo est, in qua est simul humorum bonorum multitudo, et ultra hoc acquisiuerunt malam qualitatem, quæ non dat inducias non solum dierum, sed etiam nec horarum. oportet enim statim euacuare, et cum mißione sanguinis usque ad syncopem, alioqui nascetur febris ardentissima, est enim peßimum genus laßitudinum om=

nium ſequitur ſextus Aphoriſmus.

APHORISMVS VI.

QVICVNQVE *dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.*

IN *alio aph. dicebat* Hipp. SPONTANEAE LASSITVDINES MORBOS NVNCIANT, *laſſationes ſunt quidam dolores, & quia ſuperius de doloribus egit, poſſet quiſpiam dicere, quòd ſi iſti dolores non ſentiantur, tunc nullum ſignum eſt malum, ideo appoſuit hunc aphoriſmum, ut* Reſponderet *illi tacitæ obiectioni: ſed notetis, ut aph. intelligatis q; attinet ad nomina ipſa* DOLENTES. *iſti neoterici faciunt quæſtionem extra propoſitum, dicunt enim quomodo eſt poßibile quòd ſi dolent, non ſentiant. primo non aduertunt quod dixit* Hipp. *et in commento* Galenus. *ſecundo non aduertunt ad illud, quod ego dicã.* Galenus *aduertit, inquiens quòd quando* Hipp. *dixit dolentes, intellexit cauſas doloris, nõ dolorem. i. ubi aliquis habet cauſam doloris in aliqua parte, & non percipit dolorem, huic mẽs ægrotat: affert auctoritatẽ ex epidemijs, de illa cõſtitutione facta in* Cranone, *quod apparebant quidam dolores, qui quando erant antiqui, erant frigidi, quando uero noui, calidi erant: & quia nullus dolor, nec calidus, nec frigidus eſt, ideo de cauſſa intellexit, quia cã*

doloris est, uel calida uel frigida, & ita soluta sunt argumenta neotericorum, nos autem melius declarabimus, quando exponemus aphorismum, intelligit igitur uel malā qualitatem, uel solutionem continui, cum excitatur dolor ab illis caußis, & non sentitur, tunc mens ægrotat. QVICVNQVE DOLENTES PARTE ALIQVA CORPORIS OMNINO. codex græcus habet τὰ πολλὰ, hic uertit omnino. melius uertißet PLERVNQVE VEL MAXIMA EX PARTE obtunditur dolor quamuis aliqua parte percipiatur. notetis quòd interpres uertit mentem impropriæ, quia Hipp. uirtutem cognoscitiuam omnem non solet appellare mentem, nam partem illam nobilißimā animæ nō intelligit, sed partem cognoscitiuam. apud enim Hipp. aliud est νȣ̃ς idest mens. i. nobilißima pars animæ quæ intelligit species uniuersales, ut se declarat in illa Epistola, quam mittit ad Democritū, scribit enim ubi corpus erat defatigatum, et quiescebat in nocte, quòd tunc mens erat in loco ueritatis, ubi sunt species scientiæ, & omnes artes liberales, uirtutem cognoscitiuam modo γνώμην, modo διάνοιαν appellare solet. mentē uero appellat locū ueritatis, in quē recipiūtur illæ species uniuersales, modo dicit Gal. nihil referre an appelles γνώμην an διάνοιαν quia sciebat Hipp. γνώμην, et διάνοιαν idē significare. debebat igitur uertere interpres discursus, aut COGNOSCITIVA VIRTVS, & sensus omnes ægrotant. hæc est igitur declaratio uo

cabulorum: uult igitur dicere Hippo. in hoc scripto, quòd ubicunque aliquis habet causam doloris in corpore, & illam non sentit, idest non excitatur dolor ab ea causa, tunc uirtus cognoscitiua maxima ex parte laborat, & ægrotat. declarandum modo est, quomodo mente ægrotante dolorem non sentiant, recurrendum est ad Aristotelem, & philosophiam, debetis scire, quòd omnes sensus particulares quinque, tactus, gustus, uisus, auditus, olfactus sunt potentiæ quæ sunt in pati, sicuti secundo de anima declarat Arist. 118. recipiunt enim sua obiecta paßione, & non actiue: aliud autē est pati, et aliud sentire, nam multa patiuntur, quæ non sentiunt. ueluti lapides, & huiusmodi. sensoria sunt instrumenta quædam apta ad patiendum ab obiectis sensi libus, potentia uero nobilior est, sensus communis cum imaginatione. unitur enim semper sensus communis cum imaginatione, nam obiectum semper re præsentatur sensui communi, & ab ipso reducitur ad actum: dicebat, enim Alexander quòd sentire, nō est pati, sed iudicare: sensorium particulare non iudicat, sed tantum afficitur & patitur, & præparatur in illo, ut indicet, & antequam non sit relatum ad uirtutem cognoscitiuam, non sentit, & hinc est quod nullus sensus cognoscit se sentire, quoniam tantum paßiue recipit: quòd si actiue reciperet, cognosceret se sentire, quod autem sensus communis, & imaginatio requiratur, Them. est auctor. inquit enim si imaginatio non requireretur, remoto sensili,

non amplius remaneret spectrum in homine, & imago illius obiecti, & ita imaginatiua non retineret speciem, & nisi prius uirtus cognitiua intrinsice sit illa, quæ iudicet, non potest sensus particularis sentire, quod probatur, quia omnis sensus est communis animæ, & corpori: sed quæcunque sunt communia animæ, & corpori, quando recipiuntur in corpore, secundum naturam corporis recipiuntur, quando uero in anima secundum naturam animæ quoque recipiuntur, quando frigiditas recipitur in corpore, alterat ipsum alteratione sensili, frigefacit enim ipsum, & ita materialiter recipitur, sed anima recipit sub specie, anima cognoscitiua recipit speciem, & fit sensus, & incipit in corpore, & terminatur in anima: cuius signum est, quòd anima remota, non sentitur. siue modo primum sensitiuum sit cor, siue cerebrum. cum igitur isthæc ita se habeant, quod alteratio non potest percipi, nisi anima concurrat, sequitur quòd nunquam fiet tristis sensus, siue dolor nisi anima cognoscat. quòd autem anima non cognoscat, hoc fit duobus de causis, uel quia anima quæ debet iudicare est occupata aliquo maiori motu, uel quia est affecta aliqua ægritudine.

Quod aia non cogt. fit 2ie. causa

7 Pro declaratione sexti aphorismi dicebā quid intelligeret Hipp. per dolorem, dixi dolorem, non capi pro affectu, sed pro causa doloris, quod maxime erat necessariū ut difficultates tollerētur. declaraui quid mētem intelligeret Hipp. sicuti isti uertunt. & dixi q aliud est νοῦς, aliud γνώμη & διάνοια, unde appa

rebat ueritas aphorifmi, QVICVNQVE ALIQVA PARTE CORPORIS DOLENT, ET DOLOREM NON SENTIVNT, IIS MENS AEGROTAT. Et quoniã hoc apparet in oĩbus fenfibus, quòd ubi uirtus cognofcitiua eſt affecta patitur, quicunque funt experti in arte uiderunt ægrotos, qui cum fint ualde affecti propter uitium exiſtens in primo fenforio, etiam quòd loquerentur, non fentiebant. neque calefactionem fimiliter neque guſtũ, neque uident, neque difcernunt, ideo funt ualde affecti, hoc enim conſtat, neque dubitandum eſt de quia eſt. i. quòd ita fit, quia patet èxperimento, fed quærenda eſt caufa, quam heri inchoaui, at perficere non potui: dixi enim quòd unumquodque fenforium recipit obiectum fuum, fed quatenus fenforium, non iudicat obiectum, nifi concurrat fenfus communis. cum igitur fenfus fit in potentia in quolibet fenforio, & quòd actus fit à fenfitiuo primo, ſtante hoc fundamẽto, quod unũquodque fenforium particulare percipiat, & patiatur tantum, fed non iudicet, nifi concurrat uirtus cognofcitiua, fequitur quòd ubicunque iſtud primum fenfitiuum aliquo uitio laboret, fi modo uerum eſt, quòd fenforia habent obiectum in potentia tantum, & non iudicat, etiã fi repræfentetur obiectum fenfibus particularibus, quòd non fentit, fi uerum eſt quòd uirtus cognofcitiua requiratur, ut ponat fenfum particularem in actu, & iudicet. quot igitur modis huiufmodi uirtus poteſt occupari, tot modis percipientur

Vnũqq ſẽſoriũ recipit obiectũ ſuũ ſed quat. ſẽſoriũ nõ iudic. obiect. niſi cõcurrat ſenſus cõis.

sensus isti particulares in actu. dupliciter autem potest impediri, uel quia fiat aliquis maximus motus in illa, quia occupetur maxime circa aliquod obiectum, reliqui uero sensus, etiam si offerãtur illi uirtuti cognitiuæ, ipsos non sentit, præter illud obiectũ circa quod maxime occupatur. quia circa illud ita est occupata, ut non poßit alios sentire, & est istud Aristotelis in primo de sensu, & sensili, ubi dubitat utrum sensus poßit duo simul contraria sentire, et inquit, ubi magnus motus est in primo sensitiuo tunc motus minores non sentiuntur, quoniam maior motus opprimit minorem, quoniam occupatus est circa magnum obiectum ita ut obtundat motum minorem, uerbi gratia ubi imaginatio occupatur circa aliud obiectum ualidißimum si deferatur postea aliud obiectum debile, tunc illud non sentitur, eo quia cæteri sensus sunt occupati, & implicati circa maximum obiectum propter eius maiorem motum, & in sensibus ipsis, nam si quis sit occupatus circa aliquem magnum sonum motu uehementi, tunc reliqui sensus distrahuntur, & magnus motus minorem obtundit, nam sensus communis est occupatus circa aliud: præterea est etiam alia causa, quoniam in ipsis sensibus interioribus ægritudo contingit, uel quia spiritus ipsi, cum quibus facultates animales agunt, sicuti dicit Gal. quòd spiritus uel sunt ipsæmet facultates, uel saltem sine ipsis, non possunt operari, & sunt earum immediatum instrumentum, sunt impliciti, sicuti contingit propter uapores

acres, & erodentes, ipsos spiritus destruentes, ubicunque ex putredine ipsorum malorum humorum, uel uaporum, corrumpuntur facultates, tunc impediuntur spiritus ipsi, & non operantur, & ideo phrenetici non cognoscunt amicos: sed tanto fortius, quando uapores ascendunt frigidi, tunc diminuuntur facultates, sicuti in lethargicis, uel cum auferuntur, nam contingit quandoque, ut propter uapores ipsos, non tantum spiritus corumpantur, sed etiã substantia ipsa corrumpatur, & temperatura: nam operatio non debetur membris, licet operentur ratione temperaturæ, quæ fit mediante spiritu, potest etiam contingere ratione malæ compositionis uel ratione solutionis continui, sicuti contingit in magnis uulneribus cerebri, stante illo primo fundamento, quotiescunque uirtus cognoscitiua efficitur, tunc impediuntur sensus particulares. Sed quæritur modo de quo intelligat Hipp. manifestum quòd intelligit de affectu, qui contingit primo sensiterio, propter ægritudinem, non autem propter maximum motum excedentem, si illas laßitudines, quæ ab intrinseco contingunt intellexit, non illas quæ ab extrinseco, sed spontaneas, quæ ab intrinseco cõtingunt, iã aphorismus clarus erit. his mens ægrotat. i. uirtus cognoscitiua ægrotat, DOLENTES. i. qui habẽt causam doloris, uel solutionem continui, uel malam temperaturam, nõ sentiunt, quoniã uirtus cognoscitiua nõ ponit sensum particularem in actu. Cõmentũ Gal. satis declaratum est uenio ad septimum aphorismum.

APHO-

APHORISMVS VII.

QVAE LONGO *tempore extenuantur, lente reficere oportet, quæ breui, breui tempore.*

Continuatur hoc modo, & notetis continuationem secundæ particulæ, in qua non ita continuantur aphorismi, sicut in prima. in prima enim connectuntur, & optime continuantur à Galeno *in hac uero secunda particula nullam facit continuationem, nihilo minus potest hic aphorismus optime continuari. in superioribus enim aphorismis* Hippo. *loquebatur de laßitudinibus, quæ morbos prænunciãt qui ex humorum multitudine causantur, qui morbi debent euacuari: ergo circa istam euacuationem est attendendum, nam quidam sunt, qui subito debent euacuari, quidam qui lente, ideo statim hunc aphorismum subdit. ex uno opposito aliud declarat, propterea dicit quòd ubi facta est plenitudo in aliquo corpore paulatim facta, quia frigidi humores aggregantur in corpore tunc lente sunt euacuandi, & lente sunt reficiendi.* Alio modo *potest cõtinuari sicut sunt quatuor laßitudines tres à materia pendentes, quæ debent euacuari, de quarta autem laßitudine nihil pronunciat. quoniam iam pronunciauit, quia ex tali fit ideo docet quomodo curanda sit hæc quarta laßitudo, quæ est propter arefactionem, & dicit, quæ lente sunt extenuata*

corpora, lente quoque reficere oportet id est quæcunque corpora redduntur graciliora lente non confertim debemus reficere causa huius rei consideranda est, sed oportet primo tria supponere dicta à Galeno primum ut humanum corpus constituatur ex spiritu, humoribus, & membris solidis, tanquam ex tribus principiis essentialibus: in his tribus consistit tumor humani corporis, & ubi deficiunt, detumescit corpus, redditurq́; propter sui absentiam corpus gracilius. secundum suppositum est omnes facultates in his tribus consistunt diuersimode, primo consistunt in humoribus, intelligendo humores bonos, qualis est sanguis, siue massa sanguinea. secundo in spiritibus, tertio in membris solidis, ita quòd actiones ab his tribus prodeant, ab ipso sanguine, tanquam à materia patiente, nam nutriuntur ex sanguine, propterea dicebat poeta, uitam cum sanguine fudit. in spiritibus, tanquam in instrumento, quia mediante spiritu agunt. in membris solidis tanquam in subiecto particulari: nam sedes sua est in membris solidis ideo dicebat unumquodque membrum agere secundū propriam temperaturam: tertium suppositū est, q̄ licet spiritus euacuetur, & humor dummodo remaneat temperatura membrorum, restauratur uirtus deperdita, licet spiritus sint instrumenta uirtutis, & sanguis est materia, nihilo minus dum membra seruāt propriam temperaturā, ut non destruatur suus humor radicalis, tunc facile uirtus deperdita restauratur, quia si uerum est, quòd agit membrum suas

operationes, dummodo ſit in ſua temperatura conſtitutum: & eſt illud, quod dicebat Galenus, quòd & ſi in febre peſtilenti humores ſunt maligni, dummodo non accedat intemperies in ſubſtantia, & temperie ſua poteſt facile inſtaurari, quia perſtat uirtus, ſed, ubi temperatura labeſit, tunc deſtruitur uita. his poſitis Aphoriſmus declaratur, QVI LENTE EXTENVANTVR, LENTE REFICI DEBENT. ex primo ſuppoſito, quod conſtituit corpus humanum triplex genus eſt, ſi deficiat ſpiritus, & ſanguis, deſtruetur moles corporis. Sed ſubito, quia iſti ſpiritus, & ſanguis ſtatim exire poſſunt. Vnde quando uidetis nares acutas, oculos cauos tempora concaua, debetis uidere an ex aliqua ſubita euacuatione ſit facta arefactio ubi hoc contingit, non tarde fit, ſed breui tempore, quoniam breui tempore exit ſanguis, & ſpiritus, poterit etiam ſtatim reſtaurari, ſed ubi membra areſiunt, non ita facile priuantur proprio ſucco, & areſcunt, ſed in tempore, & lente exoluuntur, ideo etiam lente reficere oportet ubi hæc ſint facile eſt uidere, quomodo quæ ſunt inanita paruo tempore, ut quibus eſt inanitus ſanguis, & ſpiritus, & perſeuerant membra ſolida ſana, poſſunt breui inſtaurari. nam ſpiritus, & ſanguis ſtatim generantur. primo enim fit chylus in ſtomacho, in ſecunda coctione, quæ fit in hepate, fit ſanguis, quæ cum ita fiant, membra ſolida indigent plurimis concoctionibus, ſpiritus fit ex odore, & aere attracto regeneratur, & ita fa-

Et si in febre pestilenti humo. sūt maligni dū: mō nō accedat intēpa in subs et temperie sua pōt facile instaurari.

cile potest generari, & non tantum ex uapore sanguinis, sed etiam ex aere, ut dixi. & licet sic euacuatur spiritus, & sanguis, stante tamen temperatura membrorum solidorum facillime potest generari, quia fiunt optime concoctiones. uerum non debet cibus offeri in tanta quantitate, sicut prius, eò quia euacuatus est calor, & sanguis, & spiritus: sed si offeratis, quæ sunt facillimæ cõcoctionis in debita quantitate, tunc facile regenerabitur sanguis, & spiritus, stante temperatura membrorum solidorum, stante uirtute, & facultate principalibus in illis. ita uidetis rationem manifestam cur breui oporteat refici. dicit oportet, quia nisi reficiatur statim inanito sanguine, qui est materia propria caloris natiui. spirituum, qui sunt instrumenta uitæ, tunc fiet deperditio in propria temperatura membrorum, & tunc cum maximo labore restaurabitur. ergo necessario sunt restauranda, aliter substantia membri deperdetur. QVAE TARDE ex opposito patet hæc pars extenuatio enim hæc peruenit usque ad membra solida, quæ calorem insitum deperderunt, & propriam temperaturam substantialiter: & cum deperdita sit, & arefacta, tunc paulatim ueniunt restauranda & est illud quod dicebat Auicenna, quòd longe facilius sunt siccanda membra, quam humectanda, & ita difficilius corpora humectantur. quàm exsiccentur, & ideo gradatim reficere oportet, quòd si aliter fiat, non fiet nutritio, sed potius deperditio.

APHORISMVS VIII.

SI A MORBO *cibum assumens quis non corroboratur pluri alimento uti significatur.*

IN hoc secundo libro Aphorismi Hippo. *ita continuantur, ut annuli in catena. dicebat* Hippo. *in alio* Aphor. *quòd corpora, quæ lente extenuantur, etiam lente sunt reficienda, at dicet quis, quomodo recte reficiuntur? docet hic rationem reficiendi rectam, inquiens, quando quis sumit cibum, & non corroboratur pluri alimento uti significatur, quòd si non assumat cibum, & non corroboretur, tunc euacuatione talis indiget. Sed dicat quis, hoc est, quia non assumit cibum, & non quia indiget euacuatione: cum uideret hoc* Gale. *in commento statim quærit solutionem, & dicit aduertite, quòd iste aphorismus facit difficultatem maximam, quoniam apud antiquos græcos istud uerbum* ASSVMERE CIBVM *significabat capere cibum cum appetitu: & sine appetitu comedere, erat apud illos non assumere cibum. & ita hoc uerbum, quando quis assumit cibum cum appetitu, & non corroboratur, signum est, quòd pluri alimẽto utitur, quàm oportet: at si non assumat cibum, id est sine appetitu cibum assumat, & hoc idem accidat, ut non corroboretur, tunc eget euacuatione: hæc est sententia* Galeni *bona, & ingeniosa. sed domini dico, quòd in*

utroque termino sunt instantiæ, & utraque pars falsa, si secundum Galenum exponatur, & primo supponitur, quòd aliquis habeat appetitum caninum, ratione humoris mali existentis in uentriculo post aliquem morbum, sicuti contingit ex humoribus acidis, & pituitosis in uentriculo, comedit iste cum appetitu, & non corroboratur, & non utitur pluri cibo quàm oportet, sed indiget euacuatione: quia non nutritur ratione humorum existentium in uentriculo, impedientium coctionem: ergo non uidetur fidelis Galeni expositio: contra istam partem insto. ponamus aliquem pati famem uaccinam, eò quia sit refrigeratus uentriculus, & obtundatur totus sensus uentriculi, ita ut non famescat, tunc enim omnia mẽbra famescunt præter uentriculum, & tamen indigebit euacuatione, imò indigebit repletione, quia tũc sumitur cibus sine appetitu, & si talis euacuaretur interficeretur. ergo si uolumus excusare Galenum oportet dicere, quòd Galenus intelligit, quando dicit, si quis assumat cibum cum appetitu, & non corroboratur de appetitu naturali, non autem de appetitu præter naturam, similiter quando dicit, & si cui non assumenti cibum sine appetitu, idem contingat: intelligit de appetitu naturali, id est quando quis est repletus.

Ego ita exponerem, si quis cibũ assumens à morbo non corroboratur, intelligo de cibo proprie sumpto, non de appetitu: nã sorbitiones distinguuntur à cibo solidiori, nã sorbitiones uocãtur cibaria humi

da, cibus uero dicitur alimentum solidius, & potus est cibus, sed liquidus. cibus uero est solidior, ideo dicebat Hipp. quòd est facilius impleri potu, quàm cibo. dicit igitur quando quis erat in morbo utebatur potionibus, cum uero est sanatus, si utitur cibo solidiori, & non sanatur, nec corroboratur, tunc pluri alimento uti significatur, quia uirtus non est ita ualida, ut possit concoquere. quòd si quis non assumat cibum illum solidiorem, & non nutriatur, sed utatur potionibus, sicuti faciebat, quando ægrotabat, tunc dico quòd indiget euacuatione: ratio aphorismi talis est. debetis scire quòd corpus non alitur ex cibo, propter alteram duarum caussarum, uel propter defectum uirtutis, uel propter impedimentum cibi additum, si primo modo fiat, uel quia in propria temperatura corpus deficit, ubi non est aliquid uitij in membro, si temperatura corporis exsiccata est, tunc si das cibum, das cibum non conuenientem, quoniam tunc temperatura est labefactata ex morbo, oportet igitur ut humidiori cibo utaris tum quia calor diminutus est, uel temperatura exsiccata, uel utrunque, alia est causa cur cibi non conficiantur, non quia sit diminutus calor naturalis, nec uiolata temperatura, sed stante robore membri repletur aliquo humore deprauato, unde uirtus suffocatur, ita ut non possit fieri attractio; quia ubi deprauati sunt humores in aliquo membro tantum abest, ut attrahat membrum, ut potius expellat, postea uirtus concoctiua non conficit, quoniam ille hu

mor crudus est, per defectum, & ita frigidus, quæ frigiditas obtundit sensum, & uirtutem, uel erit cruditas per excessum, & ita adurit ex maxima caliditate, uel quia in porositatibus membri imbibiti sunt illi humores deprauati, ut non poßit fieri unitas cũ membro, quoniam adest sordities, quãdo igitur quis cibum assumit solidiorem, tunc plus sumit cibi, quã oportet: quòd si non assumat, & non corroboratur, tunc signum est, quòd est ratione humorum malorũ deprauatorum existentium in uentriculo, & corpore, commune enim est omni cibo, ut qui facile concoquatur, facile corrumpatur, & deprauetur, ergo ubi sumitur cibus facilis concoctionis, & tamen non concoquitur, tunc signum quòd indiget euacuatione quia habet humores deprauatos, unde non sequitur attractio nec concoctio, & si concoquitur non unitur, unde per omnes uias putrescit: & hæc est ratio aphorismi. quando habes ægrum, qui conualescit incipis eum nutrire solidiori cibo, & audis illum aggrauari, & non nutriri, tunc iudica, quòd habet suum calorem ualidum naturalem, unde redeas ad cibum suum humidiorem, ubi exhibueris cibum humidiorem, & non nutriatur, tunc iudica quòd talis indiget euacuatione, quia habet humores deprauatos in omnibus membris quos oportet euacuare: propterea docet hic quomodo debet euacuari, & inquit oportet considerare, quomodo, quia oportet primo facere corpora fluida, cum purgare uolueris, ut hoc in aphorismo sequenti docet.

APHORISMVS IX.

CORPORA *cum qui purgare uoluerit, prius ſtudia facere oportet.*

GALENVS *declarans hunc aphoriſmum inquit aliquos interpretari hoc fluidum facere, ac ſi quis uellet euacuare per uomitum ipſum ægrum, præparabat enim ad uomitum, ut cum uellent uti elleboro albo, quo nos non utimur, propter ſæuiſsima accidentia, prius dabant oxymel ſimplex, deinde raphanum, poſtea accedebant ad* Elleborum. *& hoc eſt quo antiqui utebantur pro præparatione. hoc autem* Galenus *uituperat, non quia non ſit ita faciendum, quia quando uultis euacuare corpus, oportet ipſum præparare, & omnes uias aperire, ſed dicit* Gal. *quòd* Hipp. *aliud ultra, & maius uolebat. uult enim ut humores præparentur. nam inquit, præpares membrum quantum uis, & humores non ſunt parati, ſed lenti, & craßi, & euacua ſolutiuo aliquo, tunc ſæuiſsima accidentia ſuccedent. quod ſi humores fuerint parati ut ſi ſint uiſcidi abſtergantur, ſi craßi incidantur, tunc facilis erit euacuatio, & optima, & ſecura, licet uiæ non ſint admodum diſpoſitæ, unde magis refert, quòd humores ſint parati, quàm quod uiæ ſint paratæ, & humores deprauati licet debeant eſſe ambo.* Sed *unum eſt dubium, tu dixiſti quòd ubi humores*

ſunt crudi, debemus prius concoquere, poſtea præparare, hic nihil dicit de concoctione, ſed tantum de præparatione. docet euim quomodo ſint præparanda excrementa, & tunc præparata ſunt quando ſunt concocta: ſed quandoque contingit ut natura concoxerit humores, & quia illi humores debent euacuari, & non poſſunt exire, quia uiſcidi, & craſſi ſunt, ideo incidendi & abſtergendi ſunt. quando igitur dicit quòd humores ſunt concoquendi, intelligit quando crudi ſunt, & non debent euacuari ſolutiuo pharmaco. ubi igitur corpus purgare uolueris oportet fluidum facere dupliciter, uno modo quòd paremus uias, aliomodo quod paremus uias, & humores: non dicit de alia concoctione, quia ſuppoſuit quòd humores ſint concocti, quia indigent euacuatione. Quantum ad alium aphoriſmum ratio eſt, quoniam dicebat quod ſi non aſſumente cibum hoc idem accidit quia, ſcilicet non corroboratur, ſignum eſt quod indiget euacuatione, uult afferre rationem huius dicti, cur indigent euacuatione, & dicit quia.

APHORISMVS X.

NON *pura corpora quanto plus nutris tanto magis lædis.*

ISTA *eſt una ratio, ſed non eſt illa in quam deſinit intellectus, dicebat enim Ariſt. quòd habentia*

causas, & elementa non cognoscuntur, nisi præcognitione suarum causarum, & elementorum, bene scitis unam causam, sed intellectus ibi non acquiescit, quia potest dicere quis, quare non pura corpora plus lædis, quanto magis nutris? audiuistis quod in illis non fit attractio, & si fit, non fit concoctio, et si fit concoctio, non fit unio, quoniam illæ sordities sunt imbibitæ in illis porositatibus, quæ non possunt uniri. non attrahūt quia nolunt expellere sibi super fluum, uel si attrahunt, non concoquunt: uel si concoquunt, id coctum non uniunt, quoniam membra illa sunt plena humoribus deprauatis, quæ non possunt uniri ratione sorditiei, & ita habetis quid sit facere corpus fluuidum.

cur nō pura
quâ plus læd.
quo magis nutr.

APHORISMVS XI.

FACILIVS est impleri potu, quàm cibo.

ITa connectitur cū tribus præcedentibus incipiē do ab octauo, ut uideatur unus aphorismus, hic enim, quòd dixi erat in fine octaui, declarat. in fine enim octaui dixerat, quòd si non assumente cibo idē accidat, quòd scilicet non corroboretur, signum est, quòd indiget euacuatione, & cum in duobus alijs sub sequentibus declarasset, quomodo fiat euacuatio, quo modo præparantur corpora ad euacuandum, nunc occurrit uni tacitæ obiectioni, quia posset quispiā dicere, unde est quod quando quis cibū assumit nō cor

roboratur, hoc est inquit, eò quia assumit cibum solidiorem, quàm conueniat, ex cibo enim solidiori cum uirtus & calor debilis sit, non corroboratur, eò quia non potest illud nutrimentum conficere, sed ex liquidiori cibo corroboratur, eò quia est facilius impleri potu, quàm cibo: & hæc de ratione aphorismi. FACILIVS. hoc aduerbium potest dupliciter intelligi, dicitur aliquid facile, quoniam in pauco tempore fit, alio modo dicitur facile non quia in pauco tempore fiat, imò in multo tempore, sed dicitur facile quia fiat sine labore, & sine industria: primum autem cum labore, & industria, sed in pauco tempore, uerbi gratia, in morbis ipsis, ut si curetur febris tertiana cum suis accidentibus, ista curatur in pauco tempore, nam in quarto, & septimo, ad plurimũ curatur tamen curatur cum diligentia, & labore, et nisi quis curauerit cum suis accidentibus, & cum industria, periculum erit, ne incidat in ægritudines seuißimas: præterea sit Bubo in inguine contingens, curatur enim de facili, non quia curetur in pauco tempore, sed dicitur quòd est facilis curationis, quia sine industria, & labore curatur, tamen indiget multo tempore, ad hoc ut maturetur, & curetur, & sic tertiana erit difficilis, quoad laborem, & industriam: facilis autem quoad tempus. Bubo uero difficilis quoad tempus, facilis quoad curationem, & industriam, & laborem. hic autem Hippo. facilius intelligit. quoad utrunque, & quoad tempus, & laborem, id est quòd cibus sit facilis restaurationis:

quia restauratur sine labore, & industria, et in pau co tẽpore. REPLERI. uox est ambigua, accipitur enim & in bonam & in malam partem: sed hoc in loco accipitur in bonam partem tantum, græci autem habent duas uoces ipsius repletionis, habent enim πλήρωσιν & πλῆθος, PLITHOS enim accipitur in malam partem πλήρωσις in bonam. hic accipitur pro refectione illa, quæ restaurat aliquid loco deperditi. repletio enim hæc habetur tanquam genus ad refectionem. repleri enim in genere est, quando aliquod corpus indiget restauratione, & nutrimento, ut cum aliquod corpus quod euacuatum est, ad uitam humanam necessariam restauratur: nam restauratio est, quoties replemus aliquid, cui perdita sit substantia, secundo quòd habuerit partes debiles, & ita ad restaurationem duo concurrunt, substantia deperdita, & debilitas partium: nam refectio secundum Galenum in libr. de const. artis med. est corporum gracilium cum infirmis uiribus, ad naturalem statum reductio, ut restaurentur corpora. habet enim commune hoc cum repletione, ut nunquam reficiamus corpus, nisi immune ab humoribus malis, iuxta præceptum illud Hippocratis corpora malorũ humorum quanto magis nutris, tanto magis lædis, ideo non conuenit nisi conualescentibus, uel ægris, et senibus sanis, conualescentes enim ideo dicuntur conualescentes, quoniam omnis causa morbi euacuata est, non differunt à sanis habitu, quia sani habent sanitatem in actu: conualescentes in habitudine,

Nec reficiũ corpus Nisi immune ab hu. malis.

conualescentes dicuntur conualescentes quoniam omnis causa morbi euacuata est.

& in fluxu.senes etiam sani sunt similes conualescentibus, nam à quacunque leui causa deperdunt sanitatem, sicut & conualescentes, habent enim debilitatem uirium, sicuti conualescentes ratione ægritudinis uitæ, sunt etiam exsiccati ratione caloris febrilis, ideo non possunt bene repleri, & refici corpora, quæ sunt plena humoribus malis, materia autem quæ potest hoc præstare est illa, quæ primo in qualitate neque calida nimis, neque frigida nimis est, sed temperata. nam si nimis calida essent, cum inueniat membra imbecilla, & uirtutem debilem facit calorem igneum, si nimis fuerit frigida cum calor illorum sit debilis extinguet ipsum. quantum uero ad substantiam, oportet ut sit substantiæ liquidioris, quoniam facilius concoquitur, oportet igitur ut materia refectionis sit huiusmodi, & in qualitatibus sit temperata. hæc omnia habetis in Galeno, *in fine secundi artis paruæ, potum intelligit* Hipp. *non quemcunque humidum potum, sed illum qui talis est, qualis est ptisana, & alica, quæ habent aliquam consistentiã etiam uinum crassum, non autem intelligat aquam, aut uinum tantũ, illa enim non restaurant. &* Arist: *in lib. de sens. & sen. cap. de odoratu dicit, quod illa, quæ debent nutrire, debent esse solida, & sicca quia quod debet nutriri, siccum est, debet enim uniri, & per hoc respondeatis omnibus argumentis antiquorum, utrum nutriamur humido: & quando dicimus facilius est repleri potu, quam cibo, intelligit illud repleri, de his quæ præparantur ad hoc, ut fiant,*

Quæ debet nutrire debet esse solida et sicca.

nutrimentum, id est ad facilitatem refectionis. superius Hipp. uocauit cibum solidius nutrimentum & per potum alimentum liquidum, & fluens. sed notetis ne desit quicquam circa hoc, quod interpres in commento peruertit aliter uertens quàm stet in græco. dicit enim quòd licet humidi potus nutriãt æqualiter tamen habent ulociorem coctionem, quàm cibus, græcus stat negatiue & dicit & si potus non nutriãt æqualiter, habent tamen unum, quòd uelocissime concoquantur, nam comparatur facilitas concoctionis, non autem substantia alimenti. sed intelligimus facilitatem concoctionis. & dicimus quòd facilius est repleri potu, quàm cibo uidelicet in minori tempore, & cum maiori facilitate, & hoc maxime indigent homines, qui debent repleri, sicut conualescentes. nam de conualescentibus proprie est sermo, qui post morbum restauratione indigent, dixerat enim superius, si quis à morbo cibum assumens non corroboretur &c. & ita habetis uocem & sententiam declaratam. uult enim dicere, quod quando uolumus restaurare corpus debile, & gracile, curare oportet ut ipsum reficiamus cum materia humida, & non cum materia solida, ratio quoniam facilius est repleri potu, quam cibo. rationem autem nõ aßignauit aliter Hipp. unde contingat quòd facilius potu, quàm cibo repleantur corpora, nos autem aßignabimus, & cur Hipp. rationem tacuerit: dixi antea Hipp. breuitatis studiosum fuisse eo quia loquebatur cum doctis, supponebat enim uos scire quomo-

do fiat concoctio, & distributio, ideo credidit super uacaneum fore declarare, cur facilius sit potu, quàm cibo repleri, sed quoniam non omnes sciunt hoc declarabimus nos quomodo fiat concoctio. concoctio sane fit à calore naturali secundum Hipp. & Gal. sed à quacunque fiat causa non curamus, sed uideo tres extitisse opiniones de concoctione ipsa. Prima fuit Hipp. & Gal. quòd scilicet concoctio fieret à calore innato, idest in materia apta ad concoctionem, dummodo sit materia præparata ad concoctionem, & calor efficiens, nec aliud requiritur. Erasistratus dixit, ad hoc ut aliquid concoquatur, oportet ut primo alteretur, & ad minima reducatur. habuit enim Erasistratus filiam Arist. & fuit maximus peripateticus: uolunt enim peripatetici, & hoc in fine de generatione & corruptione, quòd mollitio, & separatio ad minima concoctionem iuuent, ad hoc ut calor existens in uentriculo facilius concoquat neque Hipp. negaret quin mollitio, & separatio maxime conferat. Empedocles autem uoluit, quòd concoctio fieret à putredine, & ita ex sola diminutione sine calore, & quòd per accidens calor concoquit, nam dicitur calor concoquere, eo quia diminuit. Ego nolo confutare opiniones, sat est quomodocunque sit hoc unum esse quòd liquidiora semper facilius cõcoquuntur, quoniam facilius diminuuntur, quàm solida, liquidum enim proprie uidetur natura calidi, si ponatis diminutionẽ ad minima facilius dissecatur liquidum, quàm solidum, quia minus resistit. si

liquida facilius cõcoquuntur: q[uonia]m facilius diminuuntur q[uam] solida.

per

per putredinem, etiam liquidiora facilius putrescunt, ergo facilius concoquuntur. prætera humida facilius distribuuntur, quàm solida, nam cibus primo in uentriculo concoquitur, deinde distribuitur, et ista distributio longè facilius fit in materia humida quàm in solida, & sicca. quia facilius propellitur, et magis rebellis est sicca, quàm humida. quantum etiam ad uasa ipsa angusta, & ad uenas mesaraicas, facilius enim ista recipiunt humidum quam sicca, & melius continebunt humidum, quàm siccum ratione uirtutis propellentis, & ratione uirtutis continentis. & ita facilius est repleri potu, quàm cibo uerificatur igitur aphorismus, quoniam quæ sunt liquida facilius concoquuntur, & distribuuntur: nam si debet fieri restauratio, oportet ut primo fiat concoctio, & distributio, sed humida facilius concoquuntur, & distribuuntur, ergo facilius restaurant: at dicat quis, dixit Hipp. esse facilius repleri potu, quàm cibo. contra argumentor sic; quod naturaliter appetitur ab animali, debet esse sibi familiare, modo appetitus est calidi, & sicci, ergo illud etiã erit, quod facilius nutriet, ergo humidus cibus difficilius nutriet, quoniam difficillime poterit etiam uniri. Responsio est ad hoc, quòd nos loquimur de nutrimento, quod fit ante restaurationem, & concoctionem, non autem de nutrimento quod iam uult uniri, id est, quando iam applicatur, quia dum coquitur etiam humidum crassescit semper, & intelligendo de nutrimento, quod fit ante restaurationem

Nutri.m ant[illegible] con.? [illegible] [illegible] [illegible] q.a [illegible] [illegible] [illegible] crassescit.

cibus solidus plu. indiget temp. et calore ad concoqu.

& concoctionem, dico quòd cibus solidus plurimo indiget tempore, & calore ad concoquendum. & in conualescentibus paruus est calor: ideo non possunt nutriri cibo solidiori, quia non possunt concoquere ipsum, & cibus humidus, cum pauco calore etiam indigeat ad concoctionem, ideo illis conuenit. nec etiam quilibet cibus humidus conuenit, & nutrit, sed cibus humidus qui habeat aliquam consistentiam, sicuti uina crassa, & ptisana, & alica sed miror neotericos, quomodo prætermiserint unam dubitationem pulcherrimam, & notatu dignam: dicit enim Galen. afferens auctoritatem Hip. in lib. de alimentis, quòd citius restauramus corpora odoratu, quàm potu. &

An odor nutriat.

ita uult quòd odor nutriat. Contra quam opinionem est Aristo. qui uult odorem nullo modo prorsus nutrire. quòd autem nutriat, est auct. Hipp. in lib. de alimentis, & ex Galeno habemus, quod ille liber est Hippo. in eo lib. plane testatur odores nutrire uelociter. Plato quoque tenet odores nutrire. si sequamur Aristo. oportet contrarium tenere. arguit Aristo. contra nonnullos pythagoricos, (appellat enim pythagoreos illos, qui putant odoramenta nutrire) tribus argumentis. Sed antequam propono argumenta, oportet primo uidere sententiam Hipp. & Arist. Sanè nemini dubium est quin Hippo. & Gal. uoluerint odores nutrire, & nihil esse aliud, quàm substantiam uaporosam defluentem à re odorabili, deuenientem ad uentriculum anteriorem cerebri, & ad sensorium odoratus. Aristo. in contrarium

argumentatur contra istos in lib. de sensu, & sensili, & inquit, si esset substantia uaporosa odor, uel esset exhalatio, humida, uel sicca, non humida, quia humiditas obtundit odorem, neque sicca, propterea quòd si ita esset non fieret odor in aqua. Sed fit in aqua, ergo: nam pisces in profundo maris odorantur secunda ratio, si esset substantia uaporosa, esset inquit defluxus, sed si esset defluxus cum continuè defluat à subiecto odor, sequeretur quòd subiectum diminueretur, tabesceretq; propter continuam euaporationem illius substantiæ uaporosæ, sed non tabescit ergo non est exhalatio substantifica. hæc sunt argumenta Arist. Contra Hipp. Galenum & Platonem. opinio autem Arist. est quòd odor sit species quædã multiplicata in medio, non aliter quàm rei uisibilis species multiplicata per speciem in medio. quantum uero ad materiam, dicitur quòd est siccitas quædam fundata in humido, nam inquit, quando humiditas enchyma, id est saporosa est bene concocta: tunc est odor gratus, quando uero est semicocta dicitur odor ingratus, cum uero cruda existit, nullus odor apparet. & uult Aris. quòd sapor iste, siue succus in materia humida, non transeat ad odoratum substantialiter, & corporaliter, sed uult quòd species ipsa odoris in medio multiplicetur, quousque ueniat ad sensorium odoratus, quemadmodum species uisibilis deuenit ad sensorium uisus, & inquit, quòd cum quinque sint sensus, duo spirituales, id est qui recipiũt per speciem obiecti, duo materiales, id est qui reci-

opio Ar. e quod odor sit spes qdã multiplicata in medio nõ aliter q rei uisibilis spes.

piunt obiectum materialiter, & corporaliter, sine speciei multiplicatione in medio, quòd iste sensus odoratus, est inter ista quatuor exquisitè medius. est autem medius, quia habet naturam utriusque, exempli, gratia, si comparetur ad tactum, & gustum, habet siccitatem sapidam, & ita qualitatem sensus tactus ratione siccitatis, & cum sit siccitas sapida, percipit saporem, & ita habet qualitatem gustus: habet etiam, quæ sunt propria uisus, & odoratus, eò quia odoratio non fit sine multiplicatione speciei in medio, habet igitur quæ sunt propria quatuor sensibus, ideo dicitur medius, licet Arist. non declaret quomodo sit medius. hæc fuit sententia Arist. qui uoluit quòd nihil naturaliter defluat ad sensorium à re odorabili, ergo sequitur necessario, quòd non nutriat. tertio ratio Aristot. est ad hominem inquiens supposito etiam ò Plato quòd defluat substantia uaporosa per te. sed reliqua dicentur postea, in alia lectione.

Propter uerba quæ erant in commento undecimo Aphor. quæ dicebant, facilius est repleri potu, quàm cibo incidit quæstio utrum odorata nutriant, dicebat. n. Gale. in cōment. odorata nutrire. quæstio hæc est difficilis: habet utrinq; auctoritates maximas. ex una parte est Hipp. Plato, et Gal. ex alia Arist. et peripatetici. Hip. & sui sequaces tenuerunt odores nutrire, Arist. omnino negauit: ut igitur diluamus hãc quæstionem admodum utilem, (tentant. n. medici nutrire cum odoribus, quod si non posset fieri non om

nia frustra tentarentur?) debetis igitur notare duos esse articulos distinguendos, nec possumus secundum scire nisi prius sciamus primum, utrum scilicet nutriat odor nec ne, non possumus scire, nisi discutimus primum quid sit odor, cum etiam non minor sit discrepantia de substantia odoris, quàm de alimento. oportet igitur prius diluere quæstionem de odore: & aduertatis utrum, quòd Hippocr. uult odorem nihil esse aliud, quàm substantiam quandam uaporosam, defluentem ab odoratili re, deuenientem ad anteriorem partem cerebri. Arist. autem negat omnino esse substantiam uaporosam, & notetis bene, quia non discrepant inter se circa obiectum odoris, id est de re odorata, conueniunt enim quia si consideretur odor prout est in re odorata, quòd nihil sit aliud quàm substantia quædam sicca, in qua quiddam est sapidum, siue euchymum saporosum, discrepantia igitur non est de odore prout est in re odorata in subiecto, sed est discrepantia de medio, id est, utrum in medio multiplicetur per speciem, & spiritualiter an corporaliter, id est, utrum nihil transeat de corporeitate, ad sensorium odoratus: sicuti species uisibilis multiplicatur in medio. & oportet hic manere, & non confundere quemadmodum facit conciliator in suis quæstionibus, quæstione 155. Aristot. igitur uult ut obiectum multiplicetur per speciem non autem corporaliter: propterea dicit, quòd odor erat medius exquisite inter alios quatuor sensus. de uirtute autem quæ iudicat nulla est discre-

pantia an materialiter, an per ſpeciem recipiat, clarum enim apud omnes quòd ſpiritualiter recipit, quantum attinet ad ſenſorium corporeum. Secundum Hipp. alteratur. & recipit materialiter, nam duo ſenſus guſtus & tactus ſua obiecta recipiunt corporaliter, alij uero duo, uiſus, & auditus non corporaliter recipiunt, ſed ſpiritualiter, & per ſpeciem. & ideo dicebat Ariſtot. quòd ſenſus odoratus erat medius inter hos quatuor ſenſus, nam fundatur in qualitatibus ſenſilibus, in calido, frigido, humido, et ſicco ſimiliter & guſtus, nam fundatur in ſapore, qui immediate fundatur in primis qualitatibus. Viſus autem quoniam color nihil eſt aliud, quàm lumen, quod habet eſſe ſpirituale in medio, conuenit cum primis, quia fundatur in qualitatibus ſenſilibus primis, conuenit cum ſecundis & ſpiritualibus quantum ad medium, quia in medio multiplicatur per ſpeciem ſecundum Ariſt. & nihil corporaliter de ipſo recipit in ſenſorio: & hoc probat in lib. de ſenſu, & ſenſili: deſtructiue tamen tantum, non autem conſtructiue, ac ſi per diuiſionem diceret ſic, nam uel fit per ſpeciem multiplicatam in medio, uel propter uapores multiplicatos in medio, non propter uapores, ergo propter ſpeciem, quòd non fiat propter uapores, probat his argumentis. ſi multiplicaretur per uapores, tunc uapor eſſet, uel exhalatio humida, uel ſicca, non poteſt eſſe humida, quia fundatur odor in ſubſtantia ſicca, eſt enim ſiccum ſapidum, ergo erit exhalatio ſicca, non etiam ſicca, eò quòd uidemus pi

ſces, & alia animalia in profundo aquæ odorari, at ſi eſſet exhalatio ſicca non poſſet exhalare in profundo aquæ odor, neque diffundi uſque ad profundum, cum ſiccitas ſui natura aſcendat ſemper, ſed ponamus etiam deſcendere, tunc antequam eſſet in profundo deſtrueretur: ergo ſit ab aliqua alia re aliter ſe habente, ſecunda ratio ſi eſſet uapor ſiccus, ſequeretur, cum ſit corpus, & ſubſtantia, quod ſubiectum odoris tabeſceret, quod non uidemus, ergo nihil realiter defluit, nihil corporaliter. tertia argumẽtatur ſic: ſi uapor ille deflueret corporeus: & pertingeret uſq; ad ſenſorium odoratus, impoßibile eſſet per quinquaginta, uel quingenta miliaria multiplicari, & deuenire corporaliter ad organum ipſum, ſicuti recitatur hiſtoria de illis uulturibus. nam ferunt uultures ueniſſe per quingenta milliaria, ex odoratu multorũ cadauerum, propter prælium commiſſum in Pelopõneſo. In contrariam ſententiam uenit Hipp. Plato, & Gal. qui argumentantur ſic, & primo ad hominem duobus argumentis Ariſt. in lib. de ſenſu, & ſenſili, dicit quòd odores calefaciunt cerebrum, quoniã cum ſit in proportione aliorum animalium cerebri, frigidius, & humidius, indiget calefactione, ſi igitur ex odore cerebrum calefit, ergo ipſum corporaliter odor attingit, ergo non per ſpeciem multiplicatur, nam ſi diſcurratis per omnia, quæ cauſat calorem, ſemper inuenietis calorem fieri à re corporea, nam nihil poteſt moueri, niſi corpus ſit. ergo aliquid erit corporaliter exiſtens cum odore. præ-

opin Hipp. et Plat.

terea dicit Arist. odores proportionari saporibus, ita quòd percipitur odor dulcis, amarus, quemadmodum percipiuntur sapores: sed istæ differentiæ sunt illæ quæ insequuntur caliditatem corporis alicuius, neque enim dulce, neque amarum interitur, nisi in corpore aliquo. sicuti apparet in gustu, gustus enim recipit materialiter, & non per speciem, quoniam ad sensorium peruenit corporaliter, sine medio aliquo, non enim indiget medio. ergo & odor si illi proportionetur corporaliter deueniret. tertio argumentantur sic. experientia uidemus, quòd odorata, ubi fuerint acria fortia percipiuntur, usque ad sensum tactus: imò uidemus ex tali odore oculos mordicari, & linguam, ergo materialiter deuenit, & non per speciem. quarto certum est, quòd aromata omnia replent caput, sed repletio non fit nisi à re corporea, nam non potest esse à specie, sed nec imaginari quidem, ergo fit à re corporea. quinto argumentantur, uis uidere, quòd sunt uapores, qui faciunt odorem? sunt enim quædam mixta, quæ non faciunt odorem, nisi confricentur sicut electrum, & hoc est ratione frigoris constipantis poros, ex fricatione aperiuntur pori, propterea exhalant uapores qui ascendunt, & causant odorem. sexto quoniam ubi plurimum frigus, ibi odor minimus, & ubi calor ibi maximus odor, quoniam uapores in aere calido, & attenuato facilius ascendunt, in aere frigido non ascendunt. septimo uidemus quædam, quæ nihil uel parum olent nisi comburantur sicuti

mirrha, & alia huiusmodi corpora, ergo odor erit uapor. octauo & est argumentū Theoprasti in lib. de odoratu, qui licet sit maximus peripateticus tamen coactus ueritate, dixit odorem esse substantiam corpoream, & dicit quòd unguentarij procurant odorata sua in oleis, eo quia uapores propter uiscositatem suam, idest ipsius olei retinentur, & non ita exhalant, & ideo cum faciunt unguenta sua, ponunt prius aromata quædam in oleo, ut oleum constringat aromata illa, & diu durent, & quanto magis oleum illud est maioris constrictionis, tanto magis detinet odorata: propterea multi accipiunt oleū omphacinum, quia maximæ astrictionis est, nam quandiu exhalant uapores, tandiu exhalat odor quo modo sunt quidam quibus Axillæ fœtent, & hircum olent, & ubi mouentur magis fœtent, uidetis iam quot rationes utrinque afferantur. Videndum modo est utram partem sequi nos oporteat, & utra sit opinio uerior. neque ego uolo istos conciliare quemadmodum facit Conciliator, quia discordia nō est de subiecto odorabili, neq; prout est odor in anima in actu, quia clarū est q; in anima est in specie, sed discordia est de odore prout est in medio, & recipitur in sensorio, neque enim consideramus ipsum prout est in sensorio actu, prout anima ipsum iudicat, nec prout est in subiecto antequàm deueniat ad actum, quia conueniunt in hoc, sed discordia est de odore, quando est in medio, antequàm anima ipsa iudicat, neque possunt aliquo modo conci-

liari. Conueniunt in termino à quo, & ad quem, & discordant in medio. Dico igitur quòd Hipp. uoluit uaporosam sustantiam multiplicari id medio Arist. autem speciem tantum, circa hoc dicam meam sententiam. Ego magis inclino in sententiam Hipp. & Gal. & Plat. quàm Arist. nec argumenta Arist. multum me mouent, quia nihil confirmant de suo, sed destruunt tantum opinionem aliorum. ego uellem audire argumenta confirmantia, non destruentia aliena. dicit. n. Arist. si esset substantia uaporosa, uel essent exhalatio humida, uel sicca. dico quòd est exhalatio sicca, quando dicit ergo non potest descendere in profundum aquæ maris, dico quòd si consideretur odor, prout est substantia, quòd uapores sicci possunt descendere, & prodire ad fundum aquæ, nam nonne mare est aqua, & uapores salsi tamen prodeunt? nam non datur elementum purum in mundo hoc semper enim est aliquid terreum, uidemus etiã quòd uapores calidi semper commiscẽtur cum aqua, & redditur aqua odorata. si aqua ebullit, maximum percipietis odorem, nam in aqua stat sapor: pisces enim sentiunt saporem in aqua, in profundo maris. Ad secundam quando dicit si deflueret substantia uaporosa, tunc corpus in quo est odor tabesceret, dico quòd tabescit, sed sunt quædam subiecta quæ ita in parua quantitate tabescunt, ut in tempore imperceptibili hoc fiat. sunt etiam quædam quæ cito tabescunt, sicuti rosa, flos, & quanto odoratior est, tanto citius exsiccatur, & arescit. Ad tertium quando

dicebat quod est impoßibile ut per quingenta milia ria multiplicentur odores, & deuenirẽt ad odoratũ ipsorum uulturum, dico hoc an fuerit nec ne, est in opinione hominum. tamen plinius tradit quòd uultures percipiunt triduo tempus, quàm bellum conficiatur & ante cædem hominum percipiunt cædem futuram, & cadauera prospiciunt, & si percipiunt potest hoc esse etiam quòd ex multitudine tanta cadauerum per uentum deportatus fuerit odor per tot miliaria, & ita concedo historiam, quia cadauera erant infinita, ergo uentus poterit deportare odorem illum per tantum spatium. tenemus igitur sententiam Platonis, Gal. & Hipp. multiplicari scilicet substantiam uaporosam in medio deuenientem ad anteriores uentriculos cerebri, & hoc quantum ad primum articulum. Secundus Articulus erat utrum ista substantia nutriat an non. Aris. ita est pertinax contra pythagoricos, appellat enim pythagoricos Platonicos, quòd omnino negat odorata posse nutrire, etiam quòd sit substantia, & argumentatur ad hominem, supposito inquit quod odor sit substantia uaporosa dico quòd non potest nutrire nam nullum simplex potest nutrire aliquid mixtum, sed odor est simplex ergo odor non potest nutrire. Argumentum fundatur super hoc quia ex eisdem nutrimur, ex quibus constamus, sed ex mistis sumus ergo ex mistis nutrimur. secundo nihil nutrit nisi coaguletur, quia concoctio fit in uentriculo per coagulationem, neque nutrit per elixationem,

Ex eisdẽ nutri[illegible] [illegible]

nam aqua non potest coagulari, & consolidari, ut efficiatur pars nutriti, sed odor non potest coagulari ergo non nutrit. tertio quicquid nutrit primo per os pertransit, & in uentriculo concoquitur, sed odor non hauritur per os, nec concoquitur in uentriculo, ergo non est nutrimentum: transit enim per nares immediate ad cerebrum absque concoctione, quæ enim nutriunt, primo per os transeunt, deinde ad uentriculum, & ibi cōcoquuntur deinde nutriūt. Hipp. argumentatur contra Arist, probando ex eodem met principio, per quod procedit Arist. & inquit, quòd odorata nutriunt, nam ex eisdē nutrimur, ex quibus sumus. quamobrem argumentor sic. Spiritus animales fiunt ex uapore, ergo ex uapore nutriuntur, fiunt enim ex aere attracto per arteriam, & ex tenuiore uapore sanguinis, non igitur generātur spiritus ex alia materia, quam ex uapore, & ideo ò Arist. tuum argumentum est contra te, quando dicis nullum simplex nutrit: compositum uerum est, & cōcedo, sed aduertas, quòd committis fallaciam æquiuocationis, quia nihil est in elementis, quod sit simplex nam in uapore sunt quatuor elementa, sicut ponis tu in quarto Meteororum, & ita dicimus quòd uapor est corpus compositum: dico igitur quòd uapor nutrit spiritus. tertio argumentor ab experimento: uidemus enim homines qui cadūt in syncopim, & sunt propè mortem, qui si aliquod odoratum offeratur, statim reuiuiscunt. Et Io. Damascenus uir Platonicus qui exposuit sextum librum epidemiarum

spūs aīr fiūt ex vapore.

Hippocratis qui diuisus fuerat in octo partes in octaua particula affert exemplum de quodam, qui per tres dies permansit uiuus cum odore panis tosti. refertur etiam ab Arabibus de quodam, qui fuit nutritus per plurimas horas odore pomi.

Fuit unus qui tot madie uiuus cũ odore panis tosti. + 3s. dier.

Circa quæstionem propositam, utrum odor nutriat necne dixi, & satisfeci omnibus, & declaraui utrum odor multiplicetur per speciem in medio, an corporaliter. tandem deueni ad secundum articulum, in quo Arist. medicis contradicit, & supposito secundum Pythagoricos (appellat enim Platonem pythagoricum) odorem esse substantiam quandam uaporosam, dicit tamen non posse nutrire, & audiuistis rationes, & primo erat argumentum tale ex eisdem nutrimur, ex quibus sumus: sed ex solidis sumus, odor autem est res liquida, ergo non potest odor nutrire. secunda ratio nullum simplex potest nutrire compositum per idem met fundamentũ, ergo odor non potest nutrire. tertium argumentum quod nutrit debet coagulari antequam nutriat, aqua enim non potest consolidari ergo non potest nutrire, quia est res liquida, sed odor est res liquida, ergo non potest nutrire. quartum argumentum erat, quicquid nutrit humanum corpus ipsum nutrit, quia pertransit per debita instrumenta ante coctionem, sed odor non deuenit ad debita instrumenta ante coctionem, ergo non nutrit, deuenit enim primo ad ipsos uentriculos cerebri, antequam deueniat ad locum coctionis, idest ad uentriculum ipsum. In con=

trarium erant Argumenta Hipp. *&* Plat. *quòd necessario nutrimur ex odore, quoniam spiritus nutriuntur ex uapore. ergo uapor nutrit per illud met principium per quod probabat* Arist. *ipsum non nutrire, per idmet dico* Hipp. *probat oppositum. præterea dicebat.* Hip. *in syncope applicamus odoramenta, ex quibus spiritus statim restaurantur, & animal reuiuiscit, & probatur quotidiana experientia attulimusq́; Argumentum de* Democrito, *qui ex odore mellis, & pomi recentis cocti in furno, uixit per plurimos dies. & erat argumentum* Io. Damasceni. *utrum modo hæc historia sit uera necne, non curo de historijs, sed ad Argumenta* Aristo. *uenio, & primo ad primum responsum est, nam quando dicit ex eisdem nutrimur ex quibus sumus respondeo & nego quòd constemus ex solidis tantum, sicut ostendimus anno elapso, nam ex impetentibus, influentibus, spiritibus, & ex solidis, & ex sanguine constamus, & ita quantum ad solida uerum est, quòd solida non nutriuntur ex uaporibus, sed spiritus generantur ex uapore, & ex illo nutriuntur, generantur enim ex substantia uaporosa, ergo ex eadem debent nutriri. quando dicebat ad secundam simplex non nutrit, sed mistum, dico quòd substantia uaporosa mista est, & non simplex. Ad ultimum quando dicebat quòd nutrit, debet transire per debita instrumenta ante coctionem, concedo totum. quando postea subiungis odor non transit per loca debita nutritionis, nego, quia bene uerum est*

quòd ad nutrienda corpora solida debent pertransire per debita loca nutritionis, uidelicet per uentriculum, sed ad nutriendos spiritus non debent pertransire uentriculum, quia hoc non est necessarium. nam attrahitur aeris substantia, & in pulmone concoquitur & dico quòd nutrit spiritus, qui sunt pars tertia constituens corpus humanum, & hæc quantum ad quæstionem, conciliator autem ita est confusus, ut nihil doceat.

APHORISMVS XII.

QVAE relinquuntur in morbis, recidiuam facere consueuerunt.

HIC aph. continuatur cum præcedentibus in hunc modum, nam octauus uidetur quasi seminarium pariens, & producens istos reliquos, tanquã pater filios: si hic aph. respõdet parti illi octaui aphorismi, quæ ita dicit, si non assumente cibo tertio idem accidat, signum est quòd indiget euacuatione: sed quare indigeat euacuatione docet hic Hipp. quia cum nutris conualescentem, & non corroboratur his quibus debet nutriri ex cibo scilicet liquidiori, tunc signum est quod euacuatione indiget, quoniam quæ relinquũtur in morbis solent facere recidiuas. & hæc est ratio breuis, et docta. Sed antequã uenio ad declarationem sententiæ. declaro primum terminos. tria enim in morbis sunt. symptomata, morbus, causa. quando

Tria sunt in morbis.
sympt. morb., cau.

inquit Hipp.quæ relinquuntur in morbis,non intelligit symptomata,quia symptomata non relinquuntur in morbis,neque intelligit quippiam de essentia morbi,quia nec aliquid essentiæ morbi derelinquitur sed ait derelinqui eo,quia materia , quæ morbum faciebatrelinquitur,sicuti habetis in Anaxione Aph. *duodecimo,qui ter in morbum recidit, intelligit igitur materiam relictam , quæ derelinquitur in morbis , post* CRISIM, *id est postquam natura fecerit aliquem motum criticum:sed derelicta sit aliqua pars materiæ,quia non tota euacuata sit , quoniam crisis non fuerit perfecta , tunc recidiuas facere con sueuerunt .* CRISIM *appello motum subitum,siue ad bonum , siue ad malum . crisis autem bona duplex est,quædam est perfecta , quædam imperfecta. perfecta crisis dicitur illa esse,quæ radicitus sustulit omnem morbum,& totam materiam euacuat,& symptomata sedat . imperfecta dicitur illa quæ facit quidem motum inuasionis, ita quòd æger euadit ab ægritudine , quia cessat morbus,& febris, & symptomata cessant sed non omnis materia euacuata est quod potest contingere ratione imbecillitatis uirtutis continentis,uel expellentis , uel propter materiam rebellem coctioni,quia crassa sit , uel uiscosa, uel quia sit maligna propter malam aliquam qualitatem,quòd si fuerit uirtus expulsiua debilis,debetis adiuuare ipsam,si cōtentiua nimis fortis,& ipsa quoque estadiuuanda , si materia rebellis præparanda est,si uasa non sint parata,oportet uias parare, nam*

inquit

inquit Hippoc. corpora cum quis uult purgare fluida prius faciat oportet RECIDIVAS recidiuũ proprie antiquis significatur, id quod cum prius fuerit destructum, iterum redit in pristinum statum. Sicut dicit poeta recidiua pergama Troiæ. per metaphoram etiam dicuntur morbi recidiui, quando destructi sunt, deinde in suum pristinum statum redeunt. Sententia igitur aphorismi est, ubi post crisim imperfectam aliqua materia relicta fuerit in corpore, solet facere recidiuam. ratio autem Aphorismi talis est, nullus humor alienus in corpore est aptus conuerti in nutrimentum, sed humor talis omnis necessario, relinquitur in corpore à natura, quod relinquitur à natura putrescit, & quod putrescit facit febrem, ergo, quod relinquitur post crisim imperfectam recidiuam facere consueuit. declarat hoc Arist. quarto problem. problemate 14. ubi dicit, quòd non ita amamus pediculos, qui generantur ex nobis, sicut amamus filios, dicit quòd hoc est, quia generantur ex excremento, quod est alienum ab humano corpore. quantum ad secundum dicit quod cũ calor naturalis non possit concoquere, derelinquitur materia ab ipsa natura, & à calore naturali, & inde putrescit, quod relinquitur à natura, eò quia putredo fit quoties derelinquitur à calore innato, quia accedit calor præter naturam, & humor qui relinquitur in uenis est alienus: ergo necessario putrescit. Sed contra hanc rationem multi argumentantur, humores relinquuntur à natura, & tamen

non putrescunt, quia uel transeunt, per urinam, uel transmittuntur per secessum, uel in abscessum, & in ipso maturãtur: ergo non est uerum, quòd necessario relinquitur à natura, ut putrescat. præterea tu dicis unum aliud quòd præcipue putrescunt humores, quoniam sunt in loco calido: contra, imò quanto sunt in loco calidiori, tanto melius concoquuntur, nam in conualescentibus calor naturalis adest, & est debilis, ideo concoctio debilis, quòd si esset fortior concoctio esset melior, & potior, istæ dubitationes sunt reales: ad quas sic respondeo. & dico ad primum ut melius rem teneatis, quòd duo sunt actus naturæ à philosopho, & medico considerati, uidelicet generatio, & concoctio: debetis enim hos actus cognoscere omnino, nam generatio differt à concoctione, licet enim uersentur circa idem subiectum tamen differunt tanquam species quædam à suo instrumento, à quo fit. generatio enim non fit à natura, sed ab instrumentis, quæ sunt actiua à caliditate, & frigiditate. Albertus credidit frigidum non ingredi opus naturæ duæ enim istæ qualitates sunt necessariæ ad quanlibet generationem, & istæ bene regendo, bene coagulando, bene componendo, sunt in causa generationis, mollitiei, lineationis, ita ut quandoque sit magis necessaria frigiditas, ut coagulet, figat lineationes, quandoque magis necessaria caliditas. Concoctio autem uersatur circa instrumenta paßiua, circa siccum, & humidum componendo bene humidum, cum sicco, ac bene distribuendo, & alia huiusmodi: &

quoniam coctio nihil habet aliud facere, quàm bene concoquere, quòd crudum est, ideo frigiditas nihil potest facere in coctione, imò si accidit frigus, maxime nocet. imò coctio potius præparat, quam quod generet. præterea una sola qualitate utitur coctio, calore scilicet generatio uero duabus utitur, & ita hæ differunt. opposita uidetur generationi. ut ait Arist. primo meteorum putrefactio, & magis quàm corruptio: ibi enim Arist. distinxit hæc optime. putrefactio igitur cum sit opposita debet habere oppositas operationes, & cum generatio fiat per proportionē, quæ est inter calidum, & humidum, id est, quando bene dominatur calidum humido ipsi, tunc fit generatio, cum uero, humiditas, & siccitas non bene dominentur, tunc fit corruptio, non generatio, ut quando diminuitur frigiditas, & augetur nimis caliditas, & quod dicimus de generatione, dicamus etiam de regenita: nam quæ generant etiam conseruant: quandiu caliditas, & frigiditas bene conseruant in nobis humidum ipsum, tamdiu conseruamur & nos. Sed ubi caliditas augetur, & diminuitur frigiditas, tunc aucta caliditate sequitur putredo, quoniam non terminat caliditas, sed fit calor igneus, & cum primo conseruaret caliditas subiectum nunc corrumpit, & est causa putrefactionis, sicuti apparet in febribus pestilentibus, & putridis, & licet quandoque caliditas extrinseca adiuuet tamen immediate hoc faciens est caliditas intrinseca. alia causa putrefactionis est quoties caliditas minuitur, & frigiditas augetur

intrinſeca, ita quòd non poteſt facere calor diſtributionem, & cõcoctionem, tunc ſeneſcit corpus, & hæc propria eſt ſenectus ſenſibilis, ab extrinſeco etiam fit putrefactio, quando caliditas extrinſeca ipſa intrinſeca eſt maior, ita quòd trahit ad ſe totam caliditatem intrinſecam, uel quando frigiditas extrinſeca extinguit caliditatem intrinſecam, ita quòd contabeſcunt corpora. iſtæ ſunt cauſæ putredinis reſpectu qualitatum actiuarũ: quãdoque ſequitur reſpectu paſſiuarum ſtante eadem caliditate, & frigiditate, cum augetur humiditas, & ſuffocatur calor ita ut non poßit terminare & obtinere ſubiectum tunc ſequitur putredo. oppoſitum uero coctionis, eſt cruditas, fit enim cruditas à frigore & non à caliditate. ſtantibus his ſcitis quomodo putrefactio ſequatur, tum propter cauſas agentes, & cauſas paßiuas, propter ſcilicet humidum redundans, ſequitur ex hoc quòd erunt uarij gradus putredinis, prout erunt uarij gradus caliditatis, & frigiditatis, magis, & minus: ubi enim aliquid iſtorum ſuperauerit, fiet etiam putrefactio abſolute. nam ubi calor naturalis eſt, oportet ut habeat materiam obedientem. & proportionatam, & contra. Ad aliud, quando dicebatur contra Galenum in abſceßibus, ubi abſceſſus, ſiue apoſtema maturatur, ibi enim materia eſt aliena, & tamen maturatur, & concoquitur, ergo non eſt uerum quòd materia exiſtente aliena neceſſario putrefactio ſequatur. Reſpondeo, & dico, quod mateteria in abſceſſu, non omnino eſt aliena, uel rebellis,

nam si omnino esset aliena illa materia, uel rebellis, ita quod calor non posset dominari, illa necessario putresceret: quoniam materia superaret calorem absolute, unde necessario sequeretur putrefactio, sed quia in apostematibus, quæ maturantur, materia nõ est omnino aliena, & rebellis, ideo non putrescit absolute: bene putrescit, sed secundum quid, eò quia materia non est ita aliena, quin calor naturalis poßit aliquo modo concoquere, & agere aliquid in ipsam nec potest ita in ipsam agere, ut conuertat ipsam in nutrimentum sui, agit tamen ita ut det illi quandam formam, & formam meliorem quam potest illi dare neque enim uera est concoctio, quando materia suppurata est. Sed est medium quoddam inter putrefactionem, & coctionem, non est etiam putredo uera, quoniam omnino non fætet: efficitur autem materia illa alba, eò quia membra in quibus generatur suppuratio illa, alba sunt. & cum non poßit fieri concoctio uera, fit, & generatur quoddam, quod dicitur pus. quod quidem habet formam mediam inter generationem, & concoctionem. & licet calor naturalis non dederit illi formam perfectam, quia tamen materia illa non est omnino rebellis, & aliena quia tamen quadantenus concoquitur, signum est, quòd materia illa non est in totum aliena, putrescit tamen, sed medio modo: & quòd istæ suppurationes sint mediæ inter generationem, & concoctionem testis est Hippoc. qui dicit in suppuratione fieri dolores, in generatione autem materiæ non fiunt:

ergo putrescit etiam in suppuratione, sed quoquomodo, non autem semper & absolute. ad aliud quando dicebatur, quòd caliditas existens in membro, quantum in scipso, quòd debet conseruari, sed materia est rebellis, ideo non potest concoquere, dico & sciuistis quòd & si sit calor, oportet tamen ut materia sit obediens calori, & si putrescit materia, hoc est per accidens, eò quia calor, agens in materiam, quoniam materia non erat obediens fecit putrefactionem, sed per accidens, quia si fuisset obediens concoctioni, eam concoxisset, non autem putrefecisset.

APHORISMVS XIII.

QVIBVSCVNQVE *crisis fit, his nox grauis antecedit.*

HIC est decimustertius Aphorismus, qui cum superioribus continuatur. est mos Hippocr. in hac particula ut sumat occasionem ex his, quæ in præcedenti Aphorismo dixerat, & facit Aphorismum subsequentem, quia enim dixerat superius in alio Aphorismo QVAE DERELINQVVNTVR IN MORBIS, RECIDIVAS FACERE CONSVEVERVNT. quia fecerat mentionem de crisi, ideo hic docet quando sit futura crisis, & quid subsequatur, & ita sic dat modum, quo poßimus cognoscere crisim futuram, non autem factam, quia crisis facta

nota est. & est proprium Hippo. ut dixi, quæ occulta sunt docere, manifesta prætermittere, cum autem crisis, antequam fiat sit occulta, et difficilius cognitu, ideo docet quemadmodum cognosci debeat crisis antequam fiat, & quando, postquam facta fuerit, perfecta, & ita aphorismus habebit duas partes, quantum attinet ad aphorismi ueritatem, seu rationem, prius oportet declarare uoces ipsas, secundo rationem, ultimo dubitationes, si quæ erunt. circa igitur primam partem, est notandum quid sit crisis, si uolumus ueritatem aphorismi assequi: CRISIS est nomen metaphoricum, sumptum à iudicijs ipsis, quæ fiunt in foro: sicuti enim litigantes fiunt multæ altercationes, & motus, ex quibus inde oritur iudicium in ipsis, ab ipso iudice, ita medici per metaphoram transtulerunt ad morbos. ita ut quando inter morbum, & natura fit lis, fiunt enim in illa lite motus maximi, ex quibus medicus ipse iudicat & tales motus appellantur crises, utrum modo dicatur crisis quando lis incipit, uel quando pugnat, uel quando finita pugna est, est dubium in primo de crisi Gale. recitauit tantum opiniones, & dicit crisim capi pro subita mutatione, siue ad bonum, siue ad malum. Quidam uero acceperunt crisim tantum ad bonum, alij pro solutione, & termino morbi. Alij pro solutione quidem morbi acceperunt, sed pro solutione, quæ est ad bonum, non ad malum. ut igitur inueniamus modum, quo possimus attribuere hoc nomen, secundum quòd conuenit, uideamus Hippocratis et Ga

Proprium Hippo. occulta do: cum manifesta prætermittere.

jn morbo sex fieri mut.es pnt.
vt ad salutem
vt ad mortem subito
vt paulatim.
vt misto mo

leni opinionem, Gal. ait in morbo posse fieri sex mutationes, uel enim morbi terminantur ad salutem, uel ad mortem subitò, & ita duæ mutationes. uel terminātur quidem sed non subito, quia paulatim, uel ad salutem, uel ad mortem. & iste motus est contrarius primo, nam primus subito terminatur hic non subito, & ita duæ aliæ mutationes. uel terminatur misto modo, ita ut morbus incipiat terminari ad salutem subito, postea quod residuum est paulatim terminatur: exempli gratia sit facta in morbo subita mutatio, uel ad salutem, uel ad mortem, deinde paulatim terminetur ad alterum istorum, cum igitur sint, inquit Galen. sex istæ mutationes, aduertas, quòd quando dicimus crisim, absolute, & sine additione aliqua prolata, intelligitur de crisi perfecta, quæ subito tendit ad salutem: quando uero attribuimus nomen ad suum oppositum ad mutationem scilicet, quæ est ad mortem, tunc non dicimus crisim absolute, sed dicimus crisim cum termino distrahente, id est crisim malam dicimus, & non simpliciter. quē admodum dicimus etiam hominem mortuum, & hominem absolute, cum enim dicimus hominem absolute, intelligimus hominem perfectum, cum uero dicimus hominem mortuum, intelligimus de homine imperfecto, id est mortuo: cum additione illa mortuum ita dicendum de crisi. Crisis enim incipit cum accidētibus, & perturbationibus si terminatur ad salutem dicitur crisis absolute, si ad mortem, dicitur crisis mala, de aliis uero duabus mutationibus

quæ non ſubito terminãtur, ſed paulatim, non dicitur hoc nomen criſis, de alijs uero, quæ miſtæ ſunt dicitur criſis, quoniam ſapiunt naturam criſis quæ dicitur perfecta, & naturam criſis, quæ dicitur imperfecta, & mala, quando enim ſubito mutatur, licet paulatim poſtea terminatur, ſi tendit ad ſalutem dicitur criſis bona ſed imperfecta eo quia non perfecte mutauit hominem ad ſalutem, quando uero tendit ad mortem, dicitur criſis mala ſed non ita mala ſicuti prima quia dat ſaltem inducias morti, & ita patet quibus ſit attribuendum hoc nomen criſis, & quibus non: ex quibus etiam colligitur, quid ſit eſſentia criſis, nam nulla eſt, quin ſit ſubita mutatio, uel ad bonum uel ad malum, & hoc eſt quod dicebat Gal. quòd criſis eſt ſubita mutatio. Quæritur modo cum criſis ſit ſubita mutatio, utrum dicatur criſis quando incipit illa mutatio, an quando deſinit, & terminatur mutatio illa id eſt debeo ne ultimũ terminum uocare criſim? recentiores in hac re neſciũt ſe explicare: afferunt enim tantum auctoritates, & ita in maximis uerſantur anguſtijs, & cum uolunt ſoluere, magis implicant & intricant. in primo lib. de diebus dec. Gal. mouet quæſtionem, quis nam dies criticus ſit appellandus, an ille in quo incipit mutatio, an ille in quo ſoluitur morbus, dies enim ille in quo fuit facta agitatio, eſt ille in quo morbus fuit ſolutus. & non alia ratione dicitur dies criticus, niſi quia fit criſis in illo. ergo quærere de die critico, eſt quærere de criſi, id eſt utrum agitatio

sit crisis, an solutio morbi. notetis hic, & hanc rem discatis, traditur enim & ab Arist. & à Plat. & uideatis auctoritates istorum magnorum uirorum quo modo debeant uos excitare, & extricare à quæstionibus, inquiunt enim quòd debetis semper naturam rei inquirere sicuti hoc loco facit Galenus, explicat enim primo naturam crisis, dicit enim nos non possumus scire utrum in decimatertia die an decimaquarta fiat crisis, nisi præcognoscamus quid sit crisis, & inquit quòd crisis habet tres conditiones, quæ totam illius naturam integrant, primo enim oportet ut habeat agitationem præcedentem, secundo oportet ut habeat expulsionem, uel propensionem ad partes extrinsecas, uel intrinsecas: si ad partes extrinsecas, dicetur euacuatio, si ad intrinsecas, dicetur abscessus. tertio oportet necessario ut habeat (intelligendo crisim ueram, & bonam, quoniam natura rei est consideranda in his quæ se habent secundum naturam) debet igitur tertio habere, hoc ut soluat, & terminet morbum. his ita stantibus quid oportet dubitare de die illo, in quo fiunt omnes isti motus perfecti, an dicatur criticus necne? ubi integratus est omnibus suis numeris dicetur sanè criticus, sed ubi tantum materia sit agitata, nunquid sit crisis illa? dico quòd non est crisis, sed est pars crisis, nam ubi requiruntur plura ad aßignandam rei alicuius naturam, si non omnia aderunt, sed unum tantum, non possumus dicere quod sit totum, nec dicemus, est una pars, ergo tota rei natura, respondebimus an-

tem per partem nihilominus.& si hoc sit uerum, debetis tamen notare, quòd quando consueuimus ita facere, & Gal.& Auic. ita faciunt quandoque in lib. de sub. facultatum animæ nolunt exquisite loqui de aliqua re, accipiunt nomen aliquod conueniens illi rei, & si nō sit propriū illius rei, quemadmodum fecit Plato, dum appellauit plantas animalia, eo quia noluit ex professo loqui, cum autem ex professo loquitur, tunc distinctè loquitur, & animalia à plantis separat, & ubi tantum una pars est per partem respondemus, & licet crisis habeat tres illas partes diuersas, quia tamen est unus motus continuus, & quatenus continuum pars habet denominationem totius, ut si diceremus equi sunt in stadio, quia sunt in parte stadij si autem ex professo loquamur, & distincte, non dicemus equos esse in stadio sed in parte quia non occupant totam partem stadij, ita dicimus à pari, ista est crisis, non quòd sit perfecta crisis sed quia est pars crisis, nam incipit, & hoc modo appellauit Gal. principium crisis, crisim, in primo de diebus criticis. quando dicit quòd si in decimotertio factus fuerit paroxysmus, & nox præcedens facta fuerit grauior, tunc in decimoquarto est expectanda crisis, & solutio morbi, hic appellat crisim solutionem morbi. præterea etiam uocat agitationem crisim, & ita partem nomine totius, & hoc in eodemmet lib. quando dubitat an dies prima possit esse dies critica, sed dicas est agitatio præcedens solutionem morbi, ergo agitationem appellat nomi-

ne crisis totius, & hoc facit, quia nolebat exquisite loqui, & ex professo, & ita potestis soluere omnes dubitationes, quia quando accipit agitationem pro crisi, accipit partem pro toto, sed an hoc nomen crisis attribuendo parti. cõueniat magis solutioni morbi, an agitationi, dubium est: dico quòd magis conuenit agitationi quàm solutioni: & hoc dicit Gal. *in lib. de crisi ubi dicit,* ET ISTAM AGITATIONEM CRISIM APELLAMVS, *& ratio huius est quia ex agitatione, & motu sequitur solutio morbi, & quia agitatio est causa solutionis morbi, ideo uerius attribuitur nomen crisis causæ, quam effectui.* ACCESSIO, *scitis quid sit accesio, est enim pars deterior periodij, habet enim periodus quatuor partes principium, augmentum, statum, & declinationem. deterior pars est quando augetur morbus, usque ad statum, & exacerbatur. accedamus modo ad declarationem aphorismi.* Hipp. *hoc loco uult docere quomodo possimus cognoscere crisim, antequam fiat: & inquit quòd quando crisis fit nox præcedens grauior apparet, hic sunt multa declaranda, ubicunque* CRISIS FIT *est uidendum cur sic loquitur* Hipp. *& utitur uerbo fit, cum uelit docere crisim, antequam fiat, dico eorum omnium quæ fiunt, principia sua sunt incognita, & occulta: quia leuia sunt, exempli causa nauta cognoscit tempestatem futuram in mari, cum uidet in mari agitationem, quando igitur incipit agitari, tunc cognoscit futuram tempestatem, quia non*

Accessio est pars deterior periodi

Eorum omnium quæ fiunt principia sua sunt incognita quia leuia sunt.

dum est, sed ex agitatione illa, præuidet futuram tẽpestatem, similiter cum uos uidetis aerem obscurum, & nebulosum fieri, tunc dicitis futuram pluuiam, est enim aer ille nebulosus, & obscurus, principium quod dicitur obscurum futuræ pluuiæ, dicitur principium occultum, quia non cognoscitur nisi à perito: uult ergo dicere Hipp. quòd difficultas præcedens in nocte nihil aliud significat nisi quòd crisis incipit, & tunc cum medicus uidet noctem præcedentem molestam, antequam accedat paroxysmus, quia licet paroxysmus sit pars deterior alijs, lætatur tamen medicus, quia præuidet crisim futuram, & uictoriã naturæ supra materiam: astantes tristantur quia uident ægrum uexari ob agitationem, non adhuc ab ipso præceptam, unde timent, & tunc est indicium quòd incipit crisis, & quòd in paroxysmo futuro erit maxima agitatio, & crisis. non quòd non in principio esset etiam crisis, sed quia incipit occulta, in paroxysmo autem efficitur manifesta omnibus, pergit autem et dicit, NOX PRAECEDENS PAROXYSMVM, uidendum etiam est de qua nocte intelligat, si supponatur quòd crisis fiat in die, tũc nox præcedens erit difficilior, hoc est clarũ, quod intelligit de nocte præcedenti illum diem: sed si supponatur, quòd fiat crisis in nocte de qua nocte erit intelligendum, an de illa præcedente paroxysmũ, an de illa in qua fit paroxysmus? non possumus intelligere de præcedẽti, quia est dies immediate præcedens, neq; de illa in qua fit, quoniam non præcedit

quomodo igitur dicit nox præcedens erit grauior? di co quòd per noctem præcedentem intelligit partem illam noctis, quæ præcedit partem in qua fit paroxysmus, exempli gratia si in nocte fiat paroxysmus hora octaua, tūc hora prima noctis dicetur nox præcedens. at dicat quis quid si paroxysmus fiat prima hora noctis?

Audiuistis quemadmodū sententia Hip. talis erat quòd ubi crisis incipiebat nox antecedēs grauis erat, audiuistis etiam cur Hippo. usus sit illo uerbo FIT CRISIS in tempore præsenti, dixi, quando crisis fit eò tēpore, tūc nox antecedens grauior apparet, et quòd quando paruus est motus, tūc est principiū crisis apud peritos, sed apud uulgares non est crisis, nisi quando maximus motus est, & fit accessio, & dabamus exemplum de nebula ascendente obscura, etiam quòd sol luceret, est principium pluuiæ, licet non pluat, similiter de mari dedimus exemplum. ubi enim incipit mare agitari, tunc est initium futuræ tempestatis, licet non sit à pari dicendum quod in nocte illa in qua apparet grauitas, non apparet crisis, quia est principium crisis, & est motus obscurus. apparet in de crisis in tempore accessionis manifesta. dicit igitur, quibuscunq; fit crisis, reuera enim tunc incipit crisis, postea futura est nota apud uulgum, cognoscētis autē, quando incipit quoniā nox præcedēs semper erit difficilior, & non fit crisis perfecta, nisi in exacerbatione, nam nihil aliud est crisis nisi subita mutatio ad salutē, nox igitur semp difficilior erit, his qui

bus futura est crisis. his positis uidetur satis declar ta prima pars Aphorismi: apparet etiam ratio, qu re ita sit, quòd nox præcedens difficilior sit, quoni tunc incipit agitari humor, qui repugnat naturæ. nam inter morbum, & naturam fit pugna: sed tunc difficilis pugna est, unde apparet etiam nox illa difficilior, & hoc quantum ad rationem, modo si recordamini unum, heri considerabamus super uerbis Hippo. quando dicebat nox præcedens fit difficilior, de qua nocte intelligat, eò quia si contingat acceßio in nocte, dicebamus non posse intelligi de nocte antecedenti, eò quia dies antecedens illam noctem erit longè difficilior, quàm sit illa nox: quia quanto magis propinquat crisis tanto maior fit motus, & agitatio: quòd si in nocte fiat paroxysmus, inter quam noctem & paroxysmum nullum cadit medium, quòd tunc pars noctis præcedens partem eiusdem noctis, in qua fit paroxysmus, erit illa, quæ iudicabit futuram crisim, ut exempli gratia, si hora octaua noctis accedat paroxysmus, tunc prima hora noctis incipiet humor agitari & exacerbari, quod erit significatũ, & principium crisis futuræ, nam tunc modo huc, modo illuc miser se uoluit, & nescit quid sit, nisi quòd queritur: & hoc habetis in primo de crisi à Galeno. Sed adhuc dicet quis, quid si prima hora noctis paroxysmus fiat? quæ erit nox præcedens difficilior? erit igitur necessarium, quòd si debet præcedere nox, quòd sit illa in qua mediat dies, respondet Galen. ad hanc difficultatem, & dicit, quòd

non est differentia in hoc utrum præcedat nox, uel dies, quia dies illæ præcedens erit difficilis: sed quæret ille, cur Hippocrates dixit NOX difficilior? Respondet Galen. quòd hoc ideo est, quia in nocte præcedente paroxysmum, facilius percipitur molestia, id enim temporis ægri dormiunt, & sunt liberi ab omni cura, & tunc somnus impeditur, & nõ possunt dormire, & causam huius ignorant, propterea, quia magis sentiunt grauitatem in nocte, quàm in die, ideo dixit Hip. magis de nocte, quàm de die fieri grauitatem, & principium crisis, hæc est sententia Gal. & ratio huius. Sed est alia ratio, eò quia sæpius contingit, ut crises fiant in die, quàm in nocte, quoniam nocte colligitur, & concentratur totus calor. eò quia cum natura uult aggredi morbum, tunc fit collectio omnium uirtutum, & resistit, in qua resistentia fit agitatio illa, & motus; in die uero fit paroxysmus, eò quia calor est expansus, & expanditur, ideo debilis est quoad resistentiam, non enim resistit, fit tamen calor fortior ad expellendum, sed in pugnam fit debilior, eò quia si debet pugnare, oportet ut calor totus ligetur, quod fit in somno, unitur enim totus in somno, unde potest pugnare, & hinc est quòd frequentius fit paroxysmus in die, quàm in nocte, in nocte autem fit frequentius principium crisis, sed dico, quòd non est differentia, quia æque bene percipitur molestia in nocte ut in die: NOX VERO SVBSEQVENS LEVIOR EXISTIT, MAGNA EX PARTE. facilis est

sententia,

sententia, quod leuior sit clarum est, quia iam facta est agitatio, & crisis, & solutio morbi, at dicat quis cur addit MAGNA EX PARTE? cum uideatur hoc debere semper esse, dicit Gal. quod cum fit crisis, ferè semper saluantur homines, & rarò intereunt nisi sit constitutio pestilens, nam si sit pestilens constitutio, de his non intelligitur, quia est motus naturæ coactus: Cogitur enim natura à malignitate materiæ ad expellendam materiam, sed nos loquimur de motibus criticis, non symptomatibus, & dicimus, quòd ubi terminatur motus ad salutem, semper nox subsequens magna ex parte leuior est: dicit MAGNA EX PARTE, quia plerunque contingit, ut in expulsione materiæ moriantur ægrotantes, & fiat illa uictoria cadmæa, quia euacuatur illa materia peccans simul, & cadit uirtus, & ita moriuntur, ac si quis interficeret inimicum, & simul interficeretur ab inimico. sed dubitant quidam: uidetur Galen. & Hippocr. quod dixerunt, male dixisse, imò totum oppositum aiunt esse, non enim uidetur quòd fiat crisis cum maximo labore, quoniam non fit nisi cum est materia concocta, & tunc cum materia concocta est, nullus est labor, sed, longè peior debebat esse agitatio, & labor quando materiam concoquendā natura aggreditur. Respondeo ad hoc, & dico, quamuis materia concocta sit, tamen ex multitudine materiæ maxima, quæ confertim agitatur, & euacuatur, percipitur maxima agitatio, & motus in corpore, & tunc uirtus, & calor innatus patiuntur

G

maxime in corpore, quia agitati exoluuntur, & quã uis inimicus humor peccans fugiat, quia uincatur, tamen quacunque parte ruit ille humor confertim motus posternit, si ruit per aluum, facit dolores, perturbationem, & quandoque syncopim, si ad caput ruat, facit delirium, si per urinam, dum peruadit renes, dolores maximos, ita ut uideantur uexari dolore colico. erat aliud considerandum in commento Gal. ait. n. Gale. IVDICATIO EST SVBITA IN MORBO, MVTATIO FIT AVTEM NATVRA SEPARANTE MALA A BONIS, Natura semper concoquit materiam primum, deinde incidit, & præparat ipsam ad expulsionem, neoterici hoc uiderunt, & ille maxime Thadæus Florẽtinus & cum tenerent oppositũ, quod ego teneo, uidẽs Thadæus hunc locum, exponit, et ait quòd separare potest dupliciter intelligi, unomodo abstergendo, & incidendo materiam, aliomodo separando humores, qui sunt in corpore: & deducendo illos ad locum expulsionis debitum, uidelicet ad intestina, ad urinam, ad sudores, & inquit, quòd separatio sumpta secundo modo subsequitur primam separationem ita quòd separatio primo modo antecedit concoctionem, & hæc est Glossa recentiorum. Gal. ait, primo separat, deinde præparat. quòd autem Gal. per præparationem non intelligat deductionem humoris ad locũ debitum. uidete: dicit separat bona à malis, nam aliud est separare bonum à malo, & aliud est deducere humorem proprium ad lo-

cum expulsionis propriũ, sed cõcedatur diuisio Thadæi, nec laboremus de sua separatione, sed de præparatione, dicit enim Galen. præparat, per præparationem ad excernendum, intelligit illud quod dicit Gal. in Aphoris. illo: CORPORA VBI QVIS PVRGARE VOLVERIT, PRIVS FACERE FLVIDA OPORTET. per fluida intelligit præparare, & tunc post ipsam concoctionem, quia iam facta est concoctio crudorum: sed quando humores sunt uiscidi, debent abstergi, & incidi, quando enim natura concoxerit materiam, statim separatur utile ab inutili, & quod utile est retinetur pro nutrimento, quod inutile expellitur sic uiscidum, uel craßum præparatur à natura, ut excernatur, & inde deducitur ad locum proprium expulsionis, & hæc est sententia Galeni uerborum.

APHORISMVS XIIII.

IN PROFLVVIIS alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

HIC est decimusquartus Aph. pulcherrimus, qui cum præcedentibus continuatur in hunc modũ, dicebat.n.in aphorismo superiori, quòd quibuscunque crisis fit, nox præcedens grauior: declaraui quid sit crisis, & quomodo tripliciter capitur, & quoniã nõ sufficiebat medico cognoscere crisim, quãdo adest, sed

oportebat etiam cognoscere, quando terminata est ad bonum, uel ad malum, & hoc ante euacuationem ipsam idest in tempore, in quo fit euacuatio ipsa, propterea in hoc aphorismo docet, quomodo debeamus cognoscere crisim ante euacuationem ipsam terminaturam ab bonum, uel ad malum, & inquit in PROFLVVIIS ALVI: licet uideatur simplex, & facilis aphorismus est tamen artificiosus, ut intelligatis optime aphorismum oportet habere terminos distinctos, PROFVVIVM ALVI nihil est aliud, quàm excrementum, quòd per aluum redditur præter naturam, præter naturam autem excernitur, quando excernitur, quod peccat, uel in qualitate, uel in quantitate, uel in substantia, uel in horis, id est tempore, & uicibus. in qualitate, ut cum bilis pura uel pituita pura exit: in quantitate quando nimia quantitas exit. in substantia, ut quando exit nimis crassum. uel durum, uel nimis liquidum in horis, ut quando non consuetis horis exit, in uicibus, ut quando frequentius exit quam oporteret. quandoque autem isti fluxus appellantur græco nomine διάῤῥοιαι & fit διάῤῥοια, ubi propter imbecillitatem intestinorum, uel fortitudinem membrorum expelluntur materiæ: quandoque appellatur fluxus colliquatiuus ut accidit in pestilenti febre, colliquantur enim membra, & humores boni, & mali ratione maximæ putredinis. quandoque appellatur fluxus dysentericus, qui fit ratione acrimoniæ humoris erodentis intestina. quandoque appellatur stomatichus.

quandoque lientericus, quandoque hepaticus. quandoque criticus, quando per crisim fit euacuatio, & de hoc ultimo hic intelligit Hippoc. & si intelligeretis aphorismum de alijs fluxibus, falsus esset nec possent uerificari uerba Gal. & Hipp. MVTATIONES ACCESSIONVM. mutatio excrementi potest dupliciter intilligi, uel quia mutatur in propria substantia excrementum ipsum. uel quia mutatio fit de specie in speciem, mutatur enim in substantiã excrementum, quando humor primo exit crudus, deinde concoctus, uel quando primo exit adustus, deinde minus adustus, est enim idem humor semper. mutatio uero de specie in speciem dicitur, quando primo excernitur pituita, deinde incipit excerni bilis, uel contra, primo bilis deinde pituita. hic autem Hippo. intelligit mutationem, quæ fit de specie in speciem, ut etiam exponit Galenus. NISI AD MALA FIAT MVTATIO notetis, quia nisi distingueretis, Aphorismus esset falsus, mutatio ad malum si intelligatur sicut sonat Aphoris. erit falsus, propter enim defectum nominum contingunt quandoque dubia. malum enim potest dupliciter intelligi, absolute & secundum quid, exemplum bilis dicitur humor malus collatus pituitæ. pituita est in uia ad sanguinem, bilis uero est excessus. dicitur etiam malus absolute, quando humor habet aliquam malam qualitatem, græcus codex optime habet nec in illo contingit difficultas aliqua. differunt enim κακὸν & πονηρὸν. πονηρὸν enim dicitur quoddam flagi-

Fluxus lient. Fluxus hepa. Fluxus criticus.

Malũ pt 2r. intelligi absolute et sm qd.

tiosum & prauissimum, et longe peius quam κακὸν hic Hippo. intelligit πονηρὸν. idest malum secundo modo ceptum, id est perniciosum, his positis aphorismus facilis erit, dicit igitur. IN PROFLVVIIS ALVI MVTATIONES EXCREMENTORVM IVVANT, idest in profluuijs, quæ fiunt in motu critico mutationes iuuant, intelligendo mutationes quæ fiunt de specie in speciem, quando natura perfecte euacuat, ut cum primo euacuat bilem, deinde pituitam, tunc est signum quòd natura uult exquisitißime euacuare, si intelligeretis alios fluxus, & mutationem quæ fit in substātia, tunc peßimum esset; dicebat enim Hipp. secundo Prognosticorum com 23. quòd ubi apparet egestio uersicolor, tunc morbus est diuturnior, nec est deterior priori, quia non tollitur malitia, sed saltem indicat ægritudinem diuturniorem fore, ratio est, quia indigemus multo tempore ad concoquendum humorum uariationē, in diebus criticis mutatio de specie in speciem iuuat, quia humores sunt concocti, at dicat quis cur in illa etiam multitudine non cōtingit idem? hoc ideo est, quia non sunt concocti, sed ubi sunt concocti, tunc quanto plures exeunt tanto maius signum est quòd natura optime concoxit, exquisiteq; euacuauit corpus. intelligendo profluuia critica uerū erit, NISI MVTATIONES AD MALVM. at dicat quis, si euacuetur primo pituita, deinde bilis, deinde adusti humores, nonne euacuatio illa uertitur ad malum? Respondeo non est mala ista euacuatio, sed

Egestio uersicolor morbū diuturniorē indicat.

est mala euacuatio quando accidit humorum colliquatio, & sunt deprauati propter putredinem, uel quando exeunt humores synceri, ut optime dicit Hipp. in tertia particula Aph. sexto, IN MORBO DIVTVRNO FASTIDIVM CIBI, ET DEIECTIONES SYNCERAE MALVM. Inquit Gal. quòd syncerae egestiones nihil aliud sunt, quàm humores calidi priuati omni humiditate, & indicant esse consumptam omnem humiditatem, & ita mali per uiam caussae, quoniam faciunt dysenteriam, & si colliquatiui exeunt, sunt mali per uiam caussae, nam indicant quòd plurima putredo est in corpore, quia putredo est confirmata in substantia cordis, & moriuntur aegri, NISI IGITVR AD MALVM FIAT MVTATIO, id est nisi fiat mutatio ad synceras egestiones, uel ad colliquationes humorum & putredines.

syncerae egestiones sunt humores calidi priuati humiditate.

APHORISMVS XV.

VBI FAVCES aegrotant, aut tubercula nascuntur in corpore.

PLENVS est artificij, & miro ordine conscribitur hic aphorismus & continuatur cum praecedenti, fuit enim mirabilis connexus istorum aphorismorum in decimoquarto aphorismo Hip. locutus est de crisi, & quoniam crisis duobus perficitur in-

strumentis, euacuatione, uel abscessu. oportet enim ut primo sit agitatio, secundo euacuatio aliqua, tertio solutio. cum enim propelluntur humores per extrinsecas partes tunc terminatur per abscessum: in decimo quarto egit de crisi, quæ terminatur per euacuationem extrinsecam. dicebat enim IN PROFLVIIS ALVI MVTATIONES EXCREMENTORVM. & declarauit quæ futura esset bona, quæue mala. & dicebat quòd quando fiunt uariæ expulsiones ita quòd mutentur de specie in speciem, tunc bona crisis futura est, & euacuatio. quando uero excretiones mutantur ad synceras egestiones, ita quòd humores synceri excernantur, uel mutantur ad colliquationes, & putredines, tunc futura mala crisis est, nunc uult ostendere in hoc aphorismo, quæ mala, quæue bona crisis futura sit quando terminatur ad abscessum, & ita erunt expletæ omnes terminationes crisium, fore ad intrinseca, siue ad extrinseca terminentur, inquit igitur VBI FAVCES AEGROTANT AVT TVBERCVLA. uult dicere quòd, ubicunque crisis fit per abscessum, debemus, si uolumus cognoscere nunquid sit bona crisis nec ne, aut motus non criticus inspicere excrementa nam si excrementum fuerit biliosum, non erit motus criticus, at si excretio fuerit similis excretioni sanorum, tunc erit motus criticus. & audiatis quomodo uult Hip. id nos docere sed consideremus prius uocabula FAVCES dicitur locus angustus. est enim spatium, in quo est æso-

phagus, & arteria, & ibi terminantur larinx, totũ enim spacium in quo sunt illa uasa à græcis dicitur pharina. AVT TVBERCVLA codex græcus habet φύματα, tuberculum dicitur de eo qui facit tumorem, & indicat extuberationem extrinsecam φύμα autem dicitur enascentia quædam, id quòd à corpore enascitur, siue sit abscessus, siue petechiæ & maculæ illæ, quæcunque igitur è corpore enascuntur omnia illa φύματα à græcis appellantur. uertit interpres nomine particulari, quod erat uertendum nomine generali. uertere debebat enascentia quæcunque contingunt in corpore. φυμάτων autem quædam sunt intrinseca, quædam extrinseca solet enim quandoque natura præcipites agere humores intra, & facere φύματα intrinseca, de his autem nunc non est sermo, quoniam quando huiusmodi efflorationes fiũt in partibus intrinsecis, exitiale admodum est. sed quoniam loquimur de morbo salubri simpliciter uel non exitiali simpliciter, ideo de extrinsecis phymatibus uidetur sermo hic esse, & notandum est circa istud phyma, & philotheus optime adnotauit unum inquam necessarium quod ex Galeni dictis elicitur, cum fit abscessus humano corpore, non fit nisi uel per participationem, uel per transmutationem. per participationem. i. per methadochem quotiescunque existente multa materia in corpore ita ut natura non sufficiat ad expellendam eam, licet tentet omnes uias expulsionis cum uon sit sufficiens ad hoc ut totam materiam expellat facit abscessum quemadmo-

dum contingit in pestilenti febre præterquam quòd enim materia exit per fluxum colliquatiuum per metadoxim facit pustulas illas, quæ petechia uocantur & non est motus criticus sed symptomaticus imò nõ tantum apparent maculæ illæ, quæ sunt perniciosæ neque urinæ subiugales, sed exit materia per abscessus magnos & carunculas & ita per metadoxim & participationem & hoc fit quando natura non est sufficiens ad expellendum materiam per unam uiam tantum plures igitur tentat. Alius est abscessus qui fit per metastasim quoniam humor transmittitur de una parte in aliam, nam plerunquè facit transmutationem de uno loco nobili ad locum ignobilem uidelicet ad cutim ubi igitur fit huiusmodi transmutatio non quia sit plenum corpus sed quoniam natura eligit partem illam quoniam materia dominatur à natura siue modo hoc sit propter uicinitatem uenarum siue propter aliud tunc dicitur fieri per metastasim & quando ita apparent excretiones naturales. & sic habetis duo genera abscessuum. unum quod fit per metastasim quando humor dominatur à natura & expellitur de loco nobili ad ignobilem. Alterum est quod fit per participationem. i. per metadoxim ex ista diuisione philotei habetis omnes solutiones dubitationum. EXCRETIONES per excretiones habetis quòd non intelligit unum genus excretionum sed omne genus quomodocunque fiat. si biliosa fuerint, siue urinæ biliosæ, siue sputum biliosum siue excretiones siue sudo-

Abscessus per transmissionem.

res. Quot enim modis potest materia excerni à natura tot inquam modis intelligitur excretio. BILIOSAE hoc nomen domini uarij uarie interpretantur, quidam enim dixerunt quòd si fuerit excrementum pituitosum, non indicabit illos abscessus esse per participationem, imò inquiunt pituita indicat corporis plenitudinem, nonnulli dixerunt bilem quandoque sumi à Galeno pro pituita & præcipue in illo libro de morbis, ibi enim appellat bilem omnia excrementa quæ sunt in corpore: unde inquiunt, dicit, SI BILIOSAE, idest si fuerit aliquod excrementum non naturale in corpore: si hoc uerum esset, certe foret non dignum Hippocrate & utrum modo intelligat eo modo in lib. de morbo est dubium an lib. ille sit Hippocr. nam ægritudines quæ fiunt à frigido humore paulatim contingunt & non terminantur per crisim, sed ægritudines acutæ cito terminantur & per crisim terminantur. & notetis quòd nunquam inueniuntur excrementa quin bilis secum sit admista, nam non dicit quando bilis apparet sed si biliosa fuerint, & dicitur bilis nota maioris famæ ab Auic. est enim admista cum multa aquositate. Intelligit igitur Hipp. biliosa excrementa in quibus portiones bilis apparent etiam si sit pituita, sunt enim alij humores, sed cum illis admista est tunc tutum est corpus nutrire: per ipsum nutrire debetis scire sicuti dixit in Aphorismo illo octauo, SI A MORBO QVIS CIBVM ASSVMENS, & cætera. nutrire est proprie cibo solidio

i agere non liquidiori, dicitur homo nutriri quando uescitur solidiori cibo. his positis audiatis modo declarationem Aphorismi, ubi abscessus exteriores apparuerint in corpore ut cognoscas an sit motus criticus an symptomaticus oportet inquit inspicere omnia excrementa, quæ per aluum per urinam per sudorem & tandem quæcunque excernuntur à corpore, an sint biliosa necne, nam si erunt biliosa erunt excrementa præter naturam, si iudicatis in excremẽtis ipsis biliosa dominari, id est præter naturam uerbi gratia sit materia crassa biliosa, sudores biliosi, urinæ biliosæ, ita ut admittant aliquem calorem in panno lineo, tunc iudicabis quòd abscessus est per metadoxim, id est per participationem, si fuerint autem excrementa naturalia tunc dices esse abscessus per metastasim, idest per transmutationem, sed dicat statim quispiam, tu dicis quòd loquitur tantum de abscessibus extrinsecis & tamen dicit Hippo. VBI FAVCES AEGROTANT, nonne fauces sunt intrinsicæ ergo uidetur quòd non solum de extrinsecis sed etiam intrinsecis loquatur: respondeo cũ uideret Hip. abscessus salutares præter cynanche qui sunt abscessus ancipitis naturæ, neq; enim sunt intrinseci neq; extrinseci nam abscessus qui sunt in faucibus & uidentur dicuntur extrinseci præter cynanche quæ sunt perniciosæ & inquit Hip. ubi in faucibus apparent abscessus & non uidẽtur dicũtur exitiales sed ubi in faucibus apparent abscessus & oculis uidentur, dicuntur tàles abscessus extrinseci, &

salutares:recensuit igitur Hippo.etiam inter extrin secos qui habebant naturam ancipitem, & uoluit illos nominari inter abscessus extrinsecos, quia potuisset quispiam dicere,quid de illis abscessibus, qui sunt in faucibus, & tamen terminantur ad salutem, & plerunque curantur:ideo uoluit inter abscessus extrinsecos nominare aut TVBERCVLA: ego legerem potius PHYMATA nam ubi uidetis phymata extrinseca illi abscessus sunt salutares omnes:uideatis Galenum ubi loquitur de cynanche, & paracynanche.Gal.unum in commento notat, & dicit quòd Hippocr. duos proposuit sermones oppositos & in ambobus unum consequens dimisit necessarium & quoniam Gal. subobscure dixit, debeatis per oppositos sermones intelligere,si biliosæ fuerint excretiones, & si excretiones fuerint similes sanis, isti sunt oppositi sermones. habere enim excretiones similes sanis, & habere biliosas inquit Galenus opponuntur sed in singulo istorum dimisit Galenus unum. nam SI BILIOSAE FVERINT EXCRETIONES, est propositio una conditionalis,quam debet aliquid sequi.quod sequitur nimirum quod corpus ægrotat.nam si quis uiderit urinam biliosam,sputa citrina, crassa fætida, nunquam dicet corpus esse sanum:ergo uerum est, quòd ubi biliosæ fuerint excretiones,sequitur corpus esse ægrum. in isto opposito facit consequentiam completam Hipp. sed illud quod dimittitur,est id quòd sequitur ex consequentia prima.s.quòd non est nutriendum corpus,

nam prima consequẽtia nota erat scilicet quòd si fuerint biliosa excrementa, sequitur quòd corpus ægrotat, ergo si corpus ægrotat, istud quod sequitur non erat notum scilicet, ergo corpus non est nutriendum, in lib. enim de locis aff. prima consequentia erat nota, nam in lib. illo probat Gal. quòd indicationes debent sumi ab actionibus læsis, & ab excrementis mutatis, sed hic excrementa sunt mutata, ergo corpus ægrotat, si ægrotat sequitur quòd corpus non sit nutriendum, intelligatis non omne nutrimentum, sed nõ est nutriendum nutrimento solido, se bene aliquo humido nutriendum est, ergo Gal. uult quòd Hipp. dimiserit in prima illa consequentia ergo non est nutriendum, in secundo uero opposito dicit Gal. quòd dimisit illud, quod immediate sequebatur ad conditionalem, scilicet ergo corpus est sanum, sed dicit quòd deuenit ad id quod sequitur ex prima consequentia debebat enim dicere si excretiones sunt similes sanis, ergo corpus sanum, si corpus sanum, ergo nutriendum non intulit immediate consequens sed intulit illud, quod ex ipso sequitur. cur autem hoc fecit Hippocrates? hoc ideo fecit, quia non erat necessarium dicere: nam dixerat superius corpora malorum humorum quanto magis nutris, tanto magis lædis. non fuit igitur diminutus quia fuit hoc supra declaratum, ergo artificiosè dimisit in prima consequentia conditionali, id quod ex immediata consequentia sequebatur, scilicet ergo non est nutriendum, quia iam fuerat declaratum in secunda conditionali, dimisit

consequens immediatum, & intulit illud quod ex illo consequenti sequebatur, eo quia erat repetendum, quoniam contrariorum eadem ratio est. nam non erat disciplina digna Hippocrate, cum dixerit si excrementa sint biliosa, & præternaturam (nam idem est præter naturam & biliosum) ergo corpus ægrotat, quòd etiam dixerit si excrementa sunt sana ergo corpus est sanum, sed dixit ergo corpus nutriendũ est, quia hoc nõdum declarauerat, propterea determi minate dicit, quod si corpus est sanum, quòd iã oportet ipsum nutrire cibo solidiori. utilitas igitur est q; scimus ex hoc, quando crisis facta est bona, & quã do mala & quando nutriendum & quando non, & si sit nutriendum, quomodo nutrimento sit nutriendum: Apparet etiam quomodo sit respondendum dubitationibus.

APHORISMVS XVI.

VBI FAMES, non est laborandum.

HIC Aphorismus cum præcedenti eodem ordine continuatur, audiuistis.n. quomodo Hipp. loquebatur de crisi, & quomodo crisis perficiebatur, uel euacuatione, uel per abscessum, & audiuistis quæ esset euacuatio bona, & quæ nam mala, & qui nam essent abscessus boni, & mali, nunc docet, quando, etsi relinquitur aliquid in morbis, non sit euacuandum, etiam quòd necessitas urgeat, et inquit, quòd ubi erit

qñ nõ sit euacuandũ et si relinq^r. aliqd in morbis.

Vbi est atq̃ penuria in corpore tūc nō ē euacuādū.

indigentia in corpore, idest alimenti penuria, tunc non est euacuandum, neque aliquid in corpore mouendum, usus est communi uocabulo LABORANDVM quid sit laborare dicam in declaratione aphorismi, oportet primo scire quid sit fames: licet sit male uersum fames, nam melius interpres uertisset indigentia, uel exuritio, græci dicunt λοίμος & πείνη limos idem est quòd indigentia. πείνη autem est fames naturalis: dicit enim Galenus πείνειν, idest esurire, dicuntur illi, qui ad extremum famis deuenerũt qualis fuit fantes saguntina, & non est contentus definire limos. sed etiam testimonio antiquorum comprobat, quod homines in illo oppido coacti sunt comedere legumina, unde postea inciderunt in ægritudines pessimas, in tertia particula aph. hoc dicit præterea citat aliam auctoritatem, quæ est in primo prognosticorum, primo inquit, ubi enim uiderimus talem famem, & dispositionem, uidere oportet an passus sit limõ, idest famem ergo limos semper in malam partem accipitur. LABORANDVM græci dicunt πονεῖν. πόνος, enim labor dicitur, est enim agitatio corporis, & animæ motus peruenit ad finẽ, ubi sit defatigatio, & laßitudo, ergo non quodlibet exercitium dicitur πόνος, et labor siue tranferatur ad animum, et corpus unde etiam πόνος ponitur pro dolore, quoniam cũ defatigatione, & laßitudine fit, siue in corpore, siue in mente fiat, non est igitur intelligendus aphorismus de fame naturali, sed de fame nõ naturali, nã ubicunque est penuria, & indigentia alimenti,

menti, dicit quòd non debemus laborare, & est aphorismus uniuersalis tam ægris quàm sanis conueniens, quòd non oportet laborare, id est uti exercitio uehementi, & ubi ægri sunt, & habent penuriam alimenti, inquit, quod non debent laborare: intelligendo in ægris de quocunque motu, id est non est euacuandum aliquo genere euacuationis, isti dicuntur labores in ægris ipsis, & conualescentibus hoc idem est intelligendum, in penuria alimenti non debemus conualescentes euacuare, quoniam plurimum nocebit, ratio autem Aphor. facilis quia si consideretis euacuationem ex parte corporis, nimis exiccabitur uirtus, ergo non est laborandum, & inquit Gal. quòd si exhibeatis medicamentum, cui non conuenit, tunc deducetis ægrum ad tantam exsiccationem ut deueniat ad conuulsionem, & casum mortis, & hoc in septima particula Aphor. habetis 67. præterea ex parte medicamenti, eò quia exsiccat: auctoritas Galeni est in Aphoris. illo CARNES SANAS HABENTIBVS ELLEBORVS PERICVLOSVS. est. n. Aphorismus deciniussextus, quartæ particulæ, unde sequuntur imbecillitates uirtutis à qua semper pendet Hippocr. & Gale. nam ubi cessat uirtus, cessant omnes operationes medici, imò contemptis alijs, sola uirtus est restauranda, quæ sustinetur per alimentum, quo defficiente, etiam uirtus deficit.

Vbi cessat Vir. cessant õis oparõ medici.

APHORISMVS XVII.

VBI CIBVS *ingestus præter naturam hic morbum facit.*

Continuatur hic Aphorismus hunc in modum à Galeno cum quarto. NON SATIETAS, NON FAMES, NON ALIVD QVICQVAM, QVOD MODVM EXCESSERIT. *dicit Galenus quòd illud, quod Hippocrates dixerat in eo Aphorismo in uniuersali hic docet in particulari hæc continuatio uidetur superflua, quia ibi idem dixit, & superfluum est, quod uniuersaliter dictum est. iterum particularius dici & ideo ego aliter continuo, & credo quòd continuetur cum præsenti immediate. quemadmodum mos est Hippocratis facere, semper enim præcedens dat occasionem sequenti proxime. Quia igitur dixerat Hippocrates, quòd ubi indigentia est, ibi non est laborandum, imò potius replendum, eò quia uera indigentia curatur suo opposito, quòd est repletio: sed aduertas hic, quòd ubi non est laborandum, sed replendum, & supplendum, ut procures ne repleas plusquam oportet, eò quia facies nocumentum, & morbum: sed inquit moderate repleas, eo quia nihil periculosius est, quàm post euacuationem corpus replere: ego hunc in modum continuarem, ubi igitur cibus præter naturam ingeritur,*

Vbi replendu' p curādu' ne repleas plusq' oportet.

morbum facit, id est licet ubi sit fames, non sit euacuandum, sed potius replendum, tamen inquit Galenus aduertite, ne plus repleatis, quam oportet. INDICAT AVTEM HOC SANATIO. debetis primo scire quid intelligit Hippo. dicit quod alimentum, siue cibus tripliciter dicitur, uel enim dicitur de cibo extrinseco, uel intrinseco, si de intrinseco uel est, quando conficitur in uentriculo, uel quando conficitur in uenis, uel quando actu nutrit, & alit membra: & illud proprie dicitur cibus, in quo nihil mediat. de quo igitur intelligit modo? dico quòd Hipp. intelligit de tertio illo, qui proprie dicitur cibus. qui est in tertia concoctione. Verificatur tamen etiam Aphorismus in quocunq; significato. PRAETER NATVRAM, hoc exponitur à Galeno, qui affert triplicem expositionem, uel enim intelligitur, quòd sit cibus præter naturam quantum attinet ad uirtutem, poßumus enim habere alimentum in corpore præter naturam, quod sit tantum in quantitate, quòd non ipsum poßit conficere, quia natura non poßit conficere, neque ferre tantam quantitatẽ & ista repletio dicitur repletio quoad uirtutem, licet non sit repletio quoad uasa, secundo modo dicitur repletio, & alimentum præter naturam quando habet aliquam malam qualitatem, uel extraneam, scitis enim quòd caro nutritur ex sanguine humidiori os uero ex sanguine melancholico, & alimento sicco nutritur, neruus ex alimento medio, si modo non detur neruo alimentum, quod sibi conueniat, erit

alimentum illi præter naturam, quoniam habet qualitatem contrariam illi neruo, uel quia habet extraneam qualitatem, ideo dicitur præter naturam, ut si sit nimis calidum, uel frigidum nimis, uel siccum nimis, uel humidum. tertio modo erit cibus præter naturam, quando in tanta erit quantitate, ut repleat, & extendat membra ad summam extensionem: ubi enim Gal. exposuit tripliter hoc uerbum dici, dicit quòd Apho. uerificatur in utroque significato: nam si afferatur cibus primo modo sumptus, facit morbum, eò quia si natura non potest hunc ferre, primo non continebit bene, si non continebit, ergo non concoquet, ut inquit Gal. in lib. de facult. naturalibus. quia cibus non potest concoqui, nisi natura illum optime contineat: si modo non concoquit, neque expulsiua expellet, quando debet, quia uel nimis tarde expellet, uel nimis uelocius: inde sequitur debilitatio uirtutis, & cruditas, & inde mors. uerificatur etiam, si intelligitur in secundo significato: ut si sit cum mala qualitate, ex cibo enim nimis frigido incidimus in morbum frigidum, & ex cibo nimis calido incidimus in morbum calidum, sicuti dicit Galen. de seipso, quod ex assumptione lactucæ, & studio, incidit quasi in cæcitatem uisus. uerificatur etiam in tertio significato, ubi enim fuerit in tanta quantitate cibus, ita ut repleat ultima repletione membra, & uenas facit morbum, et si habueritis bonam uirtutem concoquendi, sit tamen tantus cibus, ut faciat extensionem prohibebit ne uirtus contentiua poßit continere, quia non

3° m° cibus praeter naturam qn erit in tanta qt ut repleat et extendat membra.

poßit claudere os ſuum ſuper ipſum cibum, cõſequentur omnia illa incommoda, quæ ſequebantur ad repletionem quoad uirtutem, & ita in quocunque ſignificato accepto faciet morbum, tamen Gale. comparando unum alijs primum & ſecundum laudat, & tertium. Sed inquit, ſi conſideremus modum loquendi antiquorum, illa ultima ſignificatio non intelligitur licet ſit in ſe uera quia non oportet dicere plus cibi ingeſtus fuerit, ſed quando dicimus, quod propter ingluuiem, & ex cibo ægrotauit, quòd illa quantitas cibi intelligitur, quæ ſemper fuerit maior, ideo addere plus non erat neceſſarium, bene de uirtute neceſſarium erat dicere, quia ſi plus cibi quàm poßit natura tolerare aſſumpſerit, tunc ægrotabit: quia ſi accipietis opium, uel mandragoram, licet interficiant tamen ſi in modica accipietis quantitate, non interficient, ideo neceſſarium fuit addere plus, & ita uirtus totius aphoriſmi apparet. Sed à poſteriori, & hoc eſt proprium Hippo. ſicuti fecit in lib. de natura humana: probat enim à poſteriori, quia non uult tranſire artem medicam pertinet enim ad phyſicum probare res à priori, nam medicus cum ſit artifex ſenſatus ſemper debet probare res per cauſas ſenſatas neque propterea eſt empiricus, quia non per obſeruationem probat, ſed per rationes, licet ſint rationes à poſteriori. OSTENDIT AVTEM SANATIO. eò quia ſi euacuetur, & ſanetur per euacuationem patet, quòd propter repletionem ægrotauit. nam ſi uel mißione ſanguinis, uel

frictionibus, uel adhibuendo illi cibum tenuiorem, sanetur: tunc indicat, quòd propter repletionem inciderat in morbum, & hoc quantum ad declarationem Aphorismi. hic modo erit uidendum quomodo repletio quoad uasa sit repletio quoad bonum sanguinem. & quia est una auctoritas contra me, quia ego teneo quod putredo non fit in sanguine existente in uenis, nisi in febribus pestilentibus, ideo in sequenti lectione declarabo hanc quæstionem.

Sententia erat Aphorismi decimi septimi quemadmodum cibus ingestus plus præter naturam generat morbum ratio huius erat, quoniam sanatio ipsa ita esse debet, & dicit Galen. quod Aphorism. ita potest resolui, quoties cibus ingeritur præter naturam in corpore, facit morbum. quia si euacuemus eum qui sic ægrotat, statim sanatur: ergo signum est, quòd ægrotauerat, quia plus cibi præter naturam ingesserat, ita exponit Galen. sanationem, id est euacuationem. hic uero est dubium, quomodo interpretetur sanationem, id est euacuationem, & tanto magis uidetur dubium, quia ò Gal. tu probasti etiam aliam expositionem, super illud præter naturam, & dixisti posse intelligi de plenitudine quoad uirtutem, & quoad materiam, sed quotiescunq; generatur morbus, qui habeat qualitatem excedentē propter cibum nimis calidum, uel uiscosum, & incidat in obstructiones, non sanatur euacuatione proprie sed sanatio sua erit per contrarium: quia ægritudo calida indiget refrigeratione, non euacuatione

ſimiliter de alijs.cur igitur ò Galene cum probaſti illam ſecundam expoſitionem, nunc exponis, SANATIONEM, id eſt euacuationem? dico quòd quamuis Galenus dicat tres illas expoſitiones eſſe ueras in ſe, quòd ubi ſcilicet humor peccat quoad qualitatem, fit morbus in qualitate, ſi in quantitate peccat fit morbus in quantitate, hoc enim uerum eſt, quod facit morbum: nihilo minus non probat rẽ, quæ faciat ad propoſitum noſtrum, præter unam, quæ eſt, quãdo ſcilicet plenitudo eſt quoad uirtutem, & uirtus non poteſt tolerare illam plenitudinem, (non quòd aliæ non ſint ueræ) ideo exponit ſanationem per euacuationem, quia intelligebat de plenitudine quoad uirtutem, quam ſtatim euacuatio ſanat. nam ubi repletur corpus præter naturam, quoad uirtutem, & ipſa euacuatio ſanat, ſignum & quòd tale corpus ægrotabat, quia plus cibi ingeſſerat. Empirici uero, cum non habeant rationem coguntur plurimis exemplis, & experiẽtijs comprobare. Dogmatici uero ſemper ducuntur ratione ipſa, ut in hoc caſu dictat ratio: ſcilicet quòd ubicunque plus cibi ingeratur, quàm poßit uirtus tolerare, fit morbus. ratio, quia ſi deſinit cibus ille, putreſcit: quia derelinquitur à calore, & quia uirtus non poteſt tolerare ipſum, ideo putreſcit. poſtea dat medicamentum, & ſanat, & ita facit Theorema neceſſarium ex unico ſolo experimento quia cum ratione factũ eſt. poſtea addit unũ aliud Gal. notatu dignum, dicit euacuationem, non purgationem, & debetis ſcire eſſe differen

tiam ſecundum Hippocratem inter euacuationem, et purgationem nam euacuatio eſt eductio humorum in uenis æqualiter peccantium, non reſpiciendo unum magis humorem quàm reliquum. purgatio uero dicitur illa quæ euacuat, & expurgat aliquem humorem particularem, ut cum aliquis præcipuus humor dominetur in corpore, ſicuti bilis pituita, uel melancholia: ſicuti contingit putrefactionibus, in quibus contingunt infinitæ ſpecies febrium ex putredine humorum cum humor putridus euacuatur, dicitur purgatio à tali humore: ut etiam quando ſanguis eſt infectus aliquo ſordido, dicitur purgari à tali ſorddo. ita ut purgatio transferatur ad maſſam ſanguineam quæ eſt in uenis æqualiter. purgatio uero ad ſignatũ & particularem humorem. Hic modo oritur dubium quia dixit Gal. quòd quando dicitur, quod ubi CIBVS PLVS EST INGESTVS debet intelligi de plenitudine quoad uirtutem, in alijs autem libris diſtinguit plenitudinem quoad uirtutem, à plenitudine quoad uaſa: & inquit, quòd plenitudo quoad uirtutem dicitur illa, quæ habet aliquem humorẽ dominantem malignum in corpore, habentem aliquã malam qualitatem, plenitudo autem quoad uaſa dicitur illa, quæ habet plenitudinem quoad omnes humores. hic autem dicit oppoſitum. nam dicit quòd euacuatio in plenitudine quoad uirtutẽ dicitur illa quæ æqualiter omnes humores euacuat, ergo uidetur ſibi ipſi contrarius Gal. non ita uero, ſed exponit ſeipſum, aduerte inquit, quòd ubicunqne ſit plenitu-

do quoad uirtutem, semper est sanguis qui augmentatur in uenis, ubi quis aggregat, & facit plenitudinem in uenis, semper æqualis est in uenis: sed ubi adest humor dans maiorem aggrauationem uirtuti, dicitur plenitudo quoad uirtutem, exempli gratia, erit aliquis habens debilitatem suorum membrorum est tamen sanus, ubi adiungitur aliqua quantitas, quæ non poßit portari à uirtute illa, licet illa plenitudo sit bona, quia non habet aliquem humorem malum, dicitur illa plenitudo quoad uirtutem. plenitudo quoad uasa est eadem plenitudo, æqualiter enim augetur sanguis in uenis, id est massa sanguinea in qua sunt quatuor humores æqualiter aucti, æqualitate tamen iustitiæ, non autem æqualitate ponderis, quia nunquam debet esse tanta quantitas bilis, quanta pituitæ, nec tanta pituitæ quanta sanguinis, nec tanta melancholici humoris, quanta bilis. Sed differentia est inter plenitudines istas, quoad tolerantiam quia in una non requiritur extensio uenarum. licet sint uenæ nimis etiam repletæ ratione tamen illius hominis, quia non potest uirtus tolerare illam quantitatem, licet ratione alterius hominis toleraretur donec fieret summa extensio, & omnimoda, quæ incidit deinde in rupturam uasorum, uel syncopem, & ista repletio erit quoad uasa. prima erit quo ad uirtutem, quia non requirit extensionem uenarum, sed plenitudo ista habet particularem humorem, quæ dicitur quoad uirtutem. Gal. declarat, & inquit, quod plenitudo quoad uirtutẽ in principio habet humores

omnes æqualiter dominants, sed postea contingit, imò est necessarium ut perseuerante plenitudine tali humor unus deprauetur, quia si non potest dominari plenitudo à calore innato, necessarium est, ut materiæ putrescant, putrescunt autem quæ non possunt dominari, licet in principio sit talis, ut omnes humores æqualiter dominetur, & augeantur, successu tamen temporis est necessarium ut massa sanguinea putrescat, & fiat humor determinatus in illa putredine, & ita dominatur ibi humor putrescens siue modo bilis sit, siue pituita dicatur putrescere, donec. n. non habeat certam putredinem semper dicitur massa sanguinis æqualiter augeri, & dat exemplum Gal. de uino, inquit enim quòd ubi uinum patitur quandam tenuem aciditatem, in hoc motu si occurratis uino, uel ipsum mutando, uel aliquod medicamẽtum exhibuendo, tunc tolletur illa alteratio. si permittatur illa aciditas inualescere, non amplius redibit ad pristinum esse: sed corrumpetur. sed melius hoc in exemplo lactis intelligetis, quoniam quando uinum expurgatum est, non ita manifeste apparet. lac autẽ cum est in sua naturali dispositione non potest dici illa pars est serum, illa est caseus, & illa est substãtia lactis, pari modo dicitur de massa sanguinea, ubi enim lac incipit putrescere, fit quædam seditio partium & in sumitate sua fit quoddam spumosum, quod aßimilatur bili, quæ est pars subtilior sanguinis, & ubi tẽdit ad ulteriorẽ putredinẽ, apparet magis separatio & amarescit tandem spuma illa, & ul

rimum quod putreſcit, eſt ſubſtantia lactis, & uidea tur mirum hoc quod cum caſeus ſit frigidus, & humidus ita facile putreſcat, cum ſit contrarius putre factioni, nam quod magis facile putreſcit, eſt calidum, & humidum dico quòd hoc eſt ratione uirtutis ſanguinis, nam in ſanguine quod primum putreſcit eſt bilis, & fit dominium bilis in corpore, & reſeruatur ſanguis quia uirtus eſt ſolicita ut ſeruetur uita, & quia in illo ſanguine eſt calor innatus, & ſpiritus in quo eſt uita, reſeruatur ſanguis, & ita fit ſpecies cacochymiæ, quæ fit ab humore bilioſo, quæ ſi augeatur, ſeparatur feroſitas ſanguinis, & conſeruatur eius ſubſtãtia. quòd ſi adhuc augeatur, fit ebullitio ſanguinis, & ichor ſanguinis ebullit, unde cauſatur febris ſynocha, & nunquam deuenit putredo in illo ſanguine donec uirtus non poteſt amplius ſubſtantiam ſanguinis adiuuare, unde poſtea ſequantur multa ſymptomata & caſus uirtutis, ſed cum fit putredo in aliqua parte, ut in bile, aut in pituita, aut in melancholia, tunc pars ſubtilior à calore igneo uertitur in ſubſtantiam bilis, pars uero craſceſcit in melancholiam, ut habetur ex Galeno ſecũdo de diff. feb. febris enim putrida habet uapores aſcendentes ad cor, qui ponunt ipſum in calefacto eſſe, hoc eſt humores cordis, & non putreſcit ſanguis, ſed ubi putreſcit ſanguis contra diſtinctus ab alijs humoribus ubi communicatur humori contento in corde, & putreſcit, tunc ſequitur caſus uirtutis, ſequuntur fluxus colliquatiui, propterea dicũtur febres peſtilẽtes, quæ

ut plurimum terminantur ad mortem, ſed quando fiunt febres ſynochæ, ut in octauo Therap. dicit Gal. tunc illæ febres ſunt benignæ, habent enim calorem benignum, ſed ſunt in maximo periculo, ne communicetur ſanguini, quia putredo deuenit ad ichorem ſanguinis, tunc periculum eſt, ne communicetur ſanguini, & fiat febris peſtilens ideo debetis illis ſtatim ſuccurrere, & phlebotomare uſque ad ſyncopem, quia eſt putrida in parte ſanguinis tenuiori, & hoc eſt quòd antiqui dixerunt: quandoque fieri ſynocham ex bile, quandoque ex ſanguine, & ſicut ſe habet eryſipelas ad ſynocam febrem, ita ſe habet carbunculus ad febrem peſtilentem, nam quando putreſcit ſanguis contra diſtinctus ab alijs humoribus, tunc ubi putrefit facit carbunculum, & in ſecundo ad glauconem dicebat Gal. carbũculum fieri à ſanguine ſuperaſſato, & putrefacto, & ideo aſsimilatur febri peſtilenti, quia & ipſa fit ex putredine ſanguinis contra diſtincti ab alijs humoribus. ita eryſipelas fit à parte ſubtiliori ſanguinis, uel à ſanguine ſubtiliori miſto cum bile pariter & ſynocha febris fit ab illo ichore ſanguinis, & ſicuti eryſipelas cito terminatur & facit ſæua accidentia, ita febris ſynocha cito terminatur & ſæua facit accidẽtia, non quo ad calorem, ſed quo ad reſiſtentiam, & ita cito terminatur ut nunquam ſeptimam pertranſeat, & rarò ferè tranſit quartam, niſi putredo terminetur ad ſanguinem. ergo eryſipelas indicat nobis febrem ſynocham, & carbunculus, febrem peſtilentem, dicit

FIT A BILE quoniam cum ichor ille sanguinis putrescit, debet potius denominari bilis, quam ichor sanguinis, FIT A SANGVINE, quoniam fit ab ichore sanguinis, & ita dictum illorum uerum est. Quantum modo ad auctoritatem Gal. audiatis solutionem dicit enim Gal. quando putrescit massa sanguinea, tunc aliqua pars extendens in illa massa feruet, uerbi gratia si pars subtilior, generatur bilis, si craßior generatur humor melancholicus. non dicit quod putrescat sanguis contra distinctus ab alijs humoribus, & ita fit plenitudo quo ad uires absque corruptione sanguinis, quia non potest diu perdurare, quemadmodum declaraui: semper enim residuum optimum fit, quia reseruatur pars illa sanguinis nobilior: in qua consistit calor, & uita, quando igitur bilis existens in uenis putrescit sanguis tamen contra distinctus seruatur, sed dicet quis, quomodo potest esse hoc quod bilis existens in uenis putrescat, & sit admista sanguini, & sanguis non putrescat, ratio est eò quia natura seruat, quod magis est necessarium uitæ, & relinquit, quod est minus uitæ necessarium: bene sanguis incalescit, sed non corrumpitur, sed tantum alteratur, pars autem subtilior sanguinis est quæ alteratur, & patitur detrimentum, & uertitur in bilem, & aliud est incalescere, & aliud putrescere, sicut est uidere in uino, cum uult putrescere, in calescit enim primo, unde illi qui uolunt conseruare, permutant illud de uase in uas, ita ubi incaluerit sanguis putrueritq;, & perseue-

ret putredo, fiunt febres pestilentes.

APHORISMVS XVIII.

EORVM quæ uniuersim, & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones.

HIC est pulcherrimus aphorismus, et continuatur cum duobus præcedentibus hoc modo, dixerat enim in decimo sexto Apho. quòd ubi fames, non laborandum est & uidimus quid per laborandum intelligat Hipp. s. quod nullo modo, id est medicamento, mouendum erat corpus exuriens, cum alimento indigeat, subditq; apho. decimumseptimum, in quo fecit nos cautos in nutriendo illos, qui exuriunt. inquiens quòd ubi plus cibi ingestum fuerit, quam oportet tunc sequitur morbus: consequenter modo subdit decimum octauum aphorismum quòd cum uolumus exurientem nutrire, quòd debemus illum ita nutrire, ut non lædatur. Quæcunque enim alimenta celeriter, et optime nutriunt celeriter quoque distribuuntur, eò quia celerrime uertuntur in partem nutriri. si ergo uolumus restaurare uires exurientis, debemus inquit eligere cibaria quæ facillime concoquantur, ratio huius est, quia quæ citissime concoquuntur, citissime etiam distribuuntur, & quæ citissime distribuuntur, etiam citissime nutriunt, quod intendebamus, hæc est ratio aphorismi. sed oportet primo uidere sententiam aphorismi, se-

cundo quæ ſint illa cibaria, quæ cito diſtribuuntur, & cito nutriunt. incipiamus à declaratione aphoriſmi. EORVM QVAE VNIVERSIM ET VELOCITER NVTRIVNT. nam VELOCITER quando ſumitur in ſuo ſignificato proprio, ſecundum Ariſt. quarto phy. dicitur illud quod in pauco tempore multum ſpatij pertranſit, VNIVERSIM SIVE CONFERTIM. dicitur quando ſimul fiunt omnes partes, nam aliud eſt pertranſire ſpatium, aliud ſimul omnes partes fieri, ſagitta enim pertranſit aliquod ſpatium citiſsime, ſed non ſimul omnes partes pertranſit, ſed lumen alterat medium, & non ſolum cito alterat, ſed etiam ſimul omnes partes alterat. & ita aliud eſt pertranſire citiſsime, & aliud confertim facere: uelociter. n. facere eſt multum ſpatium pauco tempore pertranſire: Confertim uero facere, eſt citiſsime, & ſimul omnes partes pertranſire, et alterare. Gal. hic accipit uelociter facere, id eſt cito facere, ut ſi diceremus iſte homo cito excandeſcit. i. cito perrumpit in iram, & ſubito, & ita dicemus cito, & uelociter cibus in uentriculo concoquitur quia incipit ſtatim obedire calori, accipit igitur Gal. uelociter pro motu aliquo ſubito facto, ut cum quis aliquo motu ſtatim mouetur. & alteratur ut ſi ponatur poſtea in igne, ſimul atq; oblata eſt, ſtatim incipit alterari, nõ autẽ accipit uelociter pro illo, quod multũ ſpatiũ in pauco tẽpore pertranſit. CONFERTIM VERO dicimus, ut quando cibus non ſolum cito incipit

alterari,sed simul omnes partes concoquntur, neque enim concoquitur pars post partem,sed omnes simul concoquuntur. VELOCES QVOQVE FIVNT EXCRETIONES. quid sit uelox dictum est,sed unum debetis notare, quia dicit NVTRIVNT, quod est metaphorice dictum,i. quæ uertuntur in nutrimentum non autem quod actu nutrit,sed quod uelocius uertuntur in nutrimentum,& concoquuntur,improprie autem uertit interpres,excretiones,id quòd græci uocant διαχωρησεὶς,id est deductiones de loco ad locum,siue distributiones, nã post primam coctionem sunt duo actus, fiunt enim duo motus,subductionis,& deductionis,subductiones quod apud græcos διαχωρησεὶς uocatur proprie ad excretiones per aluum referuntur,de his non loquitur Hipp.licet etiam esset uerum,sed loquitur de nutrimento,quomodo scilicet nutriat. hoc declarat finem commenti deductio dicitur distributio.quæ multiplex est,per secessum,per urinam,per sudorem,per insensilem difflationem,sed proprie deductio dicitur distributio alimenti post coctionem, ad partes quæ debent nutriri,& in hoc significato accipitur hic. debet igitur dicere textus διαχώρησις,id est deductio, non autem subductio,sicut uertit ille interpres, sensus igitur talis erit: eorum alimentorum quæ uniuersim,& uelociter nutriunt,quæcunque uertuntur in alimentum in uentriculo,ac statim ingesta sunt in uentriculo incipiunt concoqui,& uerti in alimentũ, et confertim,idest secundum omnes partes simul uertitur

titur

titur in alimentum. illud inquam alimentum ueloci- ter quoque distribuitur per uenas, & uelociter alit intelligendo de alimento in proprio significato. idest quod actu nutrit membra, & quæcunque alunt cor- pus actu, ueelociter restaurant corpus: ista est senten tia Aphorismi, quæ ut melius intelligatur ex suis principijs, non quia ita dicat Hipp. sed quia ita di- ctat ratio, debetis scire, quòd quæ concoquuntur ci- to, ueelociter distribuuntur, nam concoctio facta est propter distributionem, distributio ad nutritionem ordinata est, nutritio autem ad restaurationem. nā ubi cibus in uentriculo fuerit, tamdiu complectitur à uentriculo parcißime, quamdiu coctus fuerit, dein de expellitur ab ipso, & distribuitur, ergo quanto citius concoctio facta fuerit, tanto citius fiet distri- butio, deinde mutatio, & ultimo restauratio. opor- tet modo uidere. quæ sint illa, quæ citißime conco- quuntur. Certum est, quòd concoctio fit à calore in- nato alterante, quod autem facile, & cito alteratur, est illud quod recipit uelocius impreßionem caloris omnia humida, & liquida facilius recipiunt caloris impreßionem, quàm solidiora, & hinc etiā est, quòd humidiora facilius nutriunt, quàm solidiora: ergo debemus exhibere cibaria humida, si uolumus citißi me nutrire. ad hoc autem ut confertim nutriat, non sufficit humiditas, sed oportet ut partes æqualiter se habeant quoniam potest esse quod aliqua pars in hu mida re sit crassa, quæ non cōcoqueretur in simul cū alijs partibus humidis, sicuti sunt uestræ tortellæ, et

rafioli: habent enim partes diuersas, & ideo huiusmodi edulia non concoquuntur æqualiter, & confertim. ideo fiunt cruditates, & putrefactiones. oportet igitur ut sit alimentum non tantum humidum, sed etiam æquale in partibus suis, propterea ptissana optime nutrit, quia citißime concoquitur & confertim, eò quia calor æqualiter omnes partes dominatur, quia æquales sunt, & quod dico de ptissana dico de omnibus alijs cibarijs, quæ habent partes æquales, sed notetis Artificium Hippo. quod non dixit cõfertim, & uelociter distribuuntur, nam quamuis confertim, & uelociter concoquatur in uentriculo, non tamen confertim distribuitur per uenas, sed per partem post partem pertransit, ideo nõ dixit confertim distribuuntur, sed citißime distribuuntur. Quæ uero sint cibaria, quæ neque uelociter concoquantur, neque confertim, patet ex eorum oppositis: primo quæ dura sunt, neque enim possunt dominari à calore, præterea, quæ habent partes inæquales non confertim concoquuntur, sicut lentes raphanus rapæ, habent enim partes humidiores, & craßiores, & notetis, quòd intelligit de illis cibarijs, quæ nutriunt in propria substantia, & natura, non in qualitatibus: quia alimentum secundum qualitatem consideratum dicitur potius medicamentum, quàm alimentum quando igitur dico, quæ uelociter nutriunt, etiam distribuuntur, intelligo de illis, quæ in propria sua substantia citißime nutriunt, nã si in qualitate haberet aliquod impedimentum, falsus esset aphorismus, nam

in illis ubi est aliqua acrimonia tarde concoquuntur & citißime distribuuntur, propter malas qualitates acrimoniæ. far. n. longe tardius pertransit quam concoquatur, propter quandam substantiam uiscosam, quia non ita facile potest propelli: & ita sunt quædã, quæ citißime cõcoquantur, sed non ita citißime distribuantur. oportet igitur ut non sit aliqua mala qualitas adiuncta, si debet esse uerus aphorismus: ut non habeat aliquod nocumentum extrinsecũ, debet etiam ille homo esse sanus, quia si in uisceribus haberet aliquod impedimentum, non fieret distributio ratione impedimenti existentis in homine. uos modo percurratis, quæ sint citißimæ concoctionis, et distributionis, Gal. incipit ab his quæ faciunt oppositum, & quæ tarde concoquuntur, & difficillime distribuuntur, & licet proponat uinum tamen in particulari incipit ab oppositis. quæ habent carnes duras, & uiscosas, talia sunt ut caro bubula, uix à calore naturali concoquitur, cochleæ uero licet sint difficilis concoctionis, est tamen differentia, quia caro postquam concocta est, peßimum dat alimẽtum quoniam tota terestris est, quod est oppositũ illi: ex quo constat animal, nam ex calido et humido constat animal, cochleæ uero non ita. nam postquam concoctæ sunt, & distributæ, bene nutriunt, quia habent carnem humidam, sed quia habẽt substantiam uiscosam propter partes inæquales, ideo non confertim concoquuntur, & distribuuntur, sed difficillime propter uiscositatem. idem facit caro porcina, nam caro

porcina habet partes inæquales, & uiſcoſitatẽ, ideo tarde concoquitur, tarde diſtribuitur, ſed ubi concocta eſt, optimum generat alimentum, & ita in iſtis quædã dant bonũ nutrimentum, quædam malum. uerticuli marini, qui uocãtur paſtellæ à Neapolitanis, habent aſperam cutim, ſquillæ, ſoleæ, inter genera cancrorum gambari a reliquo cancrorum genere differunt ipſa cauda. dicebat Plinius quòd locuſtæ tarde concoquuntur, hoc eſt ſi locuſtæ eſſent calamarij illi, ſunt duræ carnis, & difficillimæ concoctionis, caſei duri habent qualitatem longe peiorem, et caro ſalita habet ultra terreiſtratem, quam habet caro bouina, etiam acrimoniã, qua exſiccat ſui natura, caſeus exſiccat, quia dat alimentum ſiccum, exſiccat ratione ſalſedinis, & acrimoniæ, nec poteſt concoqui, quia acrimonia ſicca ſtimulat uentriculum ad expulſionem, antequam concoctum ſit, ſimiliter caro ſalita. lentes habent acrimoniam ideo ius ſoluit uentrem. Braßica etiam habet partes in æquales, & malas. Bulbi, ſicuti allia, cepæ habent omne uitium, quod haberi poteſt, habent ſubſtantiam flatuoſam, ita ut uentriculus non poßit continere, habent unum aliud quod excitant uenerem bulbi, & non generant ſemen cum illo ſuo flatu. habent acrimoniam, ratione cuius ſtimulant uentrem ante coctionem, habent ſuam ſubſtantiam aqueam, & terreſtrem oua dura ſimiliter ſunt duræ & difficilis coctionis, & diſtributionis, habent enim iſta multos gradus, nã ubi induruere, fiunt ſimilia lapidibus, nec

possunt concoqui: & efficiuntur uenena. postquam Gal. dedit rationem uictus in particulari, & in uniuersali, exponit quæ sint cibaria difficilis concoctionis, & distributionis. postea facit dubium, quia posset quis dicere quomodo possum cognoscere, quando ista alimenta erunt cocta, & non cocta? docet Galenus, quæ sint ista.

Visum fuit in alia lectione, qui sit cibus, qui cito et cōfertim cōcoquatur in uentriculo, & ille est, qui est humidus, & æqualis substantiæ, nec particeps alicuius extraneæ qualitatis, ille est qui nutrit cito, & cito distribuitur, et ita actu efficitur cito alimentũ. opposita sunt quæ se habēt opposito modo, quæ sunt inæqualia, et solidiora quēadmodũ diximus de carnibus bubulis, et cochleis. et nos ibi declarauimus, quod eorũ quæ sunt duræ & solidæ substantiæ duplex est differētia, quædã sunt, quæ tantũ sunt duræ substantiæ, & tarde nutriunt, tamen bonum afferũt nutrimētũ, quædam uero sunt quæ præterquã quòd tarde nutriunt, pessimum quoq; afferunt alimentũ, & sunt illæ, quæ sunt terrestris substantiæ, sed bulbi præterquam quod habent terrestrem substantiã, & tarde nutriunt, habent etiã unum aliud, quòd habent pessimã qualitatē, quòd exsiccant corpus, & faciunt illud tabescere: & sunt omnia acria. in calce uero lectionis ostendimus etiam quomodo Gale. occurrebat tacitæ dubitationi, quia posset quispiam dicere, Hip. tradidit nobis, qui sint cibi, qui cito concoquuntur, et confertim consequenter alunt corpus. Sed non pro

pterea scio,quãdo cibi isti cito nutriunt:hoc ego uellem per rationem scire,& habere. Gal. dat documentum quo possimus hæc omnia cognoscere,& inquit, eligas corpus quòd sit resolutum,quoad uires, ut à nimio exercitio,uel inedia uel ægritudine,uel maxima euacuatione, in eo enim facilius deprehendes, quàm in alijs si nutrieris ac dederis cibum, dico signa habebis,ex quibus cognosces,quando cibi oblati erunt ex his,qui cito nutriunt:primo tanges pulsum nam si statim immutabitur erunt ex his, primo .n. habebunt pulsum paruum,frequentem, debilem, & rarum talem enim pulsum habent qui sunt resoluti, ubi exhibueris cibum,qui cito & confertim nutriat inuenies statim in pulsu omnes differentias oppositas,& ita ex pulsu ipso cognosces,qui sint cibi cito & confertim nutrientes, sed debetis notare, quòd pulsus post cibum facit duas differentias oppositas, cum enim quis accipit cibum, tunc habet signa debilitatis uirtutis,& tamdiu durat tale signum, quamdiu concoquitur cibus in uentriculo ubi autem facta sit distributio,tunc fortior & robustior fit,& totum oppositum fit,& idem contingit in cibo,quod contingit quando ponuntur ligna super ignem,nam ignis tunc retrahitur,donec incipit aliqua flamma operari cum autem incipit operari,tunc fit fortior, & ualidior flamma,quæ cito concoquuntur,& confertim,cito etiam distribuuntur:quæ cito distribuũtur,etiã cito nutriunt,et consequenter etiam augent uirtutẽ,& pulsum,& ita ex pulsu cognoscitis an sit

de illis cibis, qui cito & confertim nutrient necne,
eò quia cito restaurant, & paucum spatium interci-
pit ab hora à qua accepit cibum. secundum signum
est motus corporis. nam primo corpus pigritabat,
& libentius quiescebat, tunc uero libenter moue-
tur habēs crura fortiora, & hæc sunt, quæ dicit Ga
le. postea descendit ad eos cibos, qui tarde nutriunt
& dat differentias uinorum, & dicit quòd uinum
marzaminum tarde nutrit, & uinum falernū, quod
dicitur magna guerra, tarde conficitur & tarde
etiam nutrit, & qui utuntur tali uino perpetuo ha-
bent cruditatem. uina uero alba sunt his opposita te
nuia. facilis concoctionis, saporis uinosi, qui est me-
dius, nec dulcis, nec amarus nullam habet qualitatem
manifestam, tale uinum est, quod cito, & confertim
nutrit, quia humidum est, & æquale secundum om-
nem suastantiam: nam nullam craßitiem habet, præ
terea illa dicuntur æqualia, quæ habent unum tan-
tum saporem. sapor enim insequitur substantiam, si
cut docet Arist. in toto illo lib. uinum autem mar-
zaminum, & falernum habent craßitudinem substā
tiæ, & humidum & terrestre, ideo non sunt æqualis
substātiæ, quia cum substātia illa humida terrestris
sit, habet acrimoniam, & austeritatem, & ita quali
tates oppositas, quæ arguunt inæqualitatem substā
tiæ, ideo facit obstructionem, uinū uero non omnino
nigrū si concoquatur optimum affert nutrimentū,
sicuti caro porcina, quod sciebāt antiqui, quādo erat
ars gymnastica, quando .n. deduxerant homines ad

robur ualidißimum exhibeant tria panem azimum, uinum nigrum, carnem porcinam, quia ubi cocta erant plurimum nutrimenti afferebant, nam quæ cito nutriunt, cito quoque resoluuntur, quæ tarde nutriunt, tarde etiam resoluuntur, & si uultis facere habitum resolutum, nutriatis tali cibo, qui est citißimæ concoctionis, & ita ubi habetis ægros, qui indigent restauratione exhibeatis talia, quando etiam sunt corpora neutra detis eadem, sed dicatis illis, quòd non habebunt robur, quando autem uultis dare robur alicui, nutriatis ipsum non talibus cibarijs sed solidioribus, quòd si sit messor, uel rusticus, semper solidioribus cibarijs nutriatis, & ego cognoui quendam nobilem Venetum Athletam, qui erat assuetus cibarijs solidioribus, & dum uellet restaurari, medici exhibebant tantum carnes pulli, unde deuenit ad tantam debilitatem, ut meo consilio fuerit coactus immutare cibum, & nutriri solidiori cibo.

APHORISMVS XIX.

ACVTORVM Morborum non omnino sunt certæ prænunciationes salutis, aut mortis.

HIC Aphorismus continuatur cum præcedenti hoc modo, in decimotertio dicebat Hipp. quo modo crises cognoscuntur, antequam fierent, ex nocte scilicet præcedenti. dicebat enim QVIBVS-

CVNQVE CRISIS, IDEST IVDI-
CATIO FIT, HIS NON PRAECE-
DENS GRAVIS. *& quoniam crisis duobus perficiebatur instrumentis, nempe euacuatione, & abscessu, ideo in decimoquarto egit de crisi, quæ eua cuatione perficitur, dicens in* PROFLVVIS ALVI MVTATIONES. *docensq́; quomodo debeamus cognoscere crisim, quando terminatura est ad bonum, & quando ad malum, in decimo quinto egit de crisi, quæ terminatur ad abscessum, postea docuit quando, & si derelinquatur aliquid in morbis, id est crises sunt imperfectæ, non sit euacuãdum, & hoc in decimo sexto dicens quod* VBI INDIGENTIA, NON EST LABORANDVM. *postea supposito quòd non sit euacuandum, sed replendum, in decimo septimo admonet nos & docet quomodo debeamus ipsum replere, & quòd debemus cauere ne ipsum repleamus, plus quam oportet in decimo septimo docet quòd si restaurandum est, debemus eligere cibaria, quæ facilime cõcoquantur, consequenter modo quia dederat superius regulam, qua poteramus cogn scere crisim futuram, siue ad bonum, siue ad malum, admonet, & inquit caue ne confidas signis futuræ crisis in omnibus morbis, ut in acutis, sed caute oportet procedere, ratio autẽ cur in acutis non sit pronunciandum ita faciliter de salute, & morte, dixit de salute, & morte, quia de facilitate, & difficultate potest quis proferre, cum pendeant a materia peccante, quæ si difficilis erit, dif-*

ficilis quoque erit morbus, & ita speciem & qualitatem morbi cognoscere possumus: sed exitum. & terminum difficile est cognoscere his uisis declaro Aphorismum ACVTORVM MORBORVM. oportet primum scire qui sint morbi acuti, & Gal. promittit se declaraturum, cum tamen non declaret, sed proponat difficultaem, quæ proponenda non erat. nos uero declarabimus qui sint isti morbi acuti, & ita diuidemus, Quidam sunt acuti ratione materiæ, quidam ratione loci, Quidam ratione utriusque: & aduertatis quòd hoc nomen acutum duas debet habere conditiones, primam ut habeat uelocem motum, sed hoc non sufficit quia etiam competit Diariæ, habet enim & ipsa motum uelocem. non durat enim nisi per diem. sed oportet ut secundã etiam habeat, ut sit motus uehemens, cum accidentibus prosternentibus uires. & istæ duæ conditiones necessario requiruntur. dicitur autem acutus ratione materiæ peccantis, & faciẽtis morbum, materia autem talis non potest esse nisi calida, quia nisi esset motus uelocis, nec motum faceret uehementem, sed tardum, si esset frigida quia frigiditas non potest facere talem motum. si uero sit acutus ratione loci, tunc fit queadmodum in Apoplexia, quæ ab humore frigido pendet, & est uelocißimi motus, cum maximo periculo, & acidente, similiter est lethargus ab humore frigido, sed ratione loci, quia est in cerebro, est motus uehementißimi, nam dum est in eo loco, tota uis animæ insurgit ad expel-

lendam materiam, & tunc maximi motus, & præcipites fiunt. uel erit acutus ratione utriusque; quando scilicet materia calida fuerit, & locus nobilis, & tunc morbus exitialis admodum est sicuti quando apostema est, uel erisipelas calidum in cerebro, uel quando fit inflammatio in hepate, tunc sunt desperati, & dicit Gal. quando contingunt huiusmodi morbi acuti ratione materiæ, & loci, quod debetis discedere ab eo, nam quomodo, poterit inquit euadere? si ubi alterum istorum aderit, difficilis est euentus illorum, quid postea ubi ambo concurrunt? his uisis non oportet modo dubitare, sicuti dubitat Gal. dicit enim quòd in omnibus morbis acutis fit febris, præterquam in morbo attonito, ut in apoplexia. Sed quare in apoplexia non fiat febris non aliter dicit. & nos hoc declaramus, & dicimus quòd ubi morbus est à materia calida, tunc necessum est ut efficiatur febris, quia adest calor, qui potest accendere febrem, imò necessario accendit, & facit motum uehementem, & uelocem, nec potest facere huiusmodi motum nisi faciat febrem. ergo ubi acutus est morbus ratione materiæ necessario fit febris, sed ubi est ratione loci non fit febris necessario, quia humor ille ut in apoplexia, non est aptus ad faciendum inflammationem, & febrem licet sit uehementissimi, & uelocissimi motus: materia enim illa non est apta ad inflammandum cum frigida sit, sed quando utrunque admiscetur, s. materia calida, & locus nobilis, tunc non tantum fiunt febres, sed febres exitia-

les, & mortales. & ita Gal. reddit tantum auditores ambiguos, nos autem declaramus omnia, & rationem cur ita sit reddimus. dicit igitur Hipp. *quòd in acutis morbis non potest determinari certo de salute, & morte ægrotantis: hæc est sententia Aphorismi sine ratione prolata. unum est aduertendum scilicet de modo loquendi* Hipp. *uult enim* Gal. *quòd semper fere in acutis poßimus præuidere salutem, & mortem ex* Hippocrate, *quoniam si absolute pronunciasset, uerum esset quòd possemus semper pronũciare salutem, uel mortem, sed dicit* Hippoc. NON OMNINO, *illud* NON OMNINO *ostendit quòd non sit semper uerum, sed tantum pro maiori parte stat, ac si diceremus, non omnes homines mali sunt, quia maior pars boni, & ideo fallit quandoque, sed in chronicis hæc sunt uera semper ita quòd uult* Gal. *ex signis ipsis posse nos pronunciare de salute, & morte, & non tantum de die, sed etiam de hora, ita quòd dicamus in tali hora morietur.* Sed *ratio aphorismi cur in acutis fallat, non autem in chronicis est, eò quia in acutis motus est præceps et facilis inclinatio in utranque partem, præcipue in materia calida. & nemo potest uidere terminum suum, nam quandoque credimus terminare morbum per exitum, & cadet uirtus, quia materia figetur in aliquo membro nobili, unde morietur. quandoque etiam* Apparebunt *signa concoctionis, & in expulsione cadet uirtus, quandoque apparebit uirtus ita debilis, ut credas in exitu materiæ ægrum mo-*

ri, cum tamen in exitu insurgit ita ualida, ut expellat materiam cum maxima felicitate ægri. nullus igitur est qui sciat terminum determinatum, & gradum materiæ peccantis, præter Aesculapium, & cũ non poßimus gradus cognoscere, quomodo uis iudicare pugnam inter duo quorum uires sunt ignotæ? hoc est impoßibile.

APHORISMVS XX.

QVIBVS iuuenibus adhuc humecta est aluus, his senescentibus exsiccatur.

CONTINVATVR iste aphorismus optime cum præcedentibus hunc in modum. in decimo octauo Aphorismo dicebat Hippocr. eorum, quæ uniuersim & uelociter nutriunt, ueloces quoque fiunt excretiones, uidistis quemadmodum textus græcus habet, diachorisis, loco illius nominis excretiones quod quidem nomen diachorisis est commune, ad quascunque excretiones, cum dixerit in Aphorismo quòd ubicunque cibi, confertim & cito nutriunt, etiam confertim, & cito subducuntur per uenas, uolens nos admonere quemadmodum regula potest fallere inquit, potest merito cibi uera esse ratio, & dummodo corpora illi non aduersentur, quia si corpora aduersantur merito cibi, poterit esse uera, ratione tamen corporis non uerificabitur, nam semper uerum est, quòd cibi qui cito &

consertim nutriunt, etiam cito distribuunt, dummodo corpora non aduersentur, exempli gratia, ubi sicca aluus fuerit. propterea in hoc Aphorismo admonet nos ne semper debeamus cibos aduertere, sed etiã corpora, nunquid aluus eorum sicca sit, uel humida, quædam enim corpora sunt quæ unica tantum uice in septimana egerunt. quia sunt sicca, & ita Hippo. limitat Aphorismum illm decimum octauum, quod debemus considerare corpora an sint citißimæ, uel tardißimæ egestionis, dicit igitur quibus iuuenibus aluus humida est, his senescentibus exiccatur. uidetur hoc esse uerum perpetuo, & notetis quod Hippocrates, non intelligit quantum ad temperaturam, sed quantum ad actum excernendi. sunt enim plurimi qui bis, & ter in die egerunt, quidam tantum semel in septimana, sed humida aluus dicitur quando quis bis, uel semel saltem egerit, sicca uero aluus dicetur illa, quæ parum excernit, (iuuenes,) debetis intelligere non de qualibet iuuentute, quia pueri non sunt sub hac regula, nec senes, qui sunt sub ultimo senio constituti, quia in his aluus ita humida, est ut egerant sicut comedunt, uel ita sicca, ut nunquam egerant, in istis non reperiuntur, nisi extrema, pueris uero semper aluus humida est, iuuenes ergo intelligit, Hippocrates qui sunt adulti, & senes illos, qui sunt in primo senio, uel saltem in principio secundi senij, sensus igitur talis erit, quibus iuuenibus aluus humida est senescentibus exiccatur, quia multum egerunt, contrarium uero ubi iuuenes

parum egerunt, in senecta melius egerunt & aluus humectatur, dicam ego primum quid sentio, si quis peteret à me, quis sit sensus Aphorismi, responderem quòd sensus est, ut in pluribus contingit, & quòd nõ pronunciauit Hippocrates Aphorismum sicuti dicit Galenus, nam aliqui aluum habent humidam propter duas causas, quia plurimum comedunt, & habent hepar calidum, in quo plurima bilis generatur, utilitas autem bilis est, ut deueniat ad intestina per porum felleum, & adiuuet intestina ad excretionem, & hoc contingit in iuuene, propter has causas habent etiam unum aliud, quod habent uirtutes ualidas, & uias latas, nam ubi adest caliditas, ibi ualida actio, & promptitudo ualida, ubi frigiditas ibi impedimentum actionis, cum hæc sint in iuuenibus ideo habent aluum humidam. Aluum uero siccam habent quoniam sunt calidioris hepatis, quam oportet, & ueutriculi. & omnes actiones ualidissimas habent ita calidum hepar est ut exiccentur fæces, ita ut maior sit uis exiccandi, quàm extergendi ipsius bilis, habent etiam uentriculum calidum, qui & ipse exiccat. præterea sunt plurimorum motuum, eo quia sunt calidissimi, & ita omnia exiccant in utroque senectus occurrit his uitijs, nam iuuenibus, qui aluum humidam habent contrarium senescentibus euenit, tunc enim parum comedunt, parum de bile generant, eo quia ubi abundabat bilis prius, nunc abundat pituita, in iuuentute habebant calorem, nunc refrigerantur, & ita omnia con-

traria in senectute, qui uero habent aluum siccam in iuuentute propter feruorem hepatis siccantis, & propter uentriculum, & nimios motus, tunc tempore paragmasticæ ætatis efficiuntur frigidi, uel non amplius fit exiccatio, quare aluus humectatur, præterea nõ sunt illi motus, imò fiunt melancholici, præterea uentriculus non est ita calidus, ut poßit & ipse exiccare, est igitur uerum quod iuuenes huiusmodi in quibus talia contingunt in illis regula uerificatur, sed hoc contingit ut in pluribus, ideo quoque in pluribus uerificatur, si ego interpretarer aphorismum istum, redderem talem rationem, qualem audiuistis, ex commento enim Gal. uix potestis aliquid adiscere, ut mirer ipsum. nox explicabimus suam methodum, quam uoluit dicere, licet non dixerit, ad hoc ut sciamus ueritatem aphorismi secundum igitur Gal. expositionem primo est reddenda causa humiditatis, & siccitatis alui, à natura rei incipiendo, oportet enim ut omnes has casas uideamus, & ita habebitis sexaginta fluxiones alui, quæ sunt difficillimæ cognitu quia confusissimæ sunt, dicebat enim medicus ille. Montagnana senex, si quis uult cognoscere medicum aliquem, cognoscet in curatione fluxionum alui aduertatis quod quicunque habent aluos humidas, uel siccas habent à causis suis, incipiamus dicere causas humiditatis alui hoc est fluoris alui, causa igitur fluoris alui, uel est ratione uirtutum, uel ratione instrumentorum, uel ratione materiæ peccantis, et exeuntis, fiunt enim alui fluores plurimi & pauci, uel
propter

propter uirtutes alteratas, uel propter instrumenta uel propter materiam alteratam, incipiamus igitur à uirtutibus ipsis, & accipiamus illas in proprio instrumento, ut in uentriculo, uel enim considerantur in membris proximis, a quibus fit excretio, uel in circunstantibus, & agnatis, si fuerit merito alterationis uirtutum existentium in uentriculo, in proprio membro, tunc erit uitium in aliqua harum quatuor uirtutum, aut repulsiua, aut attractiua, aut contentiua, aut concoctiua, contentiua enim & expulsiua sunt illæ, quibus debentur actus fluxionis, efficiunt enim nimium, uel paucum fluorem, duæ uero aliæ concoctiua, scilicet & attractiua sunt adiuuantes, & agunt per accidens, sed loquamur de primis per se agentibus, istæ duæ, uel æqualiter augentur, uel æqualiter debilitantur, uel altera fortificatur, altera uero debilitatur, ubi enim contentiua uirtus ualidior est, & plus continet quàm oportet, id est diuturniori tempore, & uirtus expulsiua debilis est, ita quòd plus poßit contentiua in continendo, quam expulsiua in expellendo tunc sequitur siccitas alui, continet enim uentriculus & intestina plus quàm oportet, & expulsiua non expellit, ergo aluus sicca redditur, si uero fiat contrarium, ita quod expulsiua superet contentiuam, fungente tamen cõtentiua suo officio, sequitur humiditas alui, eò quia plus potest expulsiua in expellẽdo, quam contentiua in continendo: quòd si contentiua debilitetur, stante expulsiua forti, tunc fit species fluoris alui, quæ dicitur fluxio

chylosa præuenit enim expulsiua uirtus, antequam conficiatur chylus perfectus, tamen semper aliquid chyli apparebit, & quoniam fluor iste à multis potest prouenire causis, ubi fiet à causa ista, habebit hanc differentiam, quod habebit fæces compactas, propter uirtutis contentiuæ fortitudinem, habebit enim aliquid chylosi cum fæcibus admistum, si uero contentiua & expulsiua æqualiter ualidæ sint, nullus fluor alui sequetur, quia est proportio æqualis, & utraq; naturalis suum officium facit, sed si uirtus contentiua non faciat officium suum, & expulsiua ualidior sit, tunc sequitur fluor qui dicitur lientericus, eò quia simul atque sumptus est cibus statim egeritur, nec fit chylus ex, eo, quia non conficitur, sed redditur egestio sicuti assumitur, & ista sunt quæ faciũt differẽtiam inter has fluxiones, nam ubi apparuerit excremẽtum chylosum tunc significat cõtẽtiuam uirtutẽ facere officium suũ, licet diminute: quia diminuta est, & expultricem fortissimam, ubi autem excrementa siue cibus egeritur sicuti assumptus est, indicat uirtutem expultricem esse fortẽ, sed contentiuam ablatam, si uero contentiua fuerit fortis, expulsiua uero debilis, tunc sequetur flatus, & rugitus alui, & tumores sed pauca egestio, quòd si contẽtiua & expulsiua pariter debilitatæ sint sequẽtur anxietates stomaticæ, cum neq; contẽtiua contineat, neq; expulsiua expellat, præsentia.n.materiæ suffocat calorẽ, & deprauati humores generantur, unde sequuntur angustiæ, tum uentriculi, tum cordis, tum

cerebri, & hæc ſunt quæ poſſunt conſiderari ratione uirtutum immediate agentium per ſe, ſi uero fuerit uitium in uirtutibus, quæ non immediate agunt ſed mediate, uel appetitiua erit fortior, quàm contentiua, id eſt erit uitium in appetitiua, quia plus cibi ingeritur, quàm oportet, tunc fit fluor alui ex multitudine, & dicitur fluxio ſtercoroſa, quia non adeſt ibi chylus, & iſte fluxus ſtercoroſus naſcitur propter multitudinẽ ciborum, & differt à fluore alui chyloſo: primo quia in illo fit excretio cum fæcibus concoctis, in hoc autem nõ erit excretio cum fæcibus concoctis, bene erit fluor chyloſus. ſed excrementa non erunt concocta, & hæc multitudo non poteſt cõtineri, nec confici à uirtute concoctiua, præterea etiam quod concoqueretur, quia tamen hepar non poteſt tantam quantitatem attrahere, ideo ſequitur fluor alui, ꝙ ſi fuerit uitiũ in cõcoctione tũc ſequetur fluor alui qui erit admiſtus cum chylo, & excrementa erunt inconcocta, et hac ratione differt à fluore alui chyloſo, primo quia in primo fit excretio cum fæcibus cõcoctis, in hoc autem non fit excretio cum fecibus concoctis, bene erit fluor chyloſus, ſed feces non erunt concoctæ, & iſtæ ſunt uirtutes in mẽbro ipſo, non autem extra membrum, quantum uero ad illas quæ ſuut extra membrum, uel enim erit uitium in uenis meſaraicis, quæ poſſunt inflammari uel obſtrui, ſi ſit inflammatio in illis, tũc fit fluxus hepaticus, qui non improprie hepaticus, ſed potius ſtercoroſus eſt, excernitur.n. fex cum maximo fæto

re,maxime si est inflammatio in misenterio,& uiæ sint obstructæ,tunc cibi corrumpuntur,uel erit uitio hepatis, quia calidius sit quàm oportet, unde etiam attrahit plus quam oportet,& quod attrahitur comburitur & tunc fit aluus sicca,uel erit frigidum hepar & tunc non concoquitur sicut oportet, nec attrahit sicut oportet, unde propter defectum concoctionis sequitur fluor hepaticus uel erit uitio lienis,quoniam non attrahit fæcem melancholicam, uel ratione obstructionis,uel quia attrahit plusquam oportet,quia inflammatum,& tunc sequitur disenteria perniciosa, materiæ melancholicæ adurentis si sit refrigeratum,sequitur fluxus nigrorum sine disenteria, aut febri, quantum in ipsis est, uel uitio cerebri,& tunc fiet fluxus catarralis,quandoque cõtingit,ut in ambitu totius corporis fiat calor præter naturam, ubi humores adurantur propter uirtutem labefactatam à calore illo præter naturam,& tunc fiunt fluxus colliquatiui,si sine putredine fuerit,fiet diarræa:quando etiam fit refrigeratio totius ambitus corporis,& ex refrigeratione fit fluxus serosus aquosus,ut in extreme tabefactis contingit, & perniciosa hydrope, sed posset dicere quis ista diuisio me confundit,non deterreamini, quia illud quod dico de uirtutibus, dicam de instrumentis, eò quia instrumenta agunt propter uirtutes ipsas, & materia generatur secundum diuersitatem uirtutum agendi ratione instrumentorum, debetis scire, quòd in uenticulo reperiuntur fibræ longæ, ra-

tione quarum fit attractio, & fibræ obliquæ, ratione quarum fit retentio, & rotundæ ratione quarum fit expulsio, ubi igitur hoc instrumentum in uarijs istis partibus fuerit alteratum, uariæ etiam fient actiones, exempli gratia incipiamus à uirtute expulsiua, & contentiua, si enim fibræ transuersales, quæ expellunt, & obliquæ, quæ continent sint uitiatæ, ita quòd ista duo genera fibrarũ erũt æqualiter sicca, uel æqualiter humida, uel alterum siccum & alterum humidum, si fuerint æqualiter humida, tunc sequetur maximus fluor alui, eò quia primo debiliter continent, & fortiter expellunt siue sit corpus iuuenile, siue senile, nam ex quo sunt humidæ fibræ, (scitis enim quòd fortitudo fortificatur à sicco contentiua debilis est, fortificatur enim à sicco, & est humida, ergo nõ cõtinet, expulsiua quia adiuuatur ab humido & uilli sunt humidi, ergo cum uilli humidi sint, necessario fortiter expellit, et ita ut redditur aluus fluuida, si uero fuerint æqualiter sicci, ita quod transuersales sint sicci, & obliqui, tunc sequitur oppositum alui siccitas: quia cõtentiua uirtus ualida est, & expulsiua debilis, ergo maxima astrictio aderit, quia contentiua adiuuatur à sicco, & cũ uilli cõtinentes sint sicci, ideo fit siccitas alui præterea expulsiua adiuuatur ab humido, et cum uilli sint sicci redditur debilis, unde non potest expellere. si modo contigerit frigiditas uentriculi nõ continentis, multiplicabitur excrementũ crudum: & relaxabũtur uiæ, ad quam relaxationem sequitur fluor

quòd si fuerit caliditas moderata adiuuabit cõcoctionem, si excedens continget exiccatio, & ita habetis omnes causas fluoris, & siccitatis alui.

In superiori lectione satis superq; distinximus partem diuisionis de quacunque causa fluoris, & exiccationis alui, & ut rectè perfecteq; etiam habere possitis, attuli uobis tabulam in qua fortasse illud erit quod in commento à Galeno promittitur: scilicet, se quandoque huius rei methodum traditurum, nec credo aliter potuisse explicari, quàm ego explicaui, cum semper à natura rei incipiat quemadmodum, & nos fecimus. his uisis accedamus ad Galenum, heri declarauimus Aphorismum nihilominus Galenus, ita alte rem exorsus est, ut maximam fecerit difficultatem, & cum duplex sit difficultas una ex parte explicantis, altera ex parte rei, uidetur quòd hic sit difficultas magis ex parte explicantis, quàm ex parte rei. dicit Galenus QVOD QVIDEM HOC EX MAGNA PARTE FIAT, hoc commentum uidetur mihi quòd sit propter uestram utilitatem declarandum, antequam Galenus aliud pro declaratione Aphorismi dicat, ostendit non esse simpliciter uerum sed magna ex parte uerum, scilicet quod iuuenes qui habent humidam aluum ante senectutem, quòd in senectute exiccatur, & habent siccam in iuuentute senescentibus humectatur, & ideo Galenus dicit hoc non esse semper uerum, sed magna ex parte uerum, quia iuuenes absque immutatione ætatum

immutantur, quod probat in Aphoriſmo 53. ſecundæ huius particulæ, qui dicit QVORVM ALVVS HVMIDA EST, SI QVIDEM IVVENES FVERINT, MELIVS EVADVNT HIS, QVI SICCAS HABENT, NAM SENESCENTIBVS MAGNA EX PARTE EXICCANTVR: uult dicere, qui humidas habent aluos melius transmutantur in oppoſitum, quia ubi aluus illis exiccatur, proficient in melius, qui cum in ſenectute id faciunt labũtur inde huius ratio eſt, eò quia ſicut heri diximus, quòd iuuenes habent aluos humidas, hoc eſt propter duo, uel enim habent aluum humidam propter maximam comeſtionem, quia hepar non attrahit quantum comeditur, uel eſt quoniã maxima portio bilis tranſit ad inteſtina ab hepate, & ipſa ſtimulat, unde coguntur egerere propter igitur nimiã appetentiã fit aluus humida, & dicitur fames canina, uel propter exuſtionẽ plurimæ quantitatis huius bilis, ab hepate ad inteſtina: & tũc bonũ eſt, ut immutetur, ſed ubi ſenes exſiccantur, ita ut amplius nõ appetãt, & bilis nõ trãſeat ab hepate ad inteſtina tũc malũ, eò quia eſt ſignificatũ, quod adeſt frigiditas, intenſa tendens ad mortẽ, & ita iuuenes qui habẽt aluos humidas propter cauſam dictã, ſi mutãtur in ſiccã, trãſeunt in melius, ſenes uero non oportet, ut exſiccentur, quoniam ferè eſt illis naturalis exſiccatio, propter defectum caloris naturalis. iſte aphoriſmus non eſt prolatus ab Hippocrate ſecundum hanc

ſententiam, ſed Galenus applicat huic rei, & dicit quòd non eſt uerus ſimpliciter aphoriſmus, ſed magna tantum ex parte, & iſta eſt ſententia primæ partis aphoriſmi, ſequitur Gale. & dat modum intelligendi aphoriſmum, & dicit, quando Hippocr. dicit aluos humidas, & ſiccas, non intelligit propter extrinſecus adueniens tales, ſed hoc intelligit ratione propriæ temperaturæ, et inquit quòd ſi quis uſus fuerit uictu Alexandrinorum, habebit aluum humidam: non quidem ratione ſuæ temperaturæ, ſed ratione uictus Alexandrinorum: quoniam ille uictus facit aluos humidas, laborant enim maxime Alexandrini cãcro, quoniam ueſcuntur ſalſamẽtis, carne bubula, & carne aſinorum: unde propter peßimam uictus rationem, hepar non attrahit huiuſmodi alimentum, & cum non attrahat, remanet in uentriculo, unde neceſſario ſequitur aluus humida, præterea ſalſamenta mordicant, & exſiccant uirtutem expulſiuam, propterea redditur aluus humida, & ideo uictus Alexandrinorum facit aluos humidas, & hoc dicit Gal. in ſecundo ad Glauconem, cap. de cancro, ſi modo per contrarium quis nutriatur cibis exſiccantibus, ut meſpilis, uel huiuſmodi, hic non eſſet talis propter temperaturam, ſed ratione cibariorum, & ideo Gal. docet quomodo Aph. debet intelligi, & quomodo aluus debeat eſſe aluus humida, & ſicca; ſed notetis de zito, ſunt enim potiones, quibus utuntur germani circa arcticum polum. & eſt pctus quidã, qui fit ex hordeo dimittunt enim hordeum tabeſcere in

aqua, deinde exprimunt, & illo uescuntur. nam ubi materia subtilis incipit putrescere, & non procedit ulterius, materia subtilis resoluens acceßit, & ille potus extinguebat sitim, & erat gratus, ex quocunque grano potest fieri. ceruisia à ceria dicitur, ille enim potus maxime nocebat neruis, replebat caput, & inebriebat. Zitus igitur infamatur à Galeno, tanquam quòd faciat Aluum *humidam* LENS *habet duas partes contrarias substantiam scilicet & decoctum, decoctum enim prouocat uentrem, substantia uero sistit ipsum, sicuti braßica, coriandrum,* Rha*barbarum, & absinthium habent enim partes cõtrarias, astringentes, & aperientes. ubi igitur ex comestione tali fieret aluus humida, uel sicca, non esset ratione temperaturæ, sed ciborum. inquit igitur* Gale*. quòd ubi omnia remouentur impedimenta & uariant egestiones secũdum uariationes ætatum, quod hoc est in causa corporum dispositio, & ubi uariant deiectiones secundum uarietatem dispositionum corporum fiunt secundum uariationem ætatum si modo deberem tradere causam uariationis dispositionum, oporteret me facere libros: sed hoc fortasse alias à nobis fiet, & dicit* Galen. *quòd declarabit hæc per capita in lib. de causis naturalibus, in secundo, & tertio affert demonstrationes quæ ferri possunt ad probandum expulsiuam uirtutem, retentiuam, contentiuam, & concoctiuam, & hoc dicit supponi debere. in primo lib. de causis symp. reddit causam cur contentiua non bene continet, & retentiua*

non bene retinet, & sic de reliquis. in tribus libr. de caussis symp. tractatur materia hæc, & omnia reducuntur ad hoc, ut sciatis actiones uirtutum, & cum quibus instrumentis fiat. & incipit Gal. methodum suam ex qua proposuit scire causas dispositionum, quibus redditur aluus humida, uel sicca, & promisit hoc per capita traditurum. ideo proponit cap. illa. & hæc sunt: humidæ alui, & siccæ alui, fiunt propter alterum duorum, humida aluus uel quia excretio fiat citior quàm oportet uel quia plus cibi assumitur. sicca uero aluus fit, uel quoniam nimis parum appetimus, uel quoniam adest aliqua causa tardans egestionem. incipiamus à materia, nimium enim alimentum sumitur propter nimiam appetentiam, ecce quomodo utitur uia resolutiua: resoluit enim partem primam sic, nimium alimentum sumitur propter nimiam appetentiam, nimia appetentia propter nimiam frigiditatem uentriculi, ubi enim plus de frigiditate debemus in ore uentriculi quàm oportet, tunc plus cibi assumimus, causa enim immediata quæ facit nos appetere plus quàm oportet, est frigiditas uentriculi, & non est fames naturalis, & ita est facta resolutio usque ad ultimum. aluus facta est humida propter nimium alimentum, nimium alimentum propter maximam appetentiam, maxima appetentia propter frigiditatem uentriculi. secundum membrum diuisionis erat cita excretio. audiatis modo quomodo fiat cita excretio. cita excretio fit, uel propter bilem quæ tendit ab he-

pate ad inteſtina, uel prppter debilitatem retẽtiuæ, & fortitudinem expulſiuæ, cita excretio quæ fit propter bilem accedentem ab hepate ad inteſtina, eſt ratione caliditatis hepatis, eo quia plus generat bilis quam oportet. Alia cauſa eſt humiditas exiſtens in uentrtculo, relaxans uirtutem contentiuam: ſed dicet quis ſtatim, quomodo hæc ratio ſe habet cum dicas quòd humiditas corroborat expulſiuam, & tamen dicit Gal. quòd corroboratur à ſicco? ſunt enim cauſæ oppoſitæ: ideo facimus etiam reſolutionem oppoſitam hoc modo, dicit quòd ſiccitas prouenit à cauſis oppoſitis, uel propter defectum alimenti erit, uel propter tardam excretionem, defectus alimenti fit propter paucam appetentiam, pauca appetentia propter caliditatem uentriculi, facta enim caliditate uentriculi minus appetimus quàm oportet, & ita paucitatem appetitus ſequitur tarda excretio, eò quia bilis non tranſmittitur ab hepate ad inteſtina, uel quia debilis eſt expulſiua, & fortis contentiua, cauſa paucitatis bilis eſt frigiditas hepatis, cauſa fortitudinis contentiuæ eſt ſiccitas adueniens, cauſa debilitatis expulſiuæ eſt humiditas adueniens: facta iſta reſolutione audiatis Galenum de cauſis humiditatis & ſiccitatis alui, inquit quòd ubi iuuenes habebunt aluum humidam propter cauſas dictas, quòd ſeneſcentibus ſiccatur: quoniam plus appetunt, in ſene enim fit frigiditas uentriculi, fit etiam adhuc frigidior, adeo ut obtundatur omnino ſenſus, & non appetant. frigiditas enim moderata facit opti-

mum ingenium, ſed ubi frigiditas inualeſcit, tunc fiunt ſtupidi deſinunt comedere, unde redditur aluus ſicca, ad ſecundam partem ubi humida eſt aluus propter nimiam bilem excretam ab hepate ad inteſtina, tunc quando fiunt ſenes deſinit talis cauſa, eò quia in iuuene propter hepatis caliditatem generatur plurima bilis, ſuccedente uero ætate ſenili frigeſcit hepar, nec generatur bilis, & tunc deſinit cauſa, & ita efficitur ſicca aluus, quòd ſi humida aluus contigerit in iuuenibus propter debilitatem contentiuæ, non erit uerum quòd omnibus ſeneſcentibus aluus ſiccetur, niſi ratione caliditatis & ſiccitatis, adiuuante debiliori cōtētrice nam ſi frigiditas adiuncta fuerit nō fiet aluus ſicca in ſene, eo quia cum in iuuene adſit frigitas uentriculi, cum humiditate adiuncta imbecillitati retentiuæ, ſuccedente tempore ſenili nō fiet ſiccior, nā adhuc magis accedente tempore ſenili augetur frigiditas et humiditas, quæ non faciunt ſiccitatem ſed ubi caliditas cum humiditate iuncta fuerit, ſtante debilitate uirtutis continuæ, tunc ſuccedente tempore ſimili ſemper conſumetur humiditas illa, quia calor illam continue attenuabit, & digeret, & ita in omnibus fiunt habitus contrarij accedente ætate ſenili, ſi modo legatis Galenū ita nobis omnia facilia erunt ut nihil facilius inueniri poßit, ad quæſtionem modo reſpondendo. dicimus quòd expulſiua ab humido corroboratur, & ad Galeni dicta dicimus, quòd Gal. dicit προωστικὴ, et nō ἀποκριτικὴ, nā aliud eſt prooſtici, et apocriti

ci, nam uirtus proostici est uirtus propulsiua, uirtus autem expulsiua est quæ actu expellit, propulsiua uero dicitur uirtus quæ conducit de loco ad locũ, & ita bene deseruit attractiuæ quemadmodum, & expulsiuæ, ita quod in propulsione duo reperiuntur motus, & quies: fit enim uillis transuersalibus & ista est quæ à sicco corroboratur, expulsiua uero corroboratur ab humido.

Tabula de fluore. Alui.

Superiori lectione proposita fuit dubitatio, eo
quia uidebatur discrepantia maxima in dictis meis,
& dictis Galeni, dicebamus nos uirtutem & expul
siuam corroborari ab humiditate, Gal. autem dice-
bat à siccitate, quod quidem dictum non aduersatur
Galeni dicto, & ut dixi debetis aduertere ad hoc no
men expulsiua, nam in græco codice est ἀποκριτι-
κὴ aliud est προωστικὴ propellere enim multum dif
fert ab expellere. nam propellere commune est uirtu
ti attractiuæ, & expulsiuæ, & nihil est aliud pro-
pellere quàm adiuuare aliquid ad ulteriorem pro-
gressum, & ista a sicco corroboratur, quia qui pro-
pellit, comprimit, & compreßio dicitur propulsio
& in propulsione uirtus iuuatur à sicco eo quia si de
bet comprimere, ut habeat resistētiam, oportet: quia
quod propellit non debet esse molle, sed siccum, nam
molle cedit, si ergo intelligamus propulsiuam, erit
facile uidere quomodo corroboretur à sicco, nam uil
li illi qui faciunt actionem istam propellere, sunt ij
dem, qui adiuuant ad retinendum scilicet obliqui, nā
instrumentum optimum ad continendum est obli-
quum, & id quòd est aptum ad continendum, est etiā
aptum ad propellēdum, sed licet uideatur hoc facile
tamen adhuc sunt difficultates maiores, nam quomo
do poterimus euadere ab hac difficultate, dicendo
quòd ab eisdem uillis fit retentio, & propulsio, cum
dicat Gal. quòd retentiua debilitatur ab humido, &
propulsiua corroboratur à sicco, et debilitatur ab hu
mido, & inquit, quòd sæpe cōtingit, ut contentiua sit

debilis propter humiditatem, & expulsiua fortis propter siccitatem, si ab iisdem fit uilis contentiua & expulsiua, quomodo potest esse quòd retentiua sit debilis propter humiditatem, & expulsiua siue propulsiua sit fortis propter siccitatem? quomodo enim potest esse debilitas unius, & fortitudo alterius, cum ab eisdem ambo fiant uillis? nunquam enim potest esse si sit contentiua debilis, quin propulsiua, siue expulsiua sit & ipsa debilis. ista est maxima difficultas, stante quòd fiant ab eisdem uillis. pro diluenda hac difficultate oportet uidere id quod dicit Gal. dicit enim contentiuam reddi imbecillem propter humiditatem, expulsiuam coroborari à sicco, dico quòd aliud est dicere uirtutem, & aliud est dicere instrumentum, ideo in nostra tabula distinximus instrumentum ab ipsis uirtutibus, stat enim quòd uirtus quandoque ualida sit ad aliquid faciendum, instrumẽtum autem sit debilitatum, & è contrario instrumẽtum forte, & uirtus sit debilis. quandoque igitur dicimus uirtutem expulsiuam à sicco corroborari, certum enim est quòd ubi maior motus requiritur, maior quoque caliditas requiritur sed in expulsiua maiori opus est motu, ergo & maiori caliditate ergo non oportet ut caliditas obtundatur ab humido, ideo Gal. in lib. quod animi mores sequantur temp. corp. dicebat quòd ubicunque siccitas est in aliquo corpore ibi actio etiam multa est, nam siccitas maxime facit ad actiones, & motiones faciendas: dico igitur quòd uirtus expulsiua requirit temperatu

ram membri. in qua sit primo caliditas maior quàm siccitas, nam siccitas deberet esse temperata, ita ut caliditas adiuuetur à siccitate, & non obtundatur ab humiditate: sed quoniam uirtus expulsiua indiget uillis transuersalibus, qui uilli oportet ut habeant temperatam humiditatem, ad hoc ut poßint contrahi, & dilatari: nam siccitas contraria est atractioni, & dilatationi, cò quia non est obediens. sed oportet quòd sint partes bene compactæ cum humiditate, et ita indiget instrumentum humiditate pro sui corroboratione, uirtus autem indiget siccitate, & à siccò corroboratur non enim requirit humiditatem obtūdentem, quando igitur dicit quòd corroboratur à sicco intelligit de sicco quod oppositum est humiditati redundanti, & hoc est quod dicebat Aui. quòd uirtus expulsiua, ut est uirtus unita instrumento ab humiditate temperata, ut est separata ab instrumento corroboratur à sicco, nam instrumentum requirit humidum non redundans, sed tale ut dicatur illud instrumentum humidum à prædominio, nam non potest fieri motus expulsionis cum uillis, neque dilatatio, neque constrictio nisi humidum superet siccum non sit tamen redundans, sed tale sit, ut plus de humido sit, quàm de sicco, & dicebat Galen. quòd nulla actio est uelocior, quàm actio expulsiuæ, & hoc ratione humiditatis & dicit Gal. quomodo excrementa quæ sunt ad cutim in instanti deferuntur ad intestina in diarræa ipsa. Inquit ne miremini, quia nullus motus est uelocior ipso expulsiuo. quia fit à

uillis

uillis transuersalibus propter humiditatem, quæ maxime obedit uirtuti expulsiuæ.

APHORISMVS XXI.

FAMEM Thorexis, id est uini potio soluit.

QVoniam superius Hip. locutus fuerat de euacuatione, & de fame consequenter nunc loquitur, & probat quomodo debeamus succurrere illi fami præter naturam, & primo quantum ad ipsas uoces Hippo. non intelligit de fame naturali, sed de fame præter naturam, quæ est ægritudo, uel accidens præter naturam, quod indiget remotione: si enim rectè memoria tenetis, dicebamus duplicem esse famem, quandam esse quæ fit per euacuationem uĕtriculi, nam ex tali euacuatione fit corrugatio, ex qua nascitur appetitus, & ubicunq; talis fames non excedit quantitatem, dicitur naturalis, sed ubi plurimum perseuerat, & excedit quantitatem tantum, tunc dicitur præter naturam. est alia fames quæ ex toto genere præter naturam & est quotiescunque aliqua frigiditas occupat os uentriculi, ex taliq; frigiditate corrugatur uentriculus, & facit eundem effectum, quem solet facere fames naturalis, sed ubi nõ est ista necessitas, et euacuatio, & uentriculus corrugat quoniam frigiditas existens in ore uentriculi facit præter necessitatem talem contractionem, & appetitum talis in quã

fames eſt ex toto genere præter naturam. Cum *igitur duplex ſit fames præter naturam, una quæ peccat quantitate, quando propter plurimam uacuitatem excedit modum, dicitur præter naturam non quidem ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum quantitatem tantum alia eſt abuſiua, quæ fit ratione frigiditatis, non ratione euacuationis, eò quia etiam ſtante corpore repleto poteſt contingere talis fames, & talis fames dicitur ex toto genere præter naturam. eſt modo & alia fames ſecundum naturam, quæ fit in omnibus membris, præter quàm in uentriculo, hoc modo* Contingit *enim ut membra indigeant alimento, tamen uentriculus propter ſuam maximam frigiditatem non corrugatur, nec excitatur, & cætera membra quærunt alimentum & eſt fames in omnibus membris, diciturq; fames ulimia, quoniam cætera membra exſiccantur, deſtruunturq;. quia non habent alimentum, & uentriculus ratione maxime frigiditatis obtuſum habet ſenſum: unde nec corrugatur, nec excitatur ad alimentum, ſed dicat quis quã famem hic intelligit* Hippocrates? *hic ſane intelligit famem caninã, ſecundo modo ſumptam quæ fit à frigiditate uentriculi ſiue cum materia, ſiue ſine materia. dicit ergo* Hip. THOREXIS, θόρειν *apud græcos ſignificat furere, & cum impetu aliquid facere, & eſt ſimilis illi humiditati, quæ fit ex maxima appetentia in illo furore, quæ emittitur ante coitum, unde eſt fabula illà de* Centauro *illo, &* Deia*nira, quæ accepit humiditatem centauri miſtam*

cum sanguine, & dedit Herculi bibere, unde Hercules postea incidit in furorē. nam Hercules uulnerauit Centaurum cum esset amplexus Deianiram, & antequam potiretur illa emisit humiditatem illam, unde Deianira accepit illam cum sanguine mistam, & dedit Herculi bibere unde fuit furibundus. THOREXIM igitur intelligit uinum abundās, quod facit furiositatem, nam non quælibet uini potio est Thorexis, sed potio uini abundans, & ita intelligatis merum uinum, quod potest facere hilaritatem, & impetum: si intelligatis famem primo modo, exhiberetisq; uinum merum statim præfocaretis hominem. at dicat quis, nō ne dixisti quòd ad restaurationem, nihil est præstantius quam exhibere uinū ipsis qui exsiccantur, & nunc dicis quod facit incidere in spasmum, dico quod aliud est assumere uinū in modica quantitate, & postea sumere cibum, & aliud est haurire uinum in maxima quantitate, quod peteret ad omnes partes, & faceret contractiones neruorum, ratio autem quare ita sit, quia fames canina fit propter frigiditatem oris uentriculi, si frigiditas, quando ibi est facit suum effectum effectus autem suus est contrahere, & corrugare, & ubi cō trahitur fit idem effectus, quem facit inanitio secundum naturam, quæ fames non est fames uera, sed falsa, & falso etiam corrugatur: quandoq; talis frigiditas est cum materia, quandoque sine materia, eò quia accidit aliqua frigiditas, siue qualitas frigida, uel humor frigidus, præsentia cuius os uentriculi

refrigeratur. ponatis modo quancunque uultis cau-
sam in uentriculo, siue pituitam, siue qualitatem so-
lam, semper erit uerum quod potio uini soluit famē,
si sit qualitas tantum, illa potio uini abundans calefa
ciet, & cum illa sola frigiditas sit causa sola famis,
per cōtrariū curabitur, quod etiam si adsit materia
frigida uini potio soluet, quoniam materiam illam
subtiliabit. discutiet, & faciet illam fluere per ue-
nas, & excitabit quandoque per uomitum, sicuti in
ebrietatibus maximis uidemus. & ita euacuatur uē
triculus, ideo dicebat ille, quòd semel in mense ine-
briari bonum erat, quia simul in mense uomere est
utile, quoniam euacuatur uentriculus ab humoribus
malis, & ita habetis rationem Aphorismi, audiatis
modo duo uerba de cura Galeni in particulari, quam
facit in com. dicit se curasse multos exhibitione uini
abundanti, non cuiuslibet uini, sed uini quod notabi
liter calefaciat neque enim uina acerba faciunt ta-
lem effectum neque uinum rubeum, calorem autem
rubeum uocat, quem lutheum uocamus, tendit ad ru-
beum, & croceum calorem, absque astringente sapo
re. OPORTET SIQVIDEM hic incipit
curatio, uult Gal. quòd quando uolumus curare istā
famem, debemus primo exhibere multa pinguia, sicu
ti confecta ex butyro, deinde statim propinare ui-
num. cur hoc faciat audiatis famē caninam nō quæ
libet pituita excitat, nam pituita dulcis, & insipida
non excitant famem caninam, imo faciunt nauseam,
quoniam nimia humiditas facit ad dilatationem,

non ad corrugationem, sed intelligit pituitam acidã, nam omnia acida excitant appetitum, quoniam corrugant os uentriculi, constringunt, sicuti acetum, quoniam acida contrariantur sapori pingui. differunt autem secundum omnem modum contrarietatis & quoniam contraria curantur contrarijs ideo quod corrugat, & constringit, debet tollere quæ relaxant, nihil autem est quod magis relaxet, quàm pingue, ideo non oportebat solum cum qualitatibus primis occurrere, sed etiam cum secundis nam omne pingue calidum, & humidum est. Sed quod facit corrugationem frigidum, & siccum est, quoad qualitates secundas corrugando, & constipando facit famem. oleaginosa uero dilatando, & relaxando curat, ideo Galen. non sólum exhibet uinum, sed etiam pinguia, quia relaxatur quod constipatum est, postea dat uinum quod quidem licet exsiccat, præuenit tamen suam siccitatem cum sapore pingui, qui humectat, sed quia indigebat maiori caliditate ideo exhibuit uinum potentißimum, & si exhibuisset uinũ tantum potens, nimis exsicasset uentriculum, quia non indigebat nisi calefactione, & humectatione cũ pinguibus, igitur humectat quantum, potest prius, deinde exhibet uinum, & ita curam perficit Galen. optime notandam.

APHORISMVS XXII.

QVICVNQVE *Morbi ex repletione fiunt curat inanitio.*

HIC Aphorismus continuatur cum præcedentibus, qui in uarijs etiam particulis uarie etiã continuantur. in prima enim particula Aphorismi continuatur per diexodoxim quandam, ita ut omnes unus Aphorismus uideatur. similiter & in alijs particulis præterquam in secunda particula, in qua semper subsequens Aphorismus à præcedenti capit occasionem, quemadmodum apparet hic in uigemo secundo Aphorismo, qui cum uigesimo primo continuatur hunc in modum, dicebat enim Hippocra. in uigesimo primo Aphorismo, famem Thorexis id est uini potio soluit. audiuistis quid per famem intellexerit, scilicet caninam famem, quæ fit propter humores frigidos existentes in ore uentriculi rarò enim fit huiusmodi fames à sola qualitate, cum igitur huiusmodi fames fiat propter materiam frigidam acidam existentem in ore uentriculi, curabatur à potu uini, tum quia cogit ad uomitum, etiam propter potentiam ipsius uini meri concoquentis, attenuantis, & expellentis materiam illam, & ita tandem illa fames soluitur euacuatione. cum igitur locutus fuisset ibi de euacuatione particulari, sicuti semper facit, proponit enim semper regulam particula-

rem, deinde uniuersalem, & ita pro quodam præcepto uniuersali infert hunc uigesimum secũdum Aphorismum, & inquit, quòd omnis morbus ex repletione curatur euacuatione, & tandem dicit, quòd omne contrarium curatur suo contrario, quemadmodum ait Gal. in Therap. & primum principium quo omnia probantur in Therap. tale est, quòd contraria curantur contrarijs; ne miremini igitur si potio uini famem soluit, quia contraria curantur cõtrarijs, imo non tantum potio uini famem soluit, sed uniuersaliter omnem repletionem curat euacuatio, & euacuationem repletio, & ita uniuersaliter contraria curantur contrarijs, & licet uobis uideatur esse facilis Aphorismus, habet tamen dubitationem pertinentem ad praxim. Gale. enim mouet dubitationes, quæ oriuntur ex mala diuisione quæ continetur in Apho. Inquit enim primo QVICVNQVE MORBI FIVNT EX REPLETIONE, Græcus enim codex habet νοσήματα non autem νόσοι, νόσημα enim est contra distinctum à morbo, & à causa, morbus enim est affectus præter naturam cõtra distinctus ipsi symptomati, & causæ, quæ præcedit: νόσημα igitur non bene uertitur morbus, sed potius dicitur ægrotamentum, quod quidem dicitur de quocunq; affectu præter naturã, quod infert corpori nocumẽtũ, quandò igitur dicimus ægrotamentum, siue νόσημα, intelligimus quancunque rem præter naturam existentem in corpore humano, et offendentẽ, in qua cõtinentur causæ, morbi, et sympto

mata, aduertite igitur illud quod dicit, MORBI, debet potius uerti AEGROTAMENTVM, uel intelligatis per morbum quãcunq; dispositionem præter naturam, non contra distinctam à causa morbo, symptomatibus. REPLETIO, scitis quòd duplex est repletio, quoad uasa, & quoad uirtutem: plenitudo enim quoad uirtutem est quotiescunq; uenæ intumescunt, non tamen ita ut cogantur propter multitudinem materiæ extendi, sed ratione malignitatis materiæ destruentis uirtutem ipsam. plenitudo uero quoad uasa dicitur, quando uenæ intumescunt ita, ut cogantur etiam extendi, existente etiam uirtute ualida, ut cum fit plenitudo ex multitudine sanguinis boni, sed ita uenæ extenduntur ut cogantur etiam ægrotare. FIVNT, nonnulli uertunt in præsenti nonnulli in præterito, id est facti sunt Gal. γέγνηται refert ad tempus præteritum tamen saluatur Hip. in utroq; tempore, tam præsenti, quàm præterito. CVRAT EVACVATIO, Hip. non dixit curat, sed dicit medicatur, nam magna est differentia inter medicari, & curare. medicari dicitur etiam quod non curatur. omnis enim curatio præsupponit medicinam. Sed non omnis medicina præsupponit curationem, nam curatio est remotio morbi, curare enim proprie dicitur, quando immediate morbus tollitur. medicari uero potius dicitur præparatio. præterea neq; curatio debetur omnibus rebus præter naturam, sed medicari tantum, debet igitur dicere medetur. EVACVATIO, duplex eua-

euatio in prima sui diuisione, una est, quæ fit remouendo materiam facturam repletionem cum absoluta inedia, præcipimus enim absolutam inediam, & est euacuatio per accidens, per aliud. Secunda uero dicitur euacuatio per præsentiam materiæ actu facientis repletionem, quæ multipliciter potest euacuari, per uomitum, per sudorem, per difflationem insensilẽ, per secessum, per caputpurgia, & ita per infinita remedia particularia: & hæc sufficiant pro declaratione nominum existentium in Aphorismo à quibus oriuntur quæstiones ex mala diuisione. his ita fundatis, oportet modo unum aliud uidere quando dicit Hipp. quicunque alij morbi oriuntur ex repletione, istud enim ORIVNTVR EX REPLETIONE discutiendum est: nam quandoq; contingit, ut repletio immediate faciat morbum, & quod dico de morbo idem de causa & symptomate dictum putetis. quædam uero tum morbi, tum causæ, tum symptomata, nõ immediate pendent à repletione: dicimus enim talia à repletione per se, & immediate ab ipsa causari hunc in modum, si fiat repletio in humano corpore, & ex illa fiat impactio materiæ in uasis ipsis, quæ materiæ dum commiscentur sanguini, sunt causæ alicuius morbi, & huiusmodi impactio est causa pendens immediate ab illa repletione, nam morbus qui immediate pendet à repletione, uel est in temperatura non transiens in aliud genus, & illa intemperies quæ fit, est per affluxum materiæ, nam duplex est intemperies una cum affluxu:

altera sine affluxu materiæ, quæ fit cum affluxu mutatur ad contrarium habitum, ut ad frigiditatem uel ad caliditatem, eo quia essentialiter facta est impreßio in membro, cum affluxu uero est quando presentia humoris adest in membro, unde fit talis impreßio, unde remota tali impreßione, remouetur statim morbus immediate faciens operationes læsas, et dicitur obstructio, morbus immediate factus ab astructione non transiens in aliud genus, & ubicunque remouetur repletio, statim sanatur: Alius est morbus, qui dicitur solutio continui, & est quando materia multa adest, ita quòd soluit continuum extendendo, & ita tertium genus ægritudinis potest facere repletio, quia immediate remota repletione remouetur & continui solutio, de accidentibus similiter; nam laßitudines ulcerosæ, & apostemosæ, & extensiuæ sunt accidentia quæ sunt immediate à repletione, & non transeunt in aliud genus, & ab ipsa immediate dependent, quia facta euacuatione immediate remouentur accidentia, sunt uero alij morbi, aliæ causæ, & alia symptomata, quæ transeunt in aliud genus, & non sunt mediante repletione, nam quandoq; facta repletione contingit putredo sed nõ immediate propter repletionem, sed propter prohibitam transpirationem, & quamuis ista putredo pendeat à repletione tamẽ transit in aliud genus, & non curatur per euacuationem, & est illud quod Gale. dicebat in undecimo Therape. & si liceat mittere sanguinem, caue tamen & serua ipsum tanquã

thesaurum, aliter cogeris ægrum nutrire in tempore, quo non debes nutrire, & est illud quod etiam dicebat Auic. cum flobotomare uolueris serua sanguinem tanquam thesaurum, putredo igitur est causa multorum morborum, exempli gratia, febris prouenit à repletione, sed nō per se, nam fit etiam post putredinem, nec fit ex repletione immediate, & per se. & ita morbus non tollitur per euacuationem, sed opus est ut etiam alia fiant. id est præterea etiam accidentia sunt, & symptomata, & multa alia, quæ nō curantur per euacuationē, sed oportet aliud facere; sunt igitur quædam causæ, quædam symptomata, quidam morbi, qui immediate remouentur ad remotionem repletionis, quædam uero quæ non remouentur immediate ad remotionem repletionis, quia non immediate ab ipsa dependent. cum dixerimus de repletione, restat modo dicere de inanitione, nam inanitio facit causam, & morbos, & symptomata per se, & primo, & per aliud, ubi enim sequitur inanitio in aliquo corpore, facit causas quas sequitur morbus, nam inanitionem sequitur refrigeratio, uel priuatiua, uel positiua, quando adest aliquid refrigerans priuatiue, ita cum fit remotio caliditatis, nam inanito spiritu, & sanguine, fit refrigeratio priuatiua, non positiua, refrigeratio uero positiua fit, cum aliquid adest actu refrigerās, id est aliquid frigidū, cū igitur ista refrigeratio habet rationem alicuius causæ, dicitur causa per se, & immediate dependens ab inanitione spirituū, & sanguinis, ideo sine aliquo me

dio si exhibeatis nutrimentum, calefacietis corpus, præterea morbi fiunt ab huiusmodi inanitione, qui remouentur immediate per repletionem, & sunt cũ uenæ inanitæ concidunt in se, & fit obstructio, & non transeunt in aliud genus, quia illa opilatio statim cum repletione remouetur, symptomata etiam ut singultus exinanitione, spasmus exinanitione, talis enim contractio quæ fit ex inanitione, non transit in aliud genus, nam ubicunque repletur neruus, & adhibetur humiditas, quia priuatus est humido nutrimentali, non radicali, addita repletione restauratur, & ita ipsa inanitio habet causas, morbos, & symptomata sunt modo etiam quædam quæ pendent ab inanitione, sed non immediate, uerbi causa cũ ex inflammatione spirituum sequitur febris ephemera & non est facta propter inanitionem, sed propter inflammationem spirituum, præterea accidentia ipsa similiter, nam quandoq; propter nimiam inanitionem incidit aliquis in syncopam, itaut inducta sit refrigeratio positiua, tunc facta repletione non tollitur syncopa, sed oportet aliud facere, quia non immediate dependet ab inanitione, ideo non immediate tollitur cum repletione quicunque igitur intellexerit has distinctiones occurret non solum dubitationibus recẽtiorum, quæ sunt ridiculæ, sed etiam dubitationibus Galeni quæ nõ sunt ridiculæ. quando igitur dicit QVICVNQVE MORBI FIVNT EX REPLETIONE, si intelligatis morbos, qui fiunt à repletione immediate, & per se, dico quòd ue.

rificatur dictũ Galeni. de morbis factis, & futuris, morbi enim fientes dicuntur quicunque remota causa efficiente in actu, remouetur & morbus fiens, facti uero morbi sunt illi, qui remota causa efficiente in actu, non remouentur illi, nam duplex est causa efficiens morbum exempli gratia cum fit apostema, & incipit calefieri locus, illa dicitur causa efficiens in efficientia, sed cum iam fluxit tota materia, & factum est apostema, iam causa efficiens effecit, & non est amplius in efficientia, sed effecit iam, & effectum apostema conseruat, et illamet causa quæ erat efficiens in efficientia, si perseuerat, habet tunc officium conseruandi, neque minor est uirtus materiæ efficientis in conseruando, quàm in efficiendo, sicut non mnor est uirtus quam quærere parta tueri, morbus factus habet causam efficientem, non quæ efficit actu, sed quæ effecit, & conseruat, siue modo sit morbus fiens, siue factus dummodo non transeat in aliud genus, ille remouetur immediate ex euacuatione, siue sit extensio facta, non amplius fiens, siue tota materia fluxit, & non amplius fluat, siue obstructio facta, & non amplius fiat, tunc facta euacuatione, statim remouetur, sed quando transit in aliud genus morbus, ut quando ex repletione fit putredo, tunc non curatur morbus sola euacuatione, et immediate, sed alio remedio indiget, fiat enim pleuritis, & inflammatio per affluxum materiæ, id quod fit, partim factum est, partim fit, id quod factum est, nõ remouetur euacuatiõe, dicet ille curabitur per se,

& ego dico quòd curabitur à natura regulante, non ex repletione, & ex se, sed a contrario facto à natura regulante.

Quoniam supra declaraui uigesimum secundum Aphorismum & dixi omnia quæ pertinebant ad eius declarationem, par modo est ut ad uigesimum tertium, & uigesimum quartum accedamus, rogati etiam à quibusdã scholaribus ideo prætermissis illis paucis, quæ deerant uigesimo secundo ad uigesimum tertium & uigesimum quartum iam à uobis desideratos accedo ACVTI MORBI IN QVATVORDECIM DIEBVS TERMINANTVR SIVE IVDICANTVR circa istos duos Aphorismos attendatis diligenter, quia maxima indigent attentione: cõtinuatur enim Aphorismus hic cum superioribus hunc in modum, dicebat Hip. in Aphorismo decimotertio quibus fit crisis, his nox præcedens grauior est, postea subiungebat mentionẽ faciens de morbis acutis, ubi more suo sumpta occasione à præcedentibus, plura dixit quæ pertinebant ad crisim ipsam, modo ne aliquid indistinctũ, & confusum dimittatur, inquit, ACVTI MORBI IN QVATVORDECIM DIEBVS TERMINANTVR, pauca sunt hæc uerba, sed misteria maxima, et arcana latẽt: sed prius uoces declaremus, deinde misteria. ACVTI MORBI alias dixi, qui sint morbi acuti, ideo duobus uerbis rẽ expediã morbi acuti dicũtur illi qui sunt uelocis, & præcipitis motus, dico uelocis, & præcipitis motus,

eo quia ad ueritatem copulatiuæ ambe partes necessario ueræ ſint oportet, motus. n. uelox dicitur qui pauco tempore multum ſpatium pertranſit, motus uero præceps ultra quod eſt uelox, habet etiam aliquid aliud qui confertim, & ſimul mouetur, & præcipitanter mouetur, quemadmodum dicunt homines præcipites, quòd non tantum ueloci motu mouentur ſed præcipitanter mouentur, quia omnia membra ſimul, & confertim mouent, & huiuſmodi motus cito terminatur, quia uelox eſt, & quia præceps eſt, habet periculum ne labatur, & præcipitetur, ideo tales morbi periculoſi ſunt: morbi uero ueloces, & non præcipites cito terminantur, ſed non ita periculoſi ſunt inde eſt quòd morbi acuti, ueloces, & præcipites terminantur cum ſubita mutatione, niſi à medicis impediantur, ſicuti fit temporibus noſtris propter præcipitium ſuum. IN QVATVORDECIM DIEBVS, eſtote attenti, quia non intelligitur ita, ut præfixus terminus mutationis ſit decimus quartus dies præciſe, ſed uult dicere, quòd intra quatuordecim dies terminantur, id eſt non ẽxcedũt decimum quartum diem, ſiue modo in quarta, ſiue in ſeptima ſiue in decima quarta terminetur, ſiue citius ſiue tardius, nam non excedunt decimum quartum diẽ: hoc modo intelligitur, illud enim, in, præpoſitio ſignificat intra quatuordecim dies, nec miremini ſi loquendo de criſi, meminimus etiam de diebus criticis quia nõ poſſumus loqui de uno, quin loquamur de reliquo, ſed debetis notare iſtud quod dicit quatuor

decim dies, propter quandam auctoritatem Hippo. quæ est in tertio prognosticorū, commento quarto, ubi habet hæc. MORBI QVICVNQVE ACVTI FIVNT CVM FEBRIBVS, IN QVADRAGINTA DIEBVS TERMINANTVR hæc est propositio uniuersalis, ergo cum hic dicat in quadraginta diebus terminantur, & in Aphorismo decimoquarto uidetur sibi cōtradicere. propterea antiqui interpretes ante Galenum aduertentes hac contradictionem, imaginati sunt quandam solutionem, dicebant enim antiqui illi super hoc loco, quamuis ascripta sit hæc opinio Oribasio, qui nunquam hoc somniauit, ut igitur concordent locum hunc cum loco in tertio prognosticorum, dicunt Hippocratem intellexisse de diebus criticis, modo dies critici in quadraginta sunt quatuordecim hanc expositionem deridet Galenus, dicens de quibus criticis intelligitis, deueris ne, an de intercedētibus? si de ueris diebus criticis intelligitis, sunt pauciores in quadraginta quā quatuordecim, primus. n. dies criticus est dies quarta: secundus, septima: tertius, undecima: quartus, decimaquarta: quintus, decima septima, sextus, uigesima, septimus, uigesima quarta, octauus, uigesima septima, nonus, trigesima, decimus, trigesima quarta, undecimus, trigesima septima: duodecimus, quadragesima, ecce quod sunt pauciores dies ueri critici, quam quatuordecim quia nō sunt nisi duodecim, si uero intelligitis de diebus intercidentibus, sunt plures quàm quatuordecim pri

mus

mus est, tertia, secundus, quarta, tertius, quinta, quartus, sexta, quintus, septima, sextus, nona septimus, decima, octauus, undecima, nonus, decima quarta decimus, decima septima, undecimus, uigesima duodecimus, uigesima prima, decimus tertius, uigesima quarta, decimus quartus, uigesima septima, decimus quintus, trigesima prima, decimus sextus, trigesima quarta, decimus septimus, trigesima septima, ideo plures sunt dies critici intercidentes quatuordecim diebus. Veri autem critici sunt pauciores ergo expositio antiquorum reprobatur, quando igitur dicitur. acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur, præpositio in exponitur intra quatuordecim dies, id est morbus acutus uerus nõ excedit quatuordecim dies, quantum sit in seipso, & intelligitur de ueris diebus criticis, non de intercidentibus, quomodo autem soluatur cõtradictio hæc uidebitis in expositiõe Aphorismi, dicitur etiam terminari in quadraginta diebus, quia efficitur tropicus, & tropicus talis terminatur etiã in quatuordecim diebus, & quomodo hoc fiat intelligetis. IVDICANTVR, scitis quòd iudicari est crisim facere, ubi enim morbus repente et confertim immutatur, siue ad bonũ siue ad malum dicitur crisis, siue iudicatio à medicis, translatum uidetur esse à iudicijs, nã ubi imminet iudicium tunc fiũt maximæ mutationes, et motus inter litigãtes, ita fit in morbis, ubi iudicationes instant, tunc maximi fiũt motus, & crisis, et mutationes, quæ sunt numero sex ut superius dixi, uel enim ad bonum, uel ad malũ mu

tantur, & subito paulatim terminantur, uel miste. quãdo subito terminantur, dicuntur crises, quæ uero paulatim terminantur reiiciuntur omnino à natura dierum criticorum, quæ uero miste terminantur, dicuntur crises mistæ, & imperfectæ: & ita quatuor sunt crises tantum, duæ perfectæ, & simplices, duæ imperfectæ, dicitur modo quod tales morbi in quatuordecim diebus terminantur, quæ iudicatio desinit subito, uel ad bonum uel ad malum, talis iudicatio non pertransit quartumdecimum diem, facilis est igitur ista sententia, sed intelligere mysteria, & rationes, cur in quatuordecim diebus terminantur difficile. hactenus non didicistis, nisi quia est, sed propter quid in quatuordecim diebus non in septem, uel in undecim, uel in quatuor, nõ dum perspicuum est, est igitur uidendũ primo cur ita præfixus sit terminus iste quatuordecim dierum ultra quem progredi non potest morbus. Secundo est uidendum cur quidam sunt morbi, qui licet non pertranseant quatuordecim dies, facilius tamen, & citius terminantur, uerbi causa in septem uel quatuor hoc est cur alioqui non accedant ad quatuordecim, sed quidam tardius, quidam uelocius terminantur, licet non pertrãseant quartum decimum diem, hic estote attenti, quia hic incipit intricatio neotericorum: Galenus enim supponit unum, quòd unusquisque motus, qui fit in his corporibus inferioribns, uariatur per septimanas, hoc enim astrologi obseruarunt ante Galenum, quod septimanæ dierum, mensium, & annorum

maximè poſſunt in his corporibus inferioribus, ſeptimanæ enim dierum maximas habent uires, & mẽſium, & annorum, ſeptimanæ autem iſtæ non capiũtur ſecundum numerum pytagoricorum, ita ut ſeptenarius numerus ſit maſculus, ſed contingit, aſpectus enim cœleſtes faciunt ſeptimanas, nam ſiue ſit ſol, ſiue luna, qui circuit zodiacum, habet ſemper in ſe diuerſos aſpectus, à quibus uarij oriũtur influxus, ſed nos quoniam ſumus medici, loquamur de noſtris diebus, ſecundum enim uarium curſum ſolis, uel lunæ in zodiaco, uariæ etiam proueniunt influxus in his inferioribus, & hinc uariæ quoque oriuntur ſeptimanæ. Sed dicet quis, quomodo oriuntur ſeptimanæ? hoc modo oriuntur, quia aſpectus qui ſunt intra lunam & ſolem ſunt hoc modo, ut quidam ſint ſextiles, quandoque quadranguli, quandoque trigoni, ubicunque enim luna erit in ariete, & ſol in geminis, inuenietur talis aſpectus, & dicetur aſpectus ſextilis, & facit mediam ſeptimanam, & tunc luna eſt lunaris cum circulo paruo, ubi uero luna acceſſerit ad quadratũ ubi ſunt quatuor ſigna, ut ſi ſit ſol in ariete, & luna ſit in cancro, tunc fit quadratum, & erit integra ſeptimana, & tunc luna erit integra ſemiluna, quando uero luna deuenit à Cancro ad leonem, tunc erit aſpectus trigonus, & luna erit curua, ad hoc ut aſcendat ad perfectum circulum, & tunc eſt dies undecima, & habet mediã ætatem ſecũdæ ſeptimanæ, quãdo uero diſcedit à leone, & deuenit ad oppoſitionẽ, ad perfectum circulũ, tunc fit integra ſe-

cunda septimana, & est decimus quartus dies, & tunc maximæ fiunt mutationes in coniunctione, & oppositione diametrali, differunt tamen, quod oppositio diametralis habet motus præcipites, cum sit huius efficaciæ, ut mutationes fiunt uelocißimæ, & facit decimum quartum diem lunæ, hinc est quod morbi acuti faciunt crisim in decimo quarto, cum & ipsi morbi sint præcipitis motus, ubi uero pertranseunt quartum decimum diem, quia luna est potentior in augmento, quàm in principio, uel declinatione, nam quando tendit ad oppositionem potētior est, ergo ubi oppositionem pertransit, quia fit segnior ideo & morbi segniores fiũt, & hinc est quòd ad quadragesimam perueniunt, sed dicet quis si hoc deberet esse uerum oporteret ut quisq; semper inciperet ægrotare in coniunctione, sed quando incipit ægrotare in secunda septimana, uel tertia quomodo hoc fiet in sequẽti lectione dicemus, & dicit Galenus quòd quocunque modo quis laboret, semper eodem modo se habebit, & secundum aspectus trinos, & quadratos possumus prognosticare de salute & morte cognita natiuitate ægri, & principio morbi, poßimus iudicare de salute & morte, & in quo die moriturus sit & non tantum in quo die, sed etiam in qua hora, et hoc in libello de considerando igitur affectum lunæ cum sole necessarium est, ut acuti morbi terminentur, uel ad bonum, uel ad malum, in die illa in qua maximæ fiũt mutationes, restat modo secunda dubitatio cur est quod quidã morbi, cũ non

transeant quartum decimum diem terminentur quidam citius, quidam tardius, dico quòd hoc potest esse ratione alicuius causæ intrinsecæ, uel extrinsecæ, causæ autem intrinsecæ quæ possunt facere hoc, sunt in triplici differentia, uel erunt ratione materiæ, uel ratione membri, in quo continetur materia, uel ratione uirtutis regentis, & dispensantis uitam, & corpus humanum, & humores: quantum ad primum materia, aut est crassa, aut uiscida, aut sicca, aut humida aut calida, aut frigida, secundum diuersitatem materiæ, quæ magis, uel minus obedit, citius & tardius terminatur, nam materia calida facilior est ad motum, quam frigida, unde etiam facilius expellitur, ergo, calida & sicca faciet motum facilius, & ita raro pertransibit septimam, si fuerit materia illa, quæ dicitur ichor sanguinis in quarto sæpißime terminatur, crassa uero materia et melancholica tarde mouetur, ideo etiam tarde terminatur, si materiæ istæ misceantur inter se uariæ fiunt motiones in istis sicut magis dominatur humor calidus, & siccus, aut frigidus, & crassus, & ita uariabit motus, & hoc quantum ad primam causam, quantum uero ad secundam ratione membri, in qua est materia, dico si materia erit in membro calido sicut in uenis et arterijs ratione membri calidi, etiam quòd materia alioquin sit frigida citius conquoquetur et expelletur quàm quādo est in membrana, uel neruo, quæ membra frigida sunt præterea uel membrū illud erit nobile uel ignobile, si fuerit nobile, sicut cor, cerebrum, hepar, dico

quod etiam si fuerit membrum frigidum, quia mem brum tale maxime est conseruatiuum uitæ, uirtus insurgit totis uiribus ad expellendum materiam, un de sequuntur subitæ mutationes, quod non fiet si fuerit materia in membro ignobili, quod si modo ambo concurrant, & membrum nobile sit, & calidum, tunc fiunt subitæ mutationes, ut quando in prima die, sicuti in sinochis fit, quæ in uigintiquatuor horis terminatur, ratione uero uirtutis maxime concoctricis, quatuor enim sunt sed in hoc duæ potissimum considerantur, expultrix, & concoctrix, si con coctrix ualida fuerit, citissime fiet crisis, nam ubi ualida erit sequetur, & statim apparebit crisis, si autem fuerit ualida uirtus expulsiua, statim appare bit crisis, & ita habetis solutionem duarum quæstionum.

Difficultates circa hos Aphorismos ex duobus oriũtur ex mala interpretatione eorũ, quæ Galenus dicit, et ex parte rei, nam facile est uidere quòd mor bi acuti in quatuordecim diebus terminantur, & eo rum quidam in quarta, quidam in septima, quidam in undecima terminantur, et fiũt crises, sed propter quid hoc est difficile: & quantum ad primam partẽ ita explicabo, ut nihil possit dici clarius, quantũ ad secundam nihil difficilius, ad huius rei ueritatem in dagandã indigemus astronomia. dicebamus heri, ubi fuit declaratus Aphorismus, quid intelligatur per uerbũ iudicari, & accessimus ad indagãdas rationes cur in quatuordecim diebus fiãt crises, assignauimus

Gal. rationem, & quia quibusdam uisa fuit difficilis, nunc etiam diffusius, & clarius explicabo. dico igitur secundum astrologos, & Galenum corpora inferiora gubernari à superioribus, & inter superiora potissime sol, & luna ostendunt efficacissimos effectus, & maxime secundum uarios aspectus, quos habent in zodiaco, nam primus aspectus est sextilis, secundus quadratus, tertius trigonus, quartus oppositio, quintus coniunctio, & præcipue quando sol, et luna mutuos habent aspectus fiunt mutationes uariæ, dicebat hic Galenus, quòd dum luna circuit zodiacum, facit septimanas, ita quòd in qualibet septimana fiunt magnæ mutationes, ac producit effectus suos, non quidem secundum numerum, sed secundum aspectus, diuiduntur q; septimanæ per quatuor dies, id est medietatem septimanæ, ut igitur res clarior fiat, ponamus quòd sol sit in ariete, & luna coniungatur cum ariete, durabit hæc coniunctio per duodecim gradus, & quando progredietur uersus taurum & pertransit ipsum exclusiue, tunc pertrãsiuit tria signa, & fiet media septimana, cum uero ipsum taurum inclusiue pertransit, & progreditur ad geminos exclusiue, tunc fit integra septimana, & tunc habet arietem totum inclusiue, & totum taurum, geminos uero exclusiue, nam quando incipit luna ab ariete ad taurum exclusiue, fit media septimana, & pertransiuit tria signa, fit q; aspectus qui dicitur sextilis. attingit enim tantum taurum, ubi uero pertransit taurum inclusiue, & ascendit ad geminos ex-

clusiue, facit integram septimanam, & fit aspectus qui dicitur quadratus, ubi uero habet geminos inclusiue, & cancrum exclusiue fit alia media septimana, cum uero à cancro descendit inclusiue, & terminatur ad uirginem exclusiuæ, efficitur tota secunda septimana integra, & ita tria signa in qualibet septimana peraguntur, quando luna in simul cum sole in ariete, permanebit: igitur luna per totum mensem circuit totum zodiacum, & cum deuenit ad cancrū exclusiue efficit mediam septimanam, nam medietas tauri est media septimana, tota autem septimana sunt ipsi gemini, dicit Galenus in septimanis magnas esse mutationes, & uires, maximè in secunda septimana, in oppositione, scilicet, nam in secunda septimana terminatur ad libram, & sol est in ariete, tria signa in qualibet septimana sunt, & duos dicit Galenus esse aspectus: qui faciunt maximas mutationes, oppositio et coniunctio, sed differunt, quia in coniunctione tardæ fiunt mutationes, sed in oppositione ubi opponitur luna soli fiunt subitæ mutationes, quia tunc maximas habent uires, quod si ita est ut diximus, quòd propterea morbi acuti terminantur in quatuordecim diebus, quia breues sunt, et acuti, & præcipites habent humores, ubi quoq; ad illos aspectus deuenerint, deueniunt aspectus lunares, & solares, qui & ipsi sunt præcipites, et subiti ideo necesse est ut sequatur mutatio, quia magna uis est in oppositiōe, ubi uero descēdit luna, et deuenit ad quintā septimanam minuit uires, quia decreuit, nā luna

dum progreditur à cōiunctione solis, efficitur poten tior in aspectibus, & in lumine, sed cur isti aspectus ita poßint ista ratione angulorum, nam quidam sunt anguli qui fiunt in aspectu sextili, alij qui fiunt in quadrato, alij qui fiunt in trigono, hoc autem pertinet ad mathematicos, & ita habetis rationem quare in quatuordecim diebus terminabitur, sed non habetis quare contingit, ut quandoque in septima, quandoque in quarta, quandoque in nona, in undecima fiant crises, uidetur enim quòd omnes morbi debeant terminari ad decimam quartā, cum in decima quarta maximæ fiant mutationes, dico quòd mutationes, quæ fiunt in humano corpore ueslociores, uel tardiores fiūt propter causas, tum intrinsecas, tum extrinsecas, intrinsecæ sunt tres, materia, locus, uirtus, agens dixi quod materia uariatur in multitudine, craßitie, tenuitate, paucitate, frigiditate, caliditate, declaraui etiam quomodo loca nobilia faciant mutationes subitas ignobilia uero tardas, præterea loca calida cito mouere, frigida tarde apta sunt, nunc audiatis causas extrinsecas, quæ sunt uel necessariæ, uel contingentes, necessariæ sunt sicuti aer, & influxus cœlestes, contingentes sunt uarietas in rebus sex non naturalibus, quæ præcipitant humores alterantes corpus humanum, primo dicam de necessarijs: aer in primis mutat, nam ubi calidus est accelerat omnes mutationes, ubi frigidus, & humidus tardat, unde dicebat Hippocrates æstiuas quartanas breues, autumnales longas, quam uim ad cele-

stes influxus dicunt astrologi quadrupliciter uariari, primo secundum aspectus, secundo propter naturam signorum, tertio propter epicyclos, quarto propter naturam syderum, quoniam ad aspectus præsupponunt fieri per sextiles, quadratos, trigonos coniunctiones, & oppositiones, sextiles quoniam per quartam partem cœli aspiciunt, dicunt quòd tunc maxima est uis amicitiæ, inimicitiæ maleficij in aspectibus, & sextilem felicem producere aspectum sed imperfecte, perfectam bonitatem esse in trigono, inimicitiam imperfectam eße in quadrato, perfectam in oppositione, & dixi quòd maxima diuersitas est in celeritate motus, in ipsis aspectibus, nam si quis ægrotauerit, & accedat ad aspectum, uerbi gratia tetragonum, erit in inimicitia, quod si contingat ægrotare in tempore, in quo luna accedit ad trigonum tūc erit in amicitia, secunda causa erat natura signorū. ut si luna iuncta fuerit cum signo calido, siue et mobili, siue cum ariete, tunc certe fiet uelocior mutatio quàm quando erit in signo frigido, humido, aut sicco ut in tauro fiet enim tunc tardus motus morborum, crisium, tertia causa referebatur ad epicyclos, ut uerbi causa quando aliquis planeta accedit directe, tunc habet potentiam efficaciorem in concoquendo, & alterando, quàm quando retrocedit, nam quando retrocedit: tardat concoctionem, additur & quartus etiam, quæ est situs istorum, natura borealia, magis potentia sunt in his nostris regionibus, quia directe nos aspiciunt, & ita habetis omnes causas, tam

intrinsecas, quàm extrinsecas, secundum igitur situm erit ubi sunt orientalia, uel occidentalia, borealia, uel australia, orientalia, & borealia sunt potentiora, quàm occidentalia, & australia, ubi uero causa tarditatis, & uelocitatis complicabuntur secundum dominium illarum, motus erit tardus, uel uelox, quandoque in quarta quandoque in septima, quandoque in nona, quandoque in undecima, & in quartadecima terminabitur: quando uero accedunt causæ extrinsecæ contingentes, tunc fiunt crises in diebus intercidentibus exempli gratia sit humor peccans in corpore, qui deberet sanari in quarta accedatq; aliquod nuncium optimum, ita ut lætetur, tunc ex lætitia fortificatur uirtus, ut sanetur in tertia si sanari debebat in quarta, & ita celeritas & tarditas crisis contingit quandoque ex causis extrinsecis, præterea si contingat quòd aliquis dicebat mori in quarta, et accedat aliquod nuncium triste, tunc accelerabitur mori: & morietur in tertia. una restàt modo contradictio soluenda, Hippocrates dicit quòd acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur: in tertio uero Prognosticorum, dicit acutos morbos in quadraginta diebus terminari, secundum dubium est, unde est quòd homines cum ægrotant, neque enim ægrotant uno atque eodem tempore, ita ut poßimus accipere primam quartam, nam quidam in oppositione, quidam in sextili, quidam in coniunctione ægrotant cur igitur terminantur ad eundem terminum?
Ad primum dico, quemadmodum etiam dixi-

mus ſuperius, quòd omnes mutationes criticæ ſunt in quadruplici differentia, uel enim ſubito terminantur ad mortem, uel ad ſalutem, uel ſubito quidem terminantur ad ſalutem, ſed non perficiunt ſanitatem, quoniam imperfectæ ſunt, & ita curatur ægritudo poſtea redit: uel tantum ſubleuatur ad ſalutem, uel ad mortem ſed non ſtatim, ſed modo hoc, modo illud, quantum ad primam diuiſionem, dicimus quod omnis morbus, qui terminatur perfecta criſi non poteſt pertranſire quatuordecim dies, propter uarios illos aſpectus, & oppoſitiones. Quantum uero ad alios dies criticos, qui non ſunt perfecti, poſſunt terminari in quadraginta diebus, tamen non erunt niſi quatuordecim dies critici ueri, ſicut contigit de Anaxione, habuit enim multas mutationes ueloces, nam erit quiſpiam ægrotans morbo acuto circa ſeptimum, uel decimumquartum facit criſim, ſed imperfecte, unde uellet ſanari non ſanatur tamen, & quandoq; derelinquit illum febris, tamen percipit quandam grauitatem, ita ut non habeat uires, urinæ non ſunt optime concoctæ, tandem incipit à febri conualeſcere. tandem in decima ſeptima, uel uigeſima, uel quadrageſima terminatur. nunquam enim uidebitis, quod ubi fit criſis, & fiunt magni motus, quod pertranſeat quatuordecim dies, à principio acuminis, uſq; ad ſolutionem, dicuntur autem acuti decidentiæ, quia ſunt ancipites, ſed a principio acuminis motus uſque ad ſolutionem, nunquam pertranſeũt quatuor decim dies, ſed ubi morbi pertranſeunt quadraginta

dies, ita materia fit ſegnis, & frigida, ut nõ amplius poßit effici acutus morbus, ſed uſque ad quadraginta dies poteſt materia habere uelocitatem motus, & alterationem, ut efficiantur acuti, ſed dicat quis, contra, ſtat ſemper idem motus cœleſtis, & aſpectus. dico quòd non ſufficiunt motus tantum cœleſtes, ſed concurrunt cauſæ etiam extrinſecæ, & intrinſecæ, & humores, & ita eſt ſedata contradictio. Quantum ad ſecundum quando dicitur unde eſt quòd cum uarij in uarijs ægrotant temporibus, ut habeant ſemper eaſdem uires ſuarum ſeptimanarum ſicuti in lunaribus: Gal. reſpondet & dicit, quòd neceſſarium eſt, quòd unusquiſque natus, ſit natus ſub aliquo aſpectu determinato, accipiamus modo ſuos aſpectus determinatos, exempli gratia habeat quis arietem aſpectum feliciſsimum, & taurus ſit illi infœliciſsimus, certum eſt quòd non tantum, quando erit æger ſed etiam quando erit ſanus, & in omnibus ſuis operationibus quando aries erit in oppoſitione, operationes ſuæ erunt fælices, ubi ſextam partem Zodiaci peregerit, ſextilis, deuenit ab Ariete ad cancrum excluſiue, in ea quadra ſemper erit felix. ubi uero Taurus, qui eſt infelix illi, habebit ille in quadris Tauri omnes eius operationes infelices, & ſic dicanus de ſingulis quibuſque.

Propoſitum nobis fuerat tractare de criſi, & de diebus criticis, ſumpta occaſiõe à Galeno in uigeſimũ tertiũ, & uigeſimũ quartũ Aph. huius ſecũdæ particulæ, ſuper .n. uigeſimo tertio Aphoriſmo egimus

de crisi, neque aliquam mentionem feci de diebus criticis, nisi quatenus fuit necessarium, scitis enim quòd sunt relatiua, neque potest unum determinari sine reliquo, ostendimusq; primo quid esset crisis, quid nominis ipsius, deinde etiam uidimus quid rei, & in quos terminos constitueretur, uidimus deinde causas, quare magis fiat crisis in uno die quàm in alio, & quoniam crises ueræ fiunt in morbis acutis, quid essent morbi acuti determinaui, & quoniam declaraui morbos acutos terminari in quatuordecim diebus, uidimus quomodo terminantur & quòd non terminantur præcise in quatuordecim diebus. sed intra ipsos, ita ut non excedant numerum quatuordecim dierum, postea duas proposuimus quæstiones, et unam absoluimus. primam scilicet quæ erat quomodo conuenirent auctoritates Hipp. quæ erant hic, et in tertio Prognosticorum: dicebat hic quòd in quatuor decim diebus terminantur, in tertio uero Prognosticorum quòd in quadraginta diebus, quæ auctoritates uidentur opponi. dixi quòd quando consideramus motiones morborum acutorum, quod non pertranseunt quatuordecim dies, si uere considerentur motus ueri, & perfecti. secunda dubitatio erat talis, quam non absoluimus. uisum enim fuit causas crisium esse aspectus Lunæ, & Solis in Zodiaco, & hoc potissimum fieri per quadros, ubi enim Luna pertransit Zodiacum per quartas ipsas, fiunt septimanæ, ubi enim pertransit, tria illa signa integra, et quartam attingit exclusiue, tunc fit quadra integra

cum causa crisis fuerit huiusmodi proposita uidetur difficultas oriri, quia si supponis istas crises fieri, sicuti uideris supponere id est si uerum est, quòd quando Luna discedit à cōiunctione, efficitur minoi dis, quæ est in medio septimanæ, & est aspectus sextilis, ubi uero accedit ad quartum efficitur dicomos semilunium, & dicitur aspectus quadratus, si igitur secundum istos aspectus fiunt mutationes, propter uarietatem lunæ, cum non omnes ægrotant uno eodemq; tempore, imò quandoq; quis in semilunio, quandoq; in plenilunio, quandoq; in coniunctione, non uidetur quòd sit regula uniuersalis: nam oporteret quòd omnes ægrotarent uno, atq; eodem tempore. soluo & uos debetis scire sicuti in alia lectione declarabatur quòd causæ, quæ mutāt inferiora sunt motus cœlestes, secundum suos aspectus, & quoniam circulus est Zodiacus, & semper est eadem ægritudo, siue à principio siue in fine ægrotet aliquis, quocunque enim tempore necesse est ut Luna semper pertranseat circulum illum, æquæ bene, & æqualiter, tam in uno quàm in alio, & faciat suos aspectus determinatos, ubi.n. qui in ariete ægrotabit, pertransibit, & deueniet ad taurum, & erit aspectus sextilis, eritq; media, quarta, ubi uero deueniet ad cancrum exclusiue, erit in septima, sed illud quod decipit omnes, est quia accipiunt non causam, ut causam, credūt enim causam uariationis & mutationes esse lumen lunæ uarium, sed hoc non est, sed est aspectus ipsius Lunæ, Galenus enim dicit, supponamus quòd

aliquis in natiuitate sua habeat signum suum felicem, Arietem, Taurum uero infelicem, ita quòd feliter incipiat à natiuitate se habere, alter infeliciter, si existente Luna in Ariete incipiat ægrotare, & deueniat ad quadraturam suam, tunc erit felix quadratura illa & mutatio, si quis modo infelicem Taurum habuerit ubi Luna accesserit ad Tauri quadraturam, tunc infelicem motum habebit: similiter in omnibus eadem est ratio, bene uerũ est, quòd si quis in coiunctione ægrotet, ita ut concurrat etiam lumẽ Lunæ, quoniam erit efficacior aspectus, uidemus.n. humores minui, & augeri modo retrocedere ad centrum, modo expandi ad circunferentiam, ratione luminis ipsius Lunæ, & hoc quantum ad quæstionem præpositam, satis dictum de crisi pro declaratione uigesimi tertij, sequitur modo uigesimus quartus.

APHORISMVS XXIIII.

SEPTENORVM *quartus est index.*

Continuatur hic Aphorismus cum superiori hunc in modum, cum Hyp. egisset de crisi in Aphorismo uigesimo tertio consequenter nunc agit de suo correlatiuo, idest de diebus criticis, magnum enim cãpum ingreditur, & ut ordinate procedatur, primo declarabo Aphorismum, deinde ingrediar cã pum difficultatũ de diebus criticis, inquit Hippocra tes

tes SEPTENORVM QVARTVS EST INDEX, intentio Hippocratis in hoc Aphorismo est declarare ueros, & legitimos dies criticos, qui pauci sunt intra uigesimam diem inclusiue, sunt enim tantum tres, septima primus, decimaquarta secundus, uigesima tertius, & ita tres quoque sunt septimanæ, & in qualibet septimana fit crisis perfecta, sunt postea & alij ultra uigesimam diem dies critici, sed Hipp. de his non curat quia quidquid habetis intra uigesimam, habetis & extra per repetionem, non aliter quàm per numeros decenarios, nam semper per decem numeratis, adiungendo semper decem cum uno, & ita uigesima septima dies erit prima dies critica, secunda, trigesimaquarta, tertia quadragesima, & ita in infinitum procedetis, idem est de diebus ipsis criticis, quia ubi attingitis uigesimũ diem, attingitis quidquid potestis quantum ad naturam ipsorum dierum criticorum, tres igitur erunt dies critici legitimi, & ita tres septimanæ, & dies critici ueri habent suos dies indicatorios, & isti sunt suæ quartæ, nã quarta est indicatiua suæ septimanæ, nã quarta indicat septimã, et cũ secunda septimana incipiat ab octaua, erit octaua indicatiua undecimæ, & cũ tertia septimana incipiat à decima septima erit decimaseptima indicatiua tertiæ septimanæ hoc est uigesimi diei, inquit igitur Hip. septenorum quartus est index, semper quia in qualibet septimana habemus quartã indicantem, ꝗ probat Hip. ꝑ exẽpla particularia, septenorũ quartus est index, sit igi

tur regula uniuersalis in omnibus septimanis quarta est indicatiua: ita quod & in mensibus, id est in septimanis mensium idem est, & forte si haberemus tempus, ostenderemus, quòd idem est in septimanis annorum, quod est in septimanis dierum: hoc patet de prima septimana, secundæ septimanæ octauus est principium, quod recte annotaui, quia in tertia septimana non erit ita, quia decimaquarta erit principium tertiæ septimanæ, ergo sequitur quòd undecima sit medietas secundæ septimanæ, quia coniungitur secunda cum tertia, undecimus dicit Hippocrates contemplabilis, indicans, quoniam contemplamur quartas, utrum sit futura crisis in sua septima, rursus uero & decima septima contemplabilis, nam copulatur aliter tertia septimana cum secunda, quàm secunda cum prima nam prima & secunda sunt separatæ decima quarta enim est finis secundæ septimanæ, & oportet ipsam bis accipere, dies decimus septimus est contemplabilis, & est tertius dies contemplabilis, quia est quartus, tertiæ septimanæ incipiendo à decima quarta die, ipse siquidem est quartus à decimaquarta incipiendo, si uero est regula uniuersalis, quòd septenorum quartus est index, noluit autem Hippocrates uigesimam pertransire, quia cum pertransitis uigesimam diem uos additis diem uigesimam ad unum, & ita potestis extendere regulam usque ad ultimum infinitum, his uisis quærēdamodo est ratio quare hoc sit uerum, quod quartæ indicant septimas, si intellexistis, quæ dixi su-

perius in alijs lectionibus, quòd ſeptimanæ fiunt ſecundum quartum aſpectum incipit enim luna inſimul cum ſole ab ariete, & deuenit ad medium tauri, tunc fit quarta mediæ ſeptimanæ, & ſunt tres dies cum dimidio, ubi igitur acceßiſtis ad mediam ſeptimanam, quæ eſt quarta habetis quadraturam, & tunc indicatur magnus motus, indicatur enim de futuro in ſeptima ſi incipiat motus & fiat aliqualis concoctio in ea quarta, tunc ſignum eſt quod perficietur iſte in ſeptima, hoc eſt in ſeptimana, eſt enim quædam rudis inchoatio future ſeptimanæ, quia eſt medietas ſeptimanæ, & medietas aſpectus quadrati, ſi modo uolumus referre cauſas iſtarum mutationũ ad aſpectus lunares cum ſole, ſicut ſupponit Galenus, quæ ſuppoſita ſiquis uellet negare probata ſunt ab aſtrologis, & ita probatum eſt quare quarta ſit indicatiua ſeptimæ. attendatis modo quòd aggredimur materiam dierum criticorum, & notetis, quòd nos ſumus acturi non de qualibet re momẽtanea, ſed de re rationabili, ſi igitur uultis eſſe medici pars iſta nullomodo contemnenda eſt, neque aliquis poteſt curare morbos, niſi ſit prognoſticus, & nemo põt prognoſticare, niſi cognoſcat dies criticos, quomodo poteſt aliquis prognoſticare, niſi ſciat qui ſint ueri dies critici, & qui intercidẽtes? q, probatur, nã ſi debetis curare morbos oportet curare cognoſcẽdo naturam morborum, ſed quomodo circa partem diæteticam poteſt quis uerſari niſi ſciat in quo tempore debeat terminari morbus, & facere ſuas mutationes

quantum uero ad applicationem remediorum, nunquam applicabit recte nisi sciat in quibus temporibus hoc facturum sit, & natura deberet mouere, & in qua hora sit status felicior, & infelicior, quòd si quis sciat futuros euentus, & aliquid mali, uel boni futurum sit, necessario oportet cognouisse morborũ naturam, nam non potest aliquis cognoscere dies criticos, nisi naturam morborum, temperaturas, ætates constitutionesq; cognoscat, nemo enim potest esse prognosticus, nisi sit diagnosticus, id est habeat signa indicantia præsentem affectum non enim differunt diagnosticus, & prognosticus, nisi applicatione præsentis ad præsentem, & præsentis ad futurũ sed prius oportet discere applicare ad præsentem, deinde ad futurum, propterea oportet primo esse diagnosticum, & adiscere artem diagnosticam, deinde prognosticam, ex his enim duabus partibus totus integratur habitus medicinæ, habet enim principium medicinæ, ergo potest accedere ad artem, quãdo uult, scilicet tantum indiget instrumentis, quæ instrumenta sunt ipsæ medicinæ & materiæ. oportet igitur prius habere habitum, & scientiam, deinde instrumenta, postea accedere ad praxim. dicebat. n. Arist. quòd frustra est quærere scientiam, & modum sciẽdi, & quando sumus tractaturi de diebus criticis. nõ sumus tractaturi de re leui, proponetur igitur quæstio de causis dierum criticorum, nam aliud est quærere, quæ sit causa crisis, & quæ sit causa dierum criticorum.

Declaraui in alia lectione Aphoriſmum uigeſi-
mum quartum,& expoſui quantum potui,& quo-
niam ibi erat intentio de diebus criticis,ideo propo-
ſui de illis dicere aliquid,& de illis agere,& oſten
di quantum materia ſit difficilis,& licet ſit diffici-
lis,nemo tamen ueſtrum debet deterreri,quia ex le
ctionibus noſtris habebitis facillimum habitum ad
intelligendum librum de diebus criticis. Primo igi-
tur uidendum eſt quid nominis,id eſt quid per hoc
nomen criticum importetur,eſt enim denominatiuũ
à criſi,id eſt in quo fit criſis,& quoniam criſis tri-
pliciter intelligitur,pro ſubita mutatione præcedẽ
ti,pro ſolutione morbi,pro toto illo ſpatio, quod eſt
à principio uſq; ad perfectam morbi ſolutionem,
propterea tot modis dicitur dies criticus, quot mo-
dis dicitur criſis,aut enim erit in quo fit ſubita mu-
tatio,aut in quo ſit ſolutio morbi,aut in quo pertrã
ſit ſpatiũ uſq; ad perfectam ſolutionẽ morbi, quãtũ
ad rẽ ipſum attinet, quilibet dies põt dici dies criti
cus ad hunc ſenſum,quia in quolibet criſis põt fieri
et agitatio,ſi modo conſideremus ad hunc ſenſum, ꝙ
in quolibet die poteſt fieri criſis,Hippocrates,et Ga
lenus hoc modo non intellexerunt, ſed intellexerunt
proprium diem criticum,in quo eſt aptitudo aliqua
naturalis ad hoc,ut fiat criſis,& tunc dico quòd nõ
quilibet dies eſt aptus ad criſim,ſed tantũ ille qui ha
bet aptitudinẽ naturalem,nõ per accidens, ſed per ſe
ad hoc,ut in eo potiſsime fiat criſis, & non in alio.
iſta aũt aptitudo naturalis quid eſt? diximus ꝙ cri-

ſis ſit magis in uno, quàm in alio, propter tres cau-
ſas, primo propter aſpectus cœleſtes, ſecundo pro-
pter diſpoſitiones naturales in corpore exiſtentes, ſi
cut temperaturam, ætatem, & præter naturales, ſi-
cut morbos, & alia tertia cauſa eſt propter extrin-
ſecus occurrentia, ſicut aerem, cibos, potus, accidētia
animi ab iſtis enim prouenit criſis, & de facto ma-
gis in uno die, quàm in alio. naturalis igitur habitu
do ex tribus his ſumitur, quando dicimus naturalem
habitudinem, dicimus naturam ordinatam, ſiue apti
tudinem ordinariam, quæ plerunque euenit, ſed cum
tres ſint illæ cauſæ, & in diſpoſitionibus naturali-
bus corporis, & præter naturam, nihil ſit certi, ſed
omne uariabile, ordo autem proueniat à cœleſtibus,
in his autem inferioribus omnia uariabilia, & ni-
hil certi ſit, ergo cum in his nullus ordo, nulla certi-
tudo ſed omnia incerta ſint, relinquitur quòd ad con
ſtituendos dies criticos neceſſaria eſt aptitudo quæ-
dam naturalis, talis autem prouenit ab influxibus
cœleſtibus, & ita habetis non tantum quid nominis
critici, ſed etiam quid rei, modo cum habeatis condi-
tionem neceſſario requiſitam ad dies criticos, opor-
tet ut etiam ſciatis, quòd quidam ſunt dies critici le
gitimi, qui dicuntur à neotericis radicales, quidam
ſpurij, qui ab iiſdem intercidentes dicuntur, omnes
enim ſunt critici, ſed legitimi ſunt magis critici, ſed
alij dicuntur per Analogiam critici, dies autem cri-
tici legitimi ſunt, qui immediate proueniunt ab in
fluxibus cœleſtibus ita quòd ſemper in his fiunt cri

ses,nisi aliquid accidat extrinsecus,quòd superet mo
tum cœlestium,nisi intercipiatur à materia, uel ab
aliquo potenti:spurij uero dies dicuntur, quoniam si
cuti spurij,nascuntur ex commistione aliorum, &
degenerant, quoniam habent commistionem, dicun-
tur etiam intercidentes,quoniam cadunt inter criti
cos ueros,dicuntur spurij,quoniam habet conditio-
nes,quæ ad alios spurios pertinent. de legitimis igi-
tur prius dicendum. dicuntur enim dies legitimi,quo
niam directe, & immediate causantur ab influxu
cœlesti, & sunt illi qui sunt sub determinatis influ-
xibus cœlestibus,qui sunt quadraturæ in circulo, er
go dies qui sunt sub quadratura dicuntur legitimi
critici,talis autem est septimus,ergo quælibet septi
mana dicitur dies criticus legitimus, & medietas cu
iuslibet septimanæ,quoniam est aspectus sextilis,et
causatur ab influxibus cœlestibus,qui fiunt per qua
draturas suas. Accipiamus numeros septenarios. de
betis enim scire,quòd acuti morbi in quatuordecim
diebus terminantur,morbi autem qui ambigunt in-
ter acutos, & non acutos,terminantur usque ad uige
simum:ubi autem uigesimum diem excedunt, fiunt
chronici, & nullus potest iudicari cum excedit uige
simum,nisi usque ad quadragesimam, & licet Ana
xion fuerit iudicatus,hoc fuit propter recidiuam,
fuit enim iudicatus in trigesima quarta,quæ recidi-
ua terminantur ad quadragesimum, & ita habetis
quòd tres septimanæ separantur à se,nec ullus dies
intercidens erit à uigesimo die,usque ad quadrage-

ſimum, legitimus, incipiamus à primo uicenario, tres enim ſunt ſeptimanæ intra numerum uicenarium, in primo uicenario erant tres dies critici ueri, quintus, ſeptimus, decimus quartus, & uigeſimus ſed ipſorum dierum criticorum quidam dicuntur declarãtes, quidam indicantes & cõtemplantes: primi enim ſeptenarij ordinis ſunt tertius, ſeptimus, decimusquartus, & uigeſimus, dicuntur declarantes. Alij uero dicuntur indicantes, & contemplantes, quoniam indicant criſes futuras, & contemplantes, quoniam indicant ſeptimam, decimumquartum, & uigeſimũ, qui & ipſi tres ſunt, erunt igitur in quolibet uicenario ſex dies critici. nam dicebat ille quarta eſt contẽplabilis dies legitima, ſed non eſt decernens, deinde ſeptima, quæ eſt decernens, & indicans. poſtea ſequitur undecima, quæ eſt quarta ſecundæ ſeptimanæ, eſt enim contemplabilis & ipſa, indicansq́;, ſed non decernens, ſed decimaquarta eſt decernens, et indicans, eſt poſtea decimatertia, quæ eſt quarta tertiæ ſeptimanæ, quæ & ipſa contemplabilis, & indicans eſt, ſed non decernens nec indicans, ſed uigeſima eſt, quæ eſt decernens, & indicans: hactenus poteſtis intelligere, qui ſint dies critici naturales ueri, & qui ſint decernentes, & indicantes, & quomodo cauſentur ab influxibus cœleſtibus, eademq́; erit ratio de omnibus uicenarijs adiungendo ipſi uicenario unum, exempli gratia, uigeſima quarta erit indicans contemplans, uigeſima ſeptima decernens, & indicans, trigeſima prima indicans, trigeſima quar-

ta decernens,trigesima septima indicans,quadragesima decernens,& sic completa est speculatio de diebus criticis legitimis naturalibus. Restat modo ut uideamus dies spurios intercidentes,qui sunt commisti,& quoniam sunt commisti ideo habent affinitatem aliquam cum diebus criticis,approximant. n. illis quoniam habent nescio quid influxus cœlestis, & cum influxus sit debilis,& respiciat à longè,& oblique illos,cum non sint directe sub aspectu, ideo non possunt facere motus ratione aspectuum, nisi etiam materia adiuuet illos,nam cum materia mouetur,& facit paroxysmos. tunc coadiuuat aspectus illos,& ita tales dies intercidentes nascuntur ex motu materiei,& ex aspectu cœlesti, & tales dies reperiuntur tantum in uicenario primo: nam alia uicenaria non habent dies intercidentes ueros,ratio autem cur ita sit,erit aßignanda, sed percurramus parum istos in primo uicenario.tres enim sunt in prima septimana,& tres in secunda,duo tantum in tertia;primus igitur dies intercidens erit in prima septimana dies tertius, secũdus dies quintus,tertius dies sextus in secunda septimana primus dies erit nonus, secundus dies decimus, tertius dies decimus tertius, in tertia septimana primus erit dies decimus quintus,secundus dies decimus nonus, & isti sunt omnes dies intercidentes; qui numero sunt octo.Audiatis modo proportionem inter istos, & cur tantum sint duo in tertia septimana consideremus. Diuidamus enim tres primos spurios

esse, eo quia ex duobus nascebantur, ex materia scilicet mota, & ex influxibus cœlestibus. scitis enim acuti morbi sunt materia calida, inuadit paroxysmus in primo die exacerbaturq; de tertio, in tertiū diem, igitur criticus debet tria necessario habere quod sit paroxysmus, secundo quod in eo appareant accidentia, sicut angustiæ, dolor capitis, & similia, tertio quod soluatur morbus, hoc erat necessarium scire. Tertia igitur dies est dies in qua fit motus materiæ, & paroxysmi correspondens primæ diei. habemus quartam iiam proxmam, nam in tertio die luna ascendit ad taurum, & appropinquat primo sextili, neutrum enim horum per se posset facere motum, s. motus materiei, & motus cœlestis, siue aspectus. nam nullus per se aptus erat facere motum, ergo concurrentibus ambobus fit motus, nascitur enim ex motu materiei, & influxu cœlesti similiter, de die quinto eadem est ratio, nam in quarto die magnus fuit motus, cum fuerit sextilis aspectus, sed potuit per se, accedente autem quinta in qua fit paroxysmus, & motus materiei, quia fit de tertio in tertium habuit enim uim in quarta ratione aspectus sextilis, succedente postea motu materiei, contingit ut dies sexta sit critica, sed spuria, sed quid dicemus de sexta die, non enim est dies paroxysmi, est etiam remota à quarta ab aspectu sextili, & tamen in sexta fiunt sæpe crises, nihilominus dicit Gal. & non sine ratione q; est crisis detestabilis. talis est motus illius materiæ malignæ, nā quarta dies non est uere

quarta,sed tertia cum dimidia proprie in sexta,quo niam mouetur in die pari,mouetur uiolenter,cum in sexta non sit motus materiei,ergo non potest esse ta lis motus,nisi à causa maxima, & maligna mate- ria,ideo detestabiles omnes sunt, & lætales:in septi ma autem quia obediuit influxibus cœlestibus, ideo bona fit crisis,& salubris,eo quia obediuit, mouet quando mouendum, cessat quando cessandum;tyran nus uero,siue sexta omnia uiolenter, & indebite facit ideo tyrannus dicitur, ad secundam septima- nam,primo occurrit dies nonus habet enim corre- spondentiam paroxysmi.primo enim præcessit septi ma quæ uim habuit maximam in mutatione, mouit enim,tamen non potuit explere,succedit octaua quæ est dies quietis, & materia non mouetur, postea succedit nona,quæ est dies paroxysmi,in qua mate- ria mouetur,quia præcessit septimæ motus, quæ mo uit,& à motu illius septimæ, & motu materiei fit crisis,in nona accedit decima,quæ habet proportio- nem,quam habet sexta,sed non ita perniciosa, quia non est ita acuta ægritudo, cum non ita citissime terminetur,in decima enim nullus fit motus,ideo ca- ret conditione diei critici,sed si mouetur, mouetur ratione detestabilis materiæ,quia etiam approxi- matur undecimæ,Accedit decimatertia quæ proxi- me accedit ad benignũ,nam in illa fit paroxysmus, & sæpe in decimatertia fiunt crises intercidentes,et forte sunt meliores istæ crises in decimatertia,quàm aliæ intercidentes:nam materia mouetur in illa die,

habet etiam quod approximatur decimæ quartæ, tamen est spuria. quia nascitur ex duobus diuersarum naturarum. restant modo duo alij in tertia septimana, decimusquintus & decimus nonus, decimus quintus habet motum paroxysmi, approxymatur diei decimæ quartæ, in qua fuit motus, & quando non potuit decimaquarta, succedit decimaquinta, & illa explet quod non potuit explere in decimaquarta, dicitur tamen spuria, quoniam adiuuatur à duobus. accedit decimanona, quæ habet motum paroxysmi, & approximationem quadraturæ, quæ fit in uigesima, & ita habetis quot sint dies intercidentes, & quare dicantur spurij, & quare fiant crises. At quærat quis cur tantum sint duo in tertia septimana dies critici intercidentes? & merito, nam ueri acuti morbi in duabus septimanis terminantur, nec possunt esse acuti ueri, nisi sint etiam furibundi, ideo etiam oportet ut materia sit furibunda, ubi autem morbus acutus pertransit quartumdecimum diem, iam acuties illa incipit hebescere, & remitti, & fit postea in decimaquinta crisis, & decima nona, post autem uigesimum diem Gal. posuit uigesimumprimum, licet dicat hoc rarò contingere: quicquid sit de hoc, ego non credo quòd ita sit. Archigenes uoluit, & erit eadem ratio, quòd quando erit motus paroxysmi, et approximat uigesima, quòd fiat sicuti in alijs superioribus crisis imperfecta, & ita dies intercidẽtes critici licet ego non credã quod iudicatis istos dies criticos nisi de uigesima in uigesimã per septenarios, sed cũ

dixerit Gal. dies intercidentes habere duas causas ideo nonnulli imperiti, uel maligni inuehuntur in Galenum dicentes, non esse istas causas, quia causa est propter uicinitatem paroxysmi, cur ergo octaua cur duodecima non erit dies intercidens? præterea decimaoctaua quæ decimæ septimæ approximatur, si approximatio igitur esset causa, isti quoq; deberent esse critici, & intercidentes, non aduertunt isti quòd dicebat Gal. non requiri tantum materiæ approximationem. s. paroxysmi approximationẽ, sed etiam motum aspectus cœlestis, propterea peccant per fallaciam compositionis, & diuisionis, & hoc quantum ad dies criticos attinet dictum sit, & quæ sint causæ dierum criticorum, & qui sint legitimi, & naturales, & qui spurij, & causas dierum criticorum, intercidentium, & spuriorum.

Vt separentur clara à confusis, imitãtes Galenũ in libris de diebus criticis, qui primum, & secundũ, in quibus ea quæ manifesta sunt. primo proposuit. ul mo tertiũ posuit, in quo reiecit difficultates omnes, ita quoque nos faciemus. Hactenus proposui quæ de crisi, et de diebus criticis uidentur manifesta, et habere causas suas, quæ comprehendi poßunt ab his, qui aliquid astronomiæ habuerint ita ut omnia sint releganda ad Astronomum, uidimus etiã quid sit crisis, & eius causas, et quòd morbi acuti in quatuordecim diebus terminantur, et quotuplex genus dierum criticorũ, & qui sint legitimi, & qui sint intercidẽtes & similia, tunc restat uidere, & tractare de his, in

quibus est aliqua difficultas, s. paßionibus, & accidentibus dierum criticorum, & primò quod occurrit maxime eßentiale diebus criticis est hoc, quia uidemus quosdam pares esse, & quosdam impares. uidendum igitur nunquid paritas uel imparitas aliquid faciat ad constituendos dies criticos, primo. n. nihil uidetur conferre, quod etiam rationibus quibusdam probatur. prima ratio est hæc quia tot uidentur pares, quot impares. si modo uultis uos referre ad dies pares, ego ad impares referam: uidemus. n. septimam, undecimam, decimam septimam esse legitimos dies criticos, si uero uultis dicere maiorem uim esse diebus imparibus, tunc ego dies pares referam, nam quarta, & decimaquarta sunt dies legitimi critici. similiter de intercidentibus dicendum. præterea numerus ipse, siue paßiones, par, s. & impar est quoddam extrinsecus adueniens, neque enim facit perfectionem aliquam, uel imperfectionem in subiecto sicuti dextrum & sinistrum. Amplius confirmatur etiam hoc auctoritate Arist. in primo Met. contra Platonicos arguentis, uanum esse uelle dicere numerum esse principium alicuius rei naturalis, unde etiã Gal. in fine de diebus criticis coarguit pythagoricos ponentes uim aliquam in paritate, & in imparitate, licet sint septem portæ Thebarum. circa istam quæstionem debetis primo supponere, quòd hic agitur de uumero prout est in rebus ipsis, non autem more mathematico, uel ut est in materia. istæ uidẽtur esse rationes destruentes uim imparitatis, & pa

ritatis, unde ex audacia Cornelij Celsi probatur hoc qui deridet Hippocratem ponentem uim in diebus criticis eo quia non uidetur esse aliqua uis in diebus magis imparibus, quàm paribus, & sunt etiam Argumenta Asclepiadis, ut refert etiam Cornelius Celsus, sed omnia ad fluxus cœlestes referunt, in contrarium etiam uidentur asse rationes non minimæ scilicet quòd non paruam habet uim paritas, & imparitas, cum impar habeat maximas uires, par autem minimas, & primum argumentum tale est, & est argumentum ad Galenum, dicis ò Galeñe quòd dies septima est efficacißima omnium dierum, ista non est efficcaißima ratione influxus cœlestis, neque ratione materiæ, ergo ratione numeri, quia si esset ratione influxuum, decimaquarta esset efficacior nam aspectus oppositionis est longe efficacior, quàm quadrati aspectus, sed in septima est aspectus quadrati, in decimaquarta aspectus oppositionis, ergo maior deberet esse in decimaquarta efficacia, quam in septima, quod hoc non sit ratione materiæ probatur, nam materia propter eius acumem mouetur potius in septima, quàm in decima quarta, sed in quarta deberet magis mouere, quia est uirtus tunc potentißima, ergo nec ratione uirtutis, nec ratione influxus ratione materiæ mouetur ergo ratione numeri, ut uolucerũt pythagorici, quia in ipsa imparitate est aliquid Arcanum. prӕterea Hip. clare in quarta particula Aph. sexagesimo primo dicit febrientem si febris dereliquerit in diebus paribus, necesse est recidiuã fie-

ri, tantum contemnit dies pares, ergo in imparibus diebus est arcanum aliquod; præterea Galenus in eo com. uolens saluare Hippocratem, dicit quòd ille Aph. non est Hipp. sed si nos refelleremus auctoritates hoc modo, facile omnes auctoritates essent refellendæ, ideo non uidetur conueniens excusatio, & ratio qua motus fuit Galenus ad hoc dicendum, dicit eni quòd in Prognosticis, & in alijs libris nõ minus ascribit Hipp. uim paribus, quam imparibus, s. quarto, & decimoquarto nec minus secunda terminari morbos, & fieri crises, quàm in tertia, & septima quomodo igitur uis, quòd nunc dicat, quòd numerus impar faciat crises, & par faciat recidiuam. Gal. n. dicebat quod crisis multipliciter dicitur, uno modo pro agitatione quæ paroxysmum præcedit, alio modo pro paroxysmo ipso, aliomodo pro solutione morbi, id est pro die illa in qua morbus soluitur, sed non ita proprie dicitur crisis solutio morbi sicuti agitatio illa præcedens motum, & paroxysmum, sed propria crisis dicitur ubi agitatio fit, & terminus morbi insimul, separatim autem dicitur magis critica dies illa in qua fit agitatio, quàm illa in qua morbus soluitur. his stantibus, licet in quartadecima fiant crises, tamen in decimatertia semper fit agitatio, postea terminatur in die pari, sed in die impari semper fit agitatio, ergo uerum est quòd in die impari semper fit crisis uera, & liceat quartadecima dicatur dies par, ubi uniũtur duæ septimanæ, sed per se sũptæ, et separatim est decima septima, secũdæ septi

manæ

manæ dies critica, & ita impar dies. possumus etiã saluare rationem Hippo. adductam à Galeno, quòd non intelligebat per diem parem decimam quartam, nec quartam, nec uigesimã, sed intelligebat sextam uel octauam, qui dies uere pares sunt. præterea humores qui sunt magis formales non ne mouentur die impari? quia et ipse magis formalis est, unde Pythagorici appellabant diem imparem masculum, parem uero fœminam, & nos uidemus humores formaliores, quòd mouentur semper in die pari, de tertio in tertium, illi scilicet qui sunt actiui, & formales & mobiles mouentur magis in diebus imparibus, quàm in paribus, in contrarium uero omnis humor segnis, & tardus ad motum semper in die pari mouetur sicuti pituita, & fæx sanguinis, bilis uero, & sanguis aßimilatur igni, & aeri, propterea longe maior efficacia est in die impari, quàm in pari. Amplius quæ causa aßignaretur in ægritudinibus habentibus interualla, cur habeant maiorem efficaciã in imparibus diebus, quàm paribus? tertiana enim in septem periodis terminatur, habetq; in diebus imparibus suos motus & dicebat, quòd idem in quartanis euenit, quod numerantur tantum periodi, & non dies, nam hic non sunt quartæ lunæ, nec aliquis aspectus, ut humor biliosus moueatur de tertio in tertium, atra bilis de quarto in quartum, sed per septimanas dierum deinde per septimanas mensium, & annorum, præterea uis septenarij quoquo modo potest referri ad aspectus, & quamuis

Aristo. uideatur aliquot in locis coarguere Platonē de ui numerorum, tamen in primo cœli ipse dixit ternarium numerum perfectißimum esse, & in ipso uenerari deos, expresse enim magni facit imparem numerum, quæ opinio etiam antiquis maximè probabatur & reuerebatur, præterea est auctoritas Homeri, qui ante Pythagorā fuit, & magnifacit numerum imparem. Virgilius quoque cum inquit ò terq; quaterq; beati. Similiter & alij cum uolunt loqui de aliquo quòd sit optimum, ita loquuntur, utuntur numero ternario, & impari, & nos etiam laudantes rem diuinam ter dicimus esse diuinam: ita gaudemus numero impari, & ego facile assentiēs Pythagoræ, & Platoni, credo non minimam uim inesse diebus imparibus. quantum autem ad argumenta facta per Galenum, respondemus, quando dicit tot esse dies pares, quot impares legitimos, quod decima quarta, & septima sunt septimanæ, quarta autem dies non est quarta, quia humor non mouetur in quarta, sed mouetur secundum quadraturas, & media quadratura est tertia, cum aliquot horis, quantum uero ad secundum, quando dicit numerus est extrinsecus adueniens, quo nullam perfectionem, nec imperfectionem affert subiecto, respondeo ad hoc, & dico quòd numerus est ante formam, quod non possumus probare: de numero autem mathematico potest dici hoc, sed non de numero, quod essentialiter est de rebus, Galenus enim recurrit ad scommata, ideo cum suis scommatibus re-

maneat nec debet decidere illos in portis Thebarũ, & hoc quantum attinet ad quæstionem. ego autem dico magnam uim esse in diebus criticis in imparitate, & in paritate, & impares efficaciores esse, quam pares, nunc accedamus ad quæstionem desideratißimam, cur scilicet uigesimus dies cõnumeretur in die critica ut autem soluatur dubitatio primo referam opinionem Galeni, qualiscunque illa fuerit, & ubi perfecte declarata fuerit, meam deinde subiungam, cur uigesima sit critica, & non uigesima prima. Galenus enim imaginatur tres modos mensium, primo dicit, quòd est unus mensis qui dicitur συνόδεικ☉ id est coniunctionalis, secundus peragrationis, tertius apparitionis, sed declaremus parum menses. coniunctionalis est totum spatium illius temporis, quo luna discedit à coniunctione solis, facta integra reuolutione solem iterum assequitur, totum autem istud spatium quod est ab una coniunctione ad alteram, posuit esse nouem & uiginti dies cum duodecim horis, id est cum media parte diei naturalis, qui continet uiginti quatuor horas, igitur dies mensis coniunctionalis sunt uiginti nouem dies, & duodecim horæ, & iste dicitur mensis communis lunaris, distinguimus enim hos menses secundum coniunctionem; mensis uero peragrationis dicitur totum illud spatium, quo luna pertransit totum circulum zodiaci, ab uno puncto zodiaci discedens, donec ad idem redeat exclusiue, ita tamen ut illud tangat, cum peragrauit enim luna totum spa-

tium zodiaci, & istud spatium posuit Galenus uigesimum septimum diem, & octo horas, id est cum tertia parte diei naturalis, qui est uiginti quatuor horarum: igitur dies mensis peragrationis erunt uiginti septem, & octo horæ. Sed dubitabit quispiam si luna peragrat totum zodiacum in uiginti nouem diebus, & octo oris, licet luna pertransierit totum zodiacum in uiginti septem diebus, non inuenit tamen solem, quia sol non est amplius sub illo signo, sub quo luna reliquerat ipsum, ergo si uult ipsum inuenire, & cum illo coniungi supersunt ad huc dies ad congrediendum secum, & ita erunt uiginti nouem dies cum dimidio in mense coniunctionali, tertius mensis dicitur mensis apparitionis, & est totum illud spatium quo luna post coniunctionem, iterum apparere incipit, quousque sub cõiunctionẽ proximè sequentem ad solem accedens occultatur, nec ulterius conspici potest, (& uidete maximum ingenium hominis, ut effingeret sibi chimeram) & totum istud spatium, quo luna est in apparitione, posuit Galenus esse uiginti sex dies cum dimidio, imaginatur enim bonus Galenus, quod quando luna uult accedere ad coniunctionem, non appareat, sed maneat in coniunctione per tres dies, sed in coniunctione sunt uiginti nouem dies cum dimidio ergo sidematis tres dies, quia luna per tres dies manet in coniunctione, erunt uiginti sex cum dimidio, & licet uideatur hoc uobis difficile, non potestis tamen intelligere libros Galeni de diebus criticis, maxime ter-

tium, nisi hæc intelligatis, totum igitur spatium in quo luna apparet, & potest facere umbram, sunt duos dies cum dimidio, est postea & quartus mensis, qui dicitur mensis medicinalis secundum Galenum, scitis enim menses diuidi per septimanas, diuidatis ergo, primus enim mensis habet uiginti nouem dies, & duodecim horas, ergo si per septimanam eum diuidamus, in qualibet septimana erunt septem dies, & nouem horæ, mensis uero peragrationis habet uiginti septem dies, et octo horas, si uolumus per septimanas & ipsum diuidere, si essent uiginti octo dies, essent septem dies, pro qualibet septimana, sed non sunt nisi uiginti septem, & octo horæ desunt igitur sexdecim horæ ad hoc ut sint uiginti octo dies, sed ex quo desunt oportet ut cuique septimanæ pars sua dematur, pars autem sua sunt quatuor horæ, scilicet quarta pars ergo in qualibet septimana erunt sex dies, & uiginti horæ, & istud est quod dicebat Galenus tertio de diebus criticis quod deest dies sextans, id est sexta pars diei, quæ sunt quatuor horæ, mensis uero apparitionis habet uiginti sex dies cum dimidio, si diuidatis ipsum per septimanas, primo erunt uiginti quatuor dies, & ita in qualibet septimana erunt sex dies, sed supersunt duo dies cum dimidio, qui faciunt sexaginta horas, si sexaginta horas in quatuor diuidatis, quarta pars erunt quindecim horæ, & ita in qualibet septimana erunt sex dies, & quindecim horæ, die sequenti habebitis tabellam.

Pollicitus fueram tabellam quatuor mensium, sed abest ille qui scribebat, tamen habebitis exemplum, explebo quod restabat de diebus criticis, & in hac lectione omnes difficultates soluentur, ita ut admirer Galeni ingenium de quatuor mensibus, audiuistis tres esse menses ex parte rei, primum coniunctionalem, secundum peragrationis, tertium apparitionis, sed incipiamus à mense peragrationis: qui proprie mensis dicitur, & est totum spatium illud, quo luna pertransit totum zodiacum, & explet totum suum motum ab uno puncto discedens, & ad idem rediens, & hic mensis ponitur a Galeno, & notanter dixi ponitur, quia habet uiginti septem dies cum tertia parte diei, id est cum octo horis, & ita quælibet sua septimana habebit sex dies, & uiginti horas, ita quod sextans, id est sexta pars deerit, ad hoc ut sit septem dierum, alius mensis est qui dicitur coniunctionis, quòd habet uiginti nouem dies cum dimidio, & est longius spatium, quàm spatiū mensis peragrationis, sed dicat quis, quomodo potest alius mensis lunaris esse præter istum, ex quo luna iam peragrauit totum zodiacum? quid aliud uis adiungere? dico, quòd & si luna totum zodiacum peragrauit adhuc non est in coniunctione cum sole nam discessit luna à coniunctione solis, cum esset sol in ariete, & peragrauit totum zodiacum in uiginti septem, & octo horis, sol uero transit totum signum in triginta diebus, tunc sol non erit amplius in ariete, sed in tauro, & luna iam per-

agrarit zodiacum: ergo non inueniet amplius ſolem in ariete, in quo reliquerat, ſed in tauro, ergo luna in ariete deuenit in ſex diebus, & octo horis, ſi debet pertranſire ad aliud ſignum, ad hoc ut coniungatur ſoli indiget duabus, uel tribus diebus, & ita in triginta diebus, nam oportet ut pertranſeat per treſdecim ſigna ſi debet inuenire coniunctionem ſolis, tertius menſis eſt menſis apparitionis, id eſt totum ſpatium in quo luna poteſt facere umbram, & eſt ſpatium uiginti ſex dierum cum dimidio, ita enim ſupponitur à Galeno, & conſequenter ſua ſeptimana erit ſex dierum integrorum, & quindecim horarum, quartus menſis, quem imaginatur Galenus de quo ambigunt omnes, Galenus enim uidebat lunam imprimere effectus ſuos dupliciter uno modo mediante lumine ſuo in hæc inferiora nam ſi quando eſt plena & in oppoſitione aliquis ambulauerit maximam mutationem in corpore ſentiet, præterea etiam lumen ſuum habet, quòd operatur per certos ſuos aſpectus, & quadratis, trigonis, ſextilibus, & oppoſitionibus, & coniunctionibus, qui aſpectus generantur cum uario modo ſe aſpiciunt Sol, & Luna in ſua peragratione, cum enim uideret Galenus Lunam produceee ſuos effectus his duobus modis, præterea poſuit primo duos menſes primos diuerſos, peragrationis ſcilicet, & apparitionis, cum uterque neceſſarius eſſet, ut ſaluaret dies criticos, nam alius eſt terminus motus apparitionis, & alter peragrationis,

postea coniunxit hos duos, & ex his duobus fecit mensem medicinalem, qui continet uiginti sex dies, & duas & uiginti horas: nam si capiatis mensem peragrationis continet uiginti septem dies & octo horas, mensis uero apparitionis continet uiginti sex dies, & duodecim horas. si componatis insimul hos duos menses, uigesimum septimum scilicet & uigesimum sextum, faciunt quinquaginta, tres dies sed habemus postea horas in primo, octo, in secundo duodecim, & ita quinquaginta tres dies erunt, & uiginti horæ. oportet modo diuidere per partes æquales, diuidantur primo quinquaginta tres dies, erunt, & uiginti sex dies, deinde diuidas diem superabundantem, & uiginti horas, medietas sua erunt uiginti duæ horæ ergo dimidium horum duorum mensium erunt uiginti dies, & uiginti duæ horæ, & ita una quælibet pars habebit uiginti sex dies et uiginti duas horas, diuidendus modo est iste quartus mensis, qui est uiginti septem dierum, & duarum & uiginti horarum, in suas septimanas, cum sit consideratio apud medicos de isto mense, & si bene computetur inuenietis singulam septimanam constare, sex diebus, & in decem & septem horis cum dimidia, nam si diuidatis uiginti sex dies, in quatuor partes, quarta pars erit sex dierum, supersunt postea duo dies, & uiginti duæ horæ, quæ omnes erunt septuaginta horæ, & pars erit horarum decem & septem, cum dimidia, si modo quis incipiat ægro-

tare in principio huius mensis, in die dominico. sex dies integras habemus, et integer dies sabbati erit septima dies, quando enim ad diem ueneris accessistis, ad sextum diem accessistis, usque ad diem sabbati, detrahendo de ipso horas decem & septem cum dimidia, & ita septimana integra mensis medicinalis erit ex sabato, habens horas decem & septem, cum dimidia, modo ubi diuiditur dies apud medicos in partes, si pars inæqualis est, semper stat dies à parte maiori, & cum hoc ita sit, & habemus horas decem & septem cum dimidia, habemus maiorem partem, ergo dicemus totum diem sabatinum esse in ea septimana, postea habemus sex horas cum dimidia, à quibus incipit octauus dies integer, quoniam sumus ad decimum quartum diem, ideo sumus ad sex dies integros, sed oportet habere horas decem & septem cum dimidia unde sumantur, sumantur à die decima quarta sed oportet modo ut reddas mihi illas sex horas, quas accepisti cum dimidia in die sabati, ergo demetis ab horis decem & septem cum dimidia, sex horas cum dimidia, & erunt undecim horæ, quæ pars erit minor, ergo quartadecima dies addetur, & stabit cum tertia septimana: procedamus ulterius, incipiendo à decimaquarta usque ad uigesimum diem, habemus, sex dies, sed oportet demere tresdecim horas, quas accepisti, erunt tantum undecim horæ ipsius uigesima diei, cui si addas decem & septem horas cũ dimidia, erunt uiginti octo horæ cum dimidia, & ita uigesima dies & quatuor horæ cum dimidia,

erit dies critica, & finis tertiæ ſeptimanæ, & licet ſint quatuor horæ diei cum dimidia ipſius uigeſimus primus diei, tamen quia eſt minor pars, ergo uigeſima prima ſtabit cum quarta ſeptimana, & ita uigeſimus primus non computatur inter dies criticos, poſtea incipitis à uigeſimo primo die, & ad uigeſimum ſextum diem acceditis, ex quo die habetis quatuor horas, & decem & ſeptem cum dimidia, et ſi addatis decem & ſeptem cum dimidia ad quatuor illas cum dimidia, erunt uiginti duæ horæ, & ita uigeſima nona dies erit dies critica, & iſte eſt menſis quem Galenus ſaluat, quare uigeſima dies ſit dies critica, & non uigeſima prima, & quare ſeparamus primam ſeptimanam à ſecunda, & quare ſecunda non poteſt ſeparari à tertia, ſaluat etiam quemadmodum Luna faciat ſuos motus in ægritudine, tum mediante lumine ſuo, tum mediantibus influxibus cœleſtibus, & aſpectibus, credo tamen neminem ueſtrum his dictis acquieſcere, ſi intelligitis, non acquieſcitis quia falſum intelligitis; ſi uero non intelligitis non etiam acquieſcitis, nam quid habet natura agere cũ imaginatione Galeni, cum commiſtione menſium cõfunduntur apparitiones, & aſpectus omnes, præterea quid determinas ò Galene de his de quibus determinandum non eſt? ſupponis .n. menſem apparitionis habere uigintiduos dies cum dimidio, & quod coniunctio Lunæ cum Sole ſit tridua, cum quandoq; eadem die qua coniungitur ẽt appareat, quandoq; ſtet per duos dies, quod quidem à ruſticis etiam cognoſci

tur, quòd quando luna hodie coniungitur, & cras apparet mensis apparitionis si secundum longitudinem consideretur, singulo die tredecim gradus & quindecim minuta pertransit, sed neque hoc semper fit, quia quandoque reperitur luna in inferiore parte epicycli, & quando est proximior terræ tunc uelocissimi motus est, ita ut quandoque in uno die quindecim gradus Zodiaci pertranseat, & ita in sex diebus totam quartam Zodiaci pertransit, & ita in uiginti septem diebus totum Zodiacum pertransibit, quandoque uiginti octo dies non sufficiunt nam quando est in superiori parte tunc tardatur motus, quod non est ita de sole, cum sol non habeat epicyclos, imo semper eodem modo mouetur, propter epicycli carentiam, præterea supposito fundamento Galeni, siquis in coniunctione Lunæ ægrotet, quando non est mensis apparitionis, nec peragrationis, (dimisit enim ipse mensem coniunctionis) quid fiet si sub coniunctione lunæ ægrotet? cui attribuetur actio ista? credatis quòd Galenus nulla alia de causa fecit hunc mensem, nisi ut saluaret uigesimam diem criticam, adorabat enim Hippocratem ne igitur Hippocrates mentiretur, fecit hunc mensem, semper ubi ego potui, excusaui Galenum, in hoc Galenum ego excusare non possum, habeatis uos septimanas annorum semper uidebitis, quòd uigesima prima erit septennium integrum. Archigenes autem, qui fuit uir maximus, fortasse aliquid uidit, dicimus autem quod Hippocrates optime dixit, cum posue-

rit uigesimum diem criticum, & Archigenes 21. si modo uerum est quòd propter aspectus lunares fiant mutationes, & tunc tertia septimana erit uigesima, uel uigesimaprima dies, non est enim idem sensus motus in circuitu Zodiaci lunæ, quandoque enim in sex diebus integris, quandoque in sex cum aliquot horis facit suas quadras, & tunc potest contingere ut in uigesimo, & uigesimo primo fiat crisis, sed quia ferè commune spatium quo Luna peragrat totum Zodiacum sunt uiginti nouem dies cum dimidio, licet non sit semper perpetuo uerum, si supponamus Lunam peragrare Zodiacum in uiginti septem horis, cum tertia parte diei, saluabimus Hippocratē, quòd in qualibet septimana erunt sex dies, & uiginti horæ. oportet modo ut uiginti horæ sumantur à septima in secunda septimana erit enim decima tertia dies, & horæ sexdecim incipiendo à decimatertia die cum sexdecim horis erit decimaquarta finis secundæ septimanæ, quia maior pars stat cum die critica, incipiendo modo à decimaquarta usque ad uigesimam erunt sex dies, sed oportet modo addere uiginti horas, & ita erunt uiginti dies, & uiginti horæ, sed si demas octo horas, quas accepisti in decima quarta, erit uigesima dies, & duodecima horæ, & ita neque erit uigesima dies critica, quia desunt duodecima horæ, neque uigesima prima quia habet plusquā oportet, habet .n. duodecim horas amplius & ita estis in ancipiti, & quia diximus, quòd dies semper debet ccmputari ubi maior

pars adest, & uidetur etiam Galenus tetigisse hoc in tertio de diebus criticis, dixit enim quòd ubi crisis erit in die pari, magis apparebit crisis in die uigesima, quam in uigesima prima; quòd si in impari mouetur materia, tunc fiet crisis magis in die uigesima prima quam in uigesima, quia uigesimus dies habet duodecim horas tantum, ubi igitur erit inclinatio materiæ, quia mouetur de die pari ad uigesimam diem, tunc magis in uigesima apparebit, & ita ordo est, quod secundum computationem istius mensis peragrationis, poterit inueniri quare dies uigesima sit dies critica, & quare non uigesima prima.

Ferijs impeditus Montanus reliqua non compleuit.

Commentariorum in Hippocratis secundæ particulæ Aphorismos, finis.

	Quantita…	
	Substantia	Quæ …
Auget	Qualitate	Quæ a…
	Quantitate	Quæ d…

Alimentum in se ipso considerandum uariatur, uel

- Substantia
  - Respectu nutri.
    - Multi nutrimenti, Caro porcina.
    - Pauci nutrimenti, Olera.
  - Respectu succi
    - Boni succi Oua sorbilia.
    - Mali succi Salsamenta.
- Modo substantiæ
  - Duritie Caro assata.
  - Mollitie Iuscula.
  - Densitate Citonia.
  - Raritate Ficus.
  - Grauitate Panis azimus.
  - Leuitate Panis optime fermentatus.
  - Asperitate Panis fabaceus.
  - Lenitate Butyrum.
- Qualitate
  - Tactili
    - Calidum Nasturtium.
    - Frigidum Lactuca.
    - Siccum Salsamenta.
    - Humidum Pepones.
  - Gustabili
    - Dulce Mel.
    - Amarum Intybum.
    - } Et reliqui sapores medij.
  - Odorabili
    - Beneolens Ocymum.
    - Fœtens Allium.
  - Visibili
    - Album
    - Nigrum
    - } Et reliqui colores medij.
- Quantitate
  - Multa Sesquilibra panis.
  - Pauca Vncia.
- Motu
  - Alterationis
    - Quod facile concoquitur Ouum sorbile.
    - Quod ægre concoquitur Pisces cetacei.
  - Locali.
    - Quod facile distribuitur Ius, uinum.
    - Quod ægre distribuitur Caro tosta, caseus.
- Horis
  - Mane tantum.
  - Vespere tantum.
  - Vtrisque.
- Ordine
  - Vt si præponatur molle duro.
  - Vel præponatur durum molli.
  - } Et ita de reliquis oppositis.


Peßimum alimentum, quod pauci nutrimenti, mali succi, fœtidum, frigidum, siccum, amarum, nigrum, durum, densum, graue, asperum, concoctu difficile, quod male distribuitur, sicut lien bouis assatus, sicut panis fabaceus, caseus ualde antiquus, & talia multa.

Optimum alimentum, multi nutrimenti, optimi succi, sapore iucundum, calore album, qualitate tactili temperatum, medium in duricie, soliditate, grauitate, facile concoctu, facile distributu, talis est pulpa CAPONVM, PHASIANORVM, PERDICVM.

Reliqua quæ magis accedunt ad hæc, & magis recedunt ab oppositis illa sunt temperata.

Alimentum in relatione ad uirtutem uariatur, uel quia

- Expiat
  - Qualitate
    - Calefaciens.
    - Frigefaciens.
    - Humectans.
    - Exiccans.
    - Attenuans.
    - Crassefaciens.
  - Substantia
    - Tenue Ptisanæ corpus.
    - Tenuius Ptisana colata.
    - Tenuißimum Mellicratum.
- Conseruat
  - Substantia Quæ æquet materiam resolutam.
  - Qualitate Quæ æquatur temperaturæ.
  - Quantitate Quæ æquatur uirtuti concoquenti.
- Auget
  - Substantia Quæ superet materiam resolutam.
  - Qualitate Quæ auget calorem concoquentem.
  - Quantitate Quæ auget facultatum uires.



6. de calore innato
und i pri . 134